Universidad de Deusto
Biblioteca

1547

96

Philosoph
de
Hitelman.

Universidad de Deusto
Biblioteca

160,1

Universidad de Deusto
Biblioteca

COMPENDIVM NATVRALIS PHILOSOPHIAE.

LIBRI DVODECIM DE CONsideratione rerum naturalium, earumque ad suum Creatorem reductione, Per fratrem Franciscum Tuelmannum Hasselensem, ordinis fratrum Minorum, sanctarum scripturarum apud Louanienses prælatorem.



PARISIIS.

Apud Gulielmum le Bret, in clauso Brunello sub signo cornu Cerui. 1547.

Universidad de Deusto
Biblioteca

O ET MATERIA
RORVM DVODECIM
SEQVENTIVM.

imus tractat de principiis rerum natu-

cundus de causis rerum naturalium.
rtius, de motu & accidẽtibus eius.
uartus, de infinito, loco, vacuo, & tem-

uintus de generatione & corruptione
turalium.
xtus, de meteorlogicis impresionibus.
ptimus, de cœlo & mundo
tauus, de anima in generali, & de poten
tatiuis, deque longitudine & breuitate

nsibus extetioribus & eorum

ensibus interioribus, deque

, de intellectu & præcellenti-
13.
iodecimus, de appetitu sensitiuo & vo-
præcellentia.

PSALMVS NVNCVPA-
TORIVS OMNIVM CREATORI, TRI-
no & vno domino.

Videbam ego librum latum, pulchrum, & magnum, & vterum eius quasi grauidatũ, & tanquam prægnantem conspiciebam in visione mea.

Intendi mentis aciem, & vidi de vtero eius enasci libros plurimos: & contemplabar si non imminueretur partu tam multiplici grauidatus vterus.

Non potui considerare imminutionem eius: quanto plures prodibant fœtus, eo magis videbatur intumescere.

Dimicabant secum intra me cogitationes meæ: & cogitabam varia, voluebámque plurima, quoniam tenebar rei miraculo.

Mulierum partus me docuerant, fœtu egresso alscedere collem vteri: monticulus, quem gignit latẽs in occulto, cadere solet egresso vagiente.

Propterea tenebat me rei nouæ miraculum: & luctabar ego cũ cogitationibus meis, neque inuenebam exitum.

Feci mihi scalas altas, vt intrespiccrem in vterum libri: erat enim excelsus & elevatus longe supra paruitatem meam.

Datum est mihi post laborem multum intrespicere à longe: contemplatus sum (sed plusquam coligantibus oculis) quid inhabitaret in vtero aut quæ esset huius causa miraculi.

Contemplans video vterum velut abyssum: & qui sedebat in eo, non poterat videri, neque mensura erat neque finis magnitudinis eius.

Desij admirari postquam videram: dixi enim, quomodo minuetur vterus qui in se habet inhabitantem infinitum & immẽsurabilem?

Quid enim si egrediuntur ex illo fœtus paruuli, quando manet intra vterum ipse de quo fœtus procedunt, maximus & implens omnia?

Parabola hæc quam assumpsi, confitetur gloriam illi qui creator est & dominus omnium. Tibi dominator domine, pater sancte rex cœli, terræ, & marium.

Tuam gloriam eloquitur similitudo mirabilis libri huius: & ad te pertinet gloria inhabitantis in eo.

Tu feciſti librum magnum & latum: vniuerſam hanc mundi machinam ſpatioſam & ſpecioſam valde tu creaſti.

Scripſiſti in eo mirabilia multa & magna, incerta quoque & occulta ſapientiæ tuæ impreſſiſti in eo.

Immenſam potentiam tuam, & incomprehenſibilem ſapientiã deſcripſiſti in eo: inæſtimabilem quoque bonitatem & perfectionem tuam.

Singulæ quæ ſunt in eo creaturæ, ſingulæ ſunt paginæ libri, ſinguli ſunt characteres, ſingulæ perfectiones, quæ inueniuntur in illis.

In oculis omnium legendum expoſuiſti librum iſtum: volumen hoc volui facis atque reuolui, ante conſpectum omnium populorũ.

Legunt in eo quil-uſcunque leuare placuerit oculos: intellectum quoque das omnibus, qui pio corde abs te poposcerint.

Veruntamen intra vterum illius tu poſuiſti habitationem tibi intimus enim es & præſentiſſimus machinæ quam creaſti, quicquid eſt creatum pœnitiſſime inhabitans.

Conſiderauerunt librum hunc plurimi, & viderunt quoniam eſſet fœcundus nimium: & de libro hoc ediderunt libros ſine numero.

Viderunt quoniam ad intelligendum eſſet liber difficilis: ſectatoribus ſuis multiplicatione verborum atque librorum conati ſunt explanare illum.

Magi, Sophi, atque Philoſophi innumeri, operam impenderunt in conſiderandis paginis libri huius: te quoque authore inuenerũt non pauca veritatis tuæ: quam deſcripſeras in illo.

Inuiſibilia enim quæ de te cognoſci poterant, per facturam tuã feciſti intellectu ab illis conſpici ſempiternam potentiam, virtutẽ, & bonitatem tuam.

A te procedebat quicquid deſcribebant veritatis tuæ: à te nãque pater luminum eſt omnis veritas, & tu manifeſtaſti illis.

Veruntamen vanitates multas immiſcebant veritati modicæ: erroribus multis ac vanis opinionibus nimium erant permixta eorum omnia.

Non enim lumen plenum erat in oculis eorum: & quaſi ſine lumine excæcatis oculis legẽtes, non potuerunt quæ deſcripta erãt penitus cognoſcere.

Execauit enim eos affectus non bonus: nequam oculus totum corpus facit eſſe tenebroſum.

Dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt: quia non dederunt gloriam deo cæli, qui creauit omnia.

Cum adorare debuiſſent, populiſque adorabilem prædicare, quẽ in lectione libri huius cognouerant: diſſimulare maluerunt: ſeque glorificare magis concupierunt, quam creatorem deum.

Quomodo paruuli in libro formulis pulchris decoro hærent in floſculis paginarum, neque perpẽdunt quæ deſcripta eſt in eo veritatem:

Ita aſpiciebant iſti in creaturarum pulchritudinem, ſuntque oblectati in eis, veritati autem que continebatur, quæque parata ſeſe erat aperire legentibus, non intenderunt cultu debito.

Propterea non ſunt inuenti digni ampliore lumine, quoniam acceptis male vſi deprehenſi ſunt.

At vero, vbi venit plenitudo temporis, vt ſanaretur cecitas generis noſtri: miſiſti tu domine lucem tuam que illuminat omnem hominem.

In hoc lumine ſalubriter iam legimus librum iſtum qui ante fuerat ſterilis: docet enim nos ſcientia ſalutaris fidei, in vniuerſo tu venerari creatura tua.

Qui attente in lumine ſpiritus tui conſideräuerit opera tua, delectabitur ſuauiſſimo deus author omnium, in factura tua.

Inueniet in ea materiam laudis quam recitet tibi confeſſionis amoris, & ſancti deſiderij.

Qui enim opificem dilgit: quomodo non oblectabitur in opere eius: quomouo non refricabit operis contemplatio memoriam artificis, & confirmabit deſiderium eius.

Ita pater ſancte, creator omnium, hoc animo deſcripſimus conſiderationem creaturæ tuæ: in adminiculum ſimpliciũ, quibus placitum erit tuorum operum attentius aliquid perſpicere

Quæ veteribus illis Philoſophis, qui ante lucem ſurrexerant manifeſtaſti: vbi conſentanea inuenimus veritati, vendicauimus in vſum noſtrum.

Nihil enim immundum putamus, quod ſanctificatur & purificatur in fide tua: non ſunt abominandi theſauri Aegyti, cum conſecrantur tabernaculo tuo.

Quæ verò ſupra ſenſum ſunt hominum. & quæ ratio mon-

straxe non potuit, ex viris quos sacer tuus illustrauit radius desumpsimus ea.

Ita pater, collecta hæc labore nostro offerimus tibi: propter tuam gloriam descripsimus, tuæ quoque mancipamus gloriæ.

Confido enim, quod falsitas non inueniatur in opere isto neque mendacium: omnis autem veritas tibi debet consecrari, qui es deus veritatis.

In hoc autem potissimum tu nosti fuisse conatum nostrum: vt formulam præberemus philosophari cupientibus, qua in te discerent regere omnem considerationem suam.

Non enim ignoras, quanta sit in re ista abusio, & quam rarus sit qui sic doceat contemplari creaturam tuam, vt tibi accedat gloria, tu optime habes cognitum.

Praua curiositas in feces abducit multos: in profundum facit immergi, vt ad te non leuent oculos.

In spinis & vepribus hærent plurimi, & dilacerantur in cogitationibus & adinuentionibus ingenij sui.

Qui autem te quæsierint in horto creaturarum tuarum, inuenient fragrantiam flosculorum bonorum: & qui cognitioni tuæ maiestatis aptauerit omnia studia, ipse pascetur in delitijs tuis.

Suscipiat itaque dominus meus quæ offert tibi seruulus tuus: sertum de rosis horti tue suscipe de manibus pueri tui.

Fac prosit olfacientibus illud, & exitatos odore creaturæ tuæ, subueche in amorem sanctum tuum.

Ego verò sperabo in misericordia tua: & adiiciam semper super omnem laudem tuam.

Gloria patri, & filio, & spiritui sancto,

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.

Finit Psalmus.

DEO SEMPER ET VBIQVE GLORIA, VNA, VNI. VNDE, EO OMNIA.

EPISTOLA NVNCVPATORIA

Optimæ studiorum parenti, semper venerandæ artium liberalium Facultati, in preclara Louanienſi Academia creditos alumnos fideliſsimè educanti, Frater Franciſcus Titelmanus Haſſellenſis humilis eiuſdem diſcipulus cum omni reuerentia humile offert obſequium.

CVM ante annos aliquot, optime studiorum parens, è tuo gremio ad sacram Minorum fratrũ religionem me contulissem, ac non multò post superiorum imperio (quibus reluctari nec poteram, nec debebam) compellerer ad eam doctrinam fratribus communicandam, quam è tuis suxeram beniguissimis, fœcundissimisque vberibus, id est, ad prælegendos Philosophicas disciplinas vt mihi iniunctum obedienti mandatum pro fratrum simplicium vtilitate, quam possem fidelissime perficerem visum fuit hoc mihi bonum consilium, vt ea quæ olim tuo insidens gremio, partim à doctissimis præceptoribus (cuiusmodi semper plurimos aliis viuæ vocis magisterio acceperam, partim ex mutorum magistrorum scriptis, id est, eruditorum Philosophorum libris, pro ingenioli mei tenuitate hauseram, succinctè breuiterque velut in compendium colligerem, & nihilominus lucide & ordinate quantum possem omnia disponens, nihil eorum quæ essent necessaria omitterem. Sic enim simplicium fratrum conditioni iudicaui vtilius, vtpote quibus bona diei noctisque pars diuinis hymnis decantandis sacris peragendis mysteriis, & circa proximos exercendis hierarchicis actibus, foret impendenda: ita vt ad Philosophiæ studia minimum temporis superesset, neque vacaret eorum qui plenius illa tractarunt prolixos & difficiles commentarios euoluere. Ad physicam autem disciplinam in compendium contrahendam meum desiderium peculiariter etiam illud accendit: quod hanc rem à nemine hactenus tentatam conspicerẽ. Nam in Dialecticis, vel vsque ad nauseam abunde multos inuenias, qui totam librorum seriem per ordinem sunt prosequuti,

hactenus autem qui Physicæ disciplinæ amplitudinem compendio strinxisset (quod ego quidem sciam) extitit nemo. Ac proinde videbar mihi operæprecium facturus, si tam commoda oblata occasione, quod animo insederat opere perficerem. Neque enim minimam præstare mihi videntur studiis vtilitatem, qui ea quæ à prioribus multa prolixitate & obscuritate tractata fuere sua industria atque diligentia in compendiosam ordinatamque, breuitatem laborant contrahere. Quos enim inuoluta prolixitas molestaque difficultas deterrent, plerunque grata breuitas & compendiosa facilitas ad honesta studia inuitant. Super hæc vero propositum nostrum vehementer adiuuit, animumque addidit, quod videbam physicam disciplinam, si rectè & prosua dignitate tractaretur, ad sacram Theologiam plurimum omnino habere momenti, & ad Dei pleniorem cognitionem: neque ad Dei tantum cognitionem, verumetiam ad Dei excitandum amorem, mirum in modum conducere, quæ duo (nempe Dei cognitio & amor) omnium debent esse honestorum studiorum vltimus atque præcipuus finis. Et gestiebat animus, hac in parte aliquam tibi, optima mater, ostendere gratitudinem: videlicet demonstrando eas disciplinas, quibus tibi creditos alumnos instituis non solum ad eruditionem absolutum esse omnino necessarias, verumetiam ad pietatem (quæ ad omnia vtilis est) plurimum conducentes, vt merito sanxerint venerandi Theologorum Magistri neminem vllo Theologiæ titulo insigniendum itidem medicinæ honorandi ex sacræ paginæ institutione professores, neminem ad suæ professionis vllum gradum admittendum, qui non prius in tuo gremio fotus, tuoque saluberrimo lacte pastus fuerit, imo & ablactatus videlicet hoc ipso suo iudicio manifestissimè attestantes, quod nulla omnino disciplina (neque quæ ad corpus, neque quæ ad animum spectat) absque tuæ institutionis præiacto fundamento, solida possit consistere. Nunquam enim viri prudentissimi id statutis editis cauissent, nisi prorsus solido veritatis cibo ineptos iudicassent, quos non tu prius tuo lacte potasses. Itaque, cum hos Physicæ consideratto-
nis libros Physici disciplinæ hoc compendium, multorum præcibus importunis diu multumque solicitatus, tandem acquiescens amicis postulationibus in lucem edere decreuissem, post Deum omnis bo-
ni primum authorem & omnis parentem veritatis, non inuenire potui in terris, cui hunc laborem iustius possem quam tibi, mea nutrix, mea fotrix, mea optima mater, edicare ac nuncupare. Est

enim hæc Dei institutio, vt singula, vnde effluunt illuc & refluant. Ad locum (inquit sapientissimus ille rerum naturalium inuestigator Ecclesiastes) vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant. Quæ nos ergo primum quidem à Deo omnis veritatis doctore, post hunc autem ex tua institutione accepimus, iustum est illi vt primario datori per gratiarum actionem accepta referri, ac deinde in te quoque vnde nobis efluxerunt refluere. Si verò hunc nostrum laborem tibi non ingratum, ac tuis alumnis non inutilem compererimus, quod nunc in physica disciplina egimus, forsitan & in Dialecticis aliquando tentabimus. Puto enim & illic laborem superesse Christiano operario, hactenus à nemine susceptum, quo mirum in modum illius quoque disciplinæ dignitas possit exaltari. Qui te suorum puerorum nutricem instituit, ipse te quoquo fœlici statu conseruet, & multa semper prole fœcundet, vt sis quasi vitis abundãs in lateribus domus eius, sintque filij tui sicut nouellæ plantationes oliuarũ in circuitu delicatissimæ mensæ tuæ.

INDEX ALPHABETICVS
EORVM QVÆ IN SEQVENTIbus tractantur.

ABstracta & concreta vnde dicantur, & duplex abstractum describitur. folio. 191.
Actus primus & secũdus quid sit. 118
Actus quomodo libertatẽ participãt, tametsi volũtas actu non imperat. 212
Actus qui non mereantur. ibidem.
Actus voluntatis participes sunt, etiam dum voluntas ligata est. ibi.
Actus in ebrietate admissi nõ excusantur à peccato. ibi.
Ad aliquid excessione, defectione actiui, passiui, motiui, & mobilis, quid. 33
Æquinoctialis circulus cur dicatur, & cur æquatur, cingulum. 104
Æquinoctium vernum & autumnale quid. 106
Æstimatiuæ officium, & ipsam esse motus principium. 162
Æstimatiuæ duplex operatio. 163.
Æstimatiuæ ab imaginatiua differentia. ibidem
Æstimatiua an eadem sit cum phantasia dubitatur. 164
Æstimatiua diuidit, & componit quod quidem phantasiæ tribuunt. ibidem
Aestimatiua in homine quam in ceteris animalibus nobilior est, & quomodo hæc ab illa differat 164
Aestimatiuæ seu phantasię locus, & despectio, & officia. 175
Aestimatiua somnia naturalia operatur 178
Aestimatiua mouet obiectum 204
Affectiones, amor, gaudium &c. spirituales in intellectiuo appetitu inueniuntur, quemadmodum corporales in sensitiuo sunt. 205.206
Affectiones cur dicantur, & non passiones. Ibidem.
Agens naturale non potest seipsum secundum vtramque partem mouere, neque à seipso moueri. 33
Agens, & patiens, similia, & dissimilia cur esse debeant. 94.
Alteratio quid, & quomodo ab aliis motus speciebus differat. 60
Amor omnium passionum radix. 208
Anima rationalis à corpore separata, corpori iungi cupit, quod angelis non competit. 11
Anima rationalis corporis corruptionem, non corpus detestatur. 12
Anima rationalis seipsam mouet. 33
Anima vegetatiua nutritionis est causa, & augmentationis naturalis. 61
Antiperistasis quid. 75
Antiperistasis duobus fit modis. ibidem
Anima rationalis ab intelligẽtijs differt. 93
Ann' bissextilis, quis, & quare hoc nomine appelletur. 97
Angelus ille primus cur lucifer dictus sit. 100
Animal quid. 116
Animæ aliæ duæ definitiones. 117. 123.
Anima in tres species diuiditur. ibidem
Animæ tres, tantum ratione differunt, & in singulis corporis partibus simul sunt. 118.
Animarum, sola rationalis à corpore separata non perit, nec de potentia materiæ educitur. 119
Anima rationalis a corpore separata, quomodo seruet alligatas potentias orgãno corporeo. 119.120
Angeli paucis operationibus, hominibus plura assequuntur. 121
Animalia quædam ex corruptione nascuntur, alia indifferenter ex hac, & ex semine, alia ex commistione specierum, quorum prima & postrema generatione nesciũt. 124.
Animalia quædam cur citius homine ambulent, aliásque vitales operationes exerceãt. 129.
Animalia quædam cur respiratione odorentur, alia verò minime. 148
Animalia quædam cur odoratus organum habeãt tectum, alia verò non. 151
Animalia quędam cur gustum non habeant. 152
Animal omne. & solum animal dormit, & quare. 172
Apprehendentes facile, male seruant. 166
Appetitus sensitiuus in omnibus animalibus reperitur, & ab æstimatiua naturaliter mouetur, & mouet. 203
Appetitus concupiscibilis, & irascibilis quid, & quæ eorũ passiones. 108
Appetitus intellectiuus, qui à sensitiuo differat. 113
Appetitus intellectiuus ab obiecto non patitur, nec cogitur prosequi. ibi.
Appetitus sensitiuus quomodo voluntati repugnat. 115
Appetitus sensitiuus quomodo ad modum petulantis equi refrenari, & subiici debeat. 219.

A proportione maioris inæ-

qualitatis fit actio. 44
Aqua quem habeat situm. 87
Asinus Buridiani inter duas aquenas. 204
Astrum quid. 98
Augmentatio multis dicitur modis. 61
Augmẽtatio à nutritione differt. ibidem.
Augmẽtatio quomodo fiat & ex quo. 62
Augmentatio fit sine vacui positione, aut penetratione dimensionum, quemadmodum & motus localis. ibidem
Augeri quid proprie dicatur. 63
Auditus in quodam aqueo cõsiti. 141
Aures cur tortuosæ 141
Aures nullum proprium habẽt sonitum, vt nec oculus colorem, & vnde sonitus ille qui intra aures percipitur, & ipsum esse boni auditus argumentum. ibidem
Audacia quid. 211
Axes mundi, seu poli, arcticus & antarcticus, qui dicantur. folio. 97

B

BRuta animalia hominibus tum cibo, & potu, tum venere, temperatiora sunt. 134
Bruta non reminiscuntur. 170
Bruta non componunt aut dividunt mediante copula verbali. 197
Bruta, licet oblatis duobus obiectis deliberare videant, nõ deliberant tamen. 204
Bruta cur interdum per sententiam iudiciariam morte plectantur. 23

C

CAusa quid sit, & quomodo ab occasione distinguatur. 17
Causæ altera definitio, eius quatuor species explicans. folio. 18
Causa materialis quid. 19
Causa efficiens quid. ibidem
Causa finalis quid. ibidẽ
Causa formalis quid. ibidem
Causa finalis & efficiens quomodo primæ dicantur. ibidẽ
Causarũ proprietates tres. 20
Causæ plures sunt eiusdem rei diuersarum specierum, & eiusdem, ibidem & 21
Causæ sunt sibi mutuo causæ, & in eodem & in diuerso genere. 21
Causa eadem contrarios producit effectus, pro varia passi affectione. 22
Causarum quædam vniuersalis, alia particularis, alia propinqua, alia remota, & quæ sint. 23
Causarum, alia per se, alia per accidens, secundum rem, & appellationem. 25
Causa per se, & per accidens secundum appellationẽ, quid ibidem.
Causa per se & per accidens secundum rem, quid. ibi.
Causa potentialis, quid. 24
Causa actualis, quid. ibi.
Causa secundum esse, quid. 25.
Causa secundum fieri, quid. ibidem.
Casus & fortuna quibus effectibus conueniunt. 28
Casus quid. 29
Casus à fortuna distinctio. ibidem.
Causæ velocitatis & tarditatis motus sunt variæ. 38
Calor naturalis augmentationis & nutritionis instrumentum, quo deficiente augmentatio cessat. 61
Calidum segregat partes diuersæ rationis in misto. 71
Capra saltans quid. 76
Caligo vel nebula quid, & quo modo disipata serenitatem diei prænuntiet. 78
Calor solis à Martis calore differt. 102
Caput & cauda draconis, quid 109.
Calor naturalis vitæ necessarius, humido radicali nutritur. 126
Causa longitudinis & breuitatis vitæ proceditex caloris naturalis, & humidi radicalis proportione adinuicem. ibidem
Calor & humiditas, qualitates bonæ sunt, & quas inter cæteras expedit dominari. 127
Causa breuitatis vitæ hominis triplex est, brutorum duplex plantarum vnica. 131
Canes vocum significationem ignorant, tametsi ad auditum quarundam quasdam operationes exerceant. 193
Circulus maior quid, & quot sint. 104.207
Circulus minor quid. ibi.
Circuli minores quatuor sunt. 107
Circulus arcticus & antarcticus quid. ibi.
Contra naturã quid dicatur. 2
Consurrectio in deum ex naturalibus. 7
Conuersio in Deum ex creaturis. 29
Continua quę dicantur. 38
Contigua quæ dicantur. ibi.
Cõsequenter se habentia quæ dicantur. ibidem
Comparatio debita, tria requirit. 39
Corpus simplex quid. 64
Combinationes qualitatũ primarum vnde quatuor elemẽta consurgunt. ibidem
Complexiones in mistis quæ sint. 127
Cometa futurorum malorum indicium. 76

Cometa qua cœli, parte generetur, & quem habeat motũ. ibidem.
Continuum quid. 84
Corpus quantitas, quid. 85
Corpus simplex, & compositũ siue mistum quid. 86
Corporis simplicis diuisio, & eorum corporum situs explicatur. ibidem
Corpora simplicia in quinque gradus in vniuersum coguntur. ibi.
Cœlum cur nihil corrumpat. 92
Cœlũ vnicam eamq; nobilissimã habet qualitatem, lucem videlicet, qua mediante suas operationes exercet. ibidem
Cœlestis natura mistum non ingreditur. ibi.
Cœlum cur quinta essentia vocetur. 92
Cœlestia corpora animata nõ sunt. 93
Cœlum empireum quid & an in inferioribus quid operetur. 92
Cœli vndecim, & quo ordine siti. 95
Cœlum nouum cur aqueum dicatur: ibi.
Cœli aquei frequens in sacris literis fit mentio. ibi.
Cœlum stellatum & firmamentum idem est, & vtriusque nominis ratio. 94.
Cotemplatio pia, ex planetarũ ordine congruo. 99
Colurus solstitiorum qui circulus dicatur. 106
Colurus æquinoctiorum, & puncta duo in eo æquinoctia distinguentia 106
Coniunctio diametralis quid 108.
Corpus opacum luminoso obiectum, si eo minus fuerit, pyramidalem facit vmbram. ibidem.
Corpus physicum & organicũ quid. 118
Corporum quędam multa, alia pauciora habent organa, alia nulla. ibi.
Contemplatio de congruentia corporis ad animam, & ediuerso. 121
Complexionum quę sit maxime diuturna. 127
Comparatio viuentium quoad vitæ longitudinem fit multis modis. 129
Color luminis alieni illustratione eget vt videatur, non autem lux, quæ etiã per maius lumen impeditur. 138
Color quibus conueniat corporibus. ibi.
Color actu sensum faciens quid. ibidem
Color quid. 140
Corpora quædam, cur ab odoratu non percipiantur. 148
Coqui cur ex cibis quibus parando adsunt exaturentur, similiter is qui penarium vino repletum intrat. 149

Cognitio nostra intellectualis quomodo à sensu proficiscatur. 185
Cognitio dei in nobis duobus formatur modis. 186
Cognitio intellectus quadruplex. 187
Cognitio intellectualis singularis quid. 188
Cognitio vniuersalis intellectiua quid. 189
Cognitio concretiua quid, & ipsam esse infimam operationum intellectus. ibidem
Cognitio abstractiua quid, & ipsam sensui non competere 190.
Cognitio vniuersalis concretiua, & abstractiua quid. ibidem.
Collatio pulchra sensualitatis cum meretrice, ex literis sacris. 221
Constellationes & astrorum virtutes, voluntatem cogere non posse, quantumuis vehementes, sed solos stultos ipsas sequi. 221

D

Deo nihil est casuale aut fortuitum. 3
Deo materia & forma non cõpetunt. 5
Deo competit esse causam finalem & efficientem. ibid.
Deus multa mediantibus causis secundis agit, quæ tamen omnia per se potest. 30
Deus licet mediante causa secunda agat, immediate tamẽ ad quemlibet concurrit effectum. 31
Deus in omnibus rebus per suam essentiam inexistens & præsentiam, non mouetur 42.
Deus quanuis omnia instãtanee mouere potest, non facit tamen. 46
Deus seipsum mouere non potest. ibidem
Deus solus essentia infinitus. 48.
Definitio quid nominis, & quid rei. 51
Deo solum esse conuenit, non fuisse aut fore. 58
Desperatio quid. 207
Deus nobiliori modo docet, quàm homo. 199
Diuinitatis consideratio ex natura materiæ. 5
Differentia multiplex regionis cœlestis & elementaris. 92
Dies quis naturalis, & quis artificialis dicatur. 96
Doctrina spiritussancti nullã per se habet in docendo resistentiam, & quomodo peccatum obstat. 187
Dominium duplex est, & iuxta alterum eorum, appetitus sensitiuus voluntati sub est. 214

E

Eclipsis lunæ quomodo fiat. 108
Eclipsis lunæ quando fiat. 109
Eipsis lunæ, quibus locis sole & luna existentibus fiat partialis. ibidem
Eclipsis totalis, & vniuersalis quid differant. 109
Eclipsis solis quid. 110
Eclipsis quando perfecta, & quando partialis, ibidē
Eclipsis solis in nouilunio, & lunæ, in plenilunio fit. 111
Eclipsis solis vniuersalis esse nequit. 111
Eclipsis solis à Lunæ eclipsi multiplex discrepantia. 111
Eclipsim solis tempore passionis Christi Dionisius in Ægypto vidit. 112
Eclipsim tempore passionis Christi vniuersalem fuisse, partim luna coniuncta soli, partim radiis retractis, aut nubibus obiectis. 113
Echo quid. 46
Echo semper fieri, licet non audiatur, & cur non audiatur priorum partium soni reflexio. ibidem
Effectus quid sit. 20
Efficiens causa est, tum principalis, tum minus principalis. 25
Effectus secundum esse, & fieri, quid. 25
Effectuum, quidam semper, alius plerunque, alius suam sequitur causam. 28.29
Effectus quis dicatur fieri propter finem, & quis non. ibi.
Effectus casualis quid. ibidem
Effectuum quidā per electionem fiunt, alij non. ibidem
Elementa quatuor sunt quorum quodlibet habet duas primarum qualitatū. 64.65
Elementa symbolizantia quæ dicantur, æ quæ non. 65
Elementorum symbolizantiū facilior est transitus. ibi.
Elementum superius sibi proximū inferius proportione deculpa excedit. ibidē.
Elementa quatuor, quomodo in mixtis corporibus maneant. 67
Elementa quatuor ad quodlibet mistum & quamlibet eius partem concurrunt. 68
Elementorū aliquod in misto semper dominatur. ibidem
Elemētis puris nō vtimur. 69
Elementa post iudiciū in alū statum esse reuocanda. ibidē
Elementa cur rem ad interitū ducunt, 93
Entium quædā sunt actu tantum, alia & potentia sunt. 33
Ens in decem prædicamenta diuiditur. 34
Ens seu verum, intellectus obiectum. 183
Essentia nobilium non mouetur. 42

Experimenta docent vacuum esse non posse. 55
Experimenta docent elementa in misto manere. 68
Exhalatio quid. 76
Exhalatio causa materialis ignitorum, in aeris suprema regione potissimum, apparētium. ibidem
Exhalatio causa materialis est tonitrui. fulminis, ventorum, atque terræmmotus. 80

F

Febricitātibus cur omnia sint insipida. 151
Finis vltimatus quid. 27
Finis non vltimatus quid. ibidem.
Finis vltimatus vnicus, quippe Deus, ibidē
Finis nō vltimatus cuiuslibet rei visus est. ibidē
Finis prima causa est, & ad ipsum effectus & medio optantur. 29
Firmamentum nonnunquam totum aggregatum ex orbibus planetarum, & stellarum fixarum significat. 96
Fluuii ex mari fluctes, cur salsi non sint. 78
Fluxus & refluxus maris vnde ibidem.
Frigidum partes heterogenias coniungit. 71
Frigidiora loca habitātes, ampliori cibo egent. 75
Frigiditas & siccitas mortis initia sunt. 117
Frons cornuta & obtusa, cuius sint indicium, & qua ratione. 161
Forma vt est principium rerū naturalium quid. 8
Formæ vltimæ plures se nō cō patiūtur in eadem materia. 8
Formam nō id esse quod suo aduentu cōposito dat. Ibidē
Forma deo similis ostēditur. 9
Forma quo modo materiā appetat. 10
Forma substantialis cœlestia corpora incorruptibilia reddit. 14
Formales causæ tres sunt, substātialis, & artificialis, & accidentaria. 24
Forma accidentaria quid. ibi.
Fortuna minus commune est casu. 30
Fortuna quid. ibidē
Forma quomodo infinita. 48
Formæ substātiales per se locum non habent. 50
Fontes & fluuij vnde generentur. 78
Fontes & fluuii nō ex aqua ex pluuia collecta fluūt. Ibidem
Fontes cur in locis montosis. Ibidem.
Forma cadaueris anima non est. 127
Fulmen quid. 80
Fulmen exteriora sine nocumento transit, interioribus lesis. ibidē
Fumus iram in sacris literis significat. 212

Universidad de Deusto Biblioteca

G

Galaxia quid, & eam esse duplicem. 77
Gaudium & voluptatem, omnium passionum esse finem. 209
Generatio verbi æterni, & processus spiritus sancti explicatur, per solem generantē lumen & ardorem. 26
Generatio quid, & quomodo ab aliis motus speciebus differt. 60
Generare sibi simile opⁿ naturalissimum est, nec omnibus, nec solis animalibus conueniens. 123
Generatur in quibusdam simile sine semine, ramusculo inserto. ibidē
Grando quid, & cur lapides in se nonnunquam concludat, & rotunda sit figura. 78
Grando cur aliquando animalis referat speciem. ibidem
Grando cur potissimū in vere & autūno generetur. ibidem
Graue dicitur dupliciter, vtpote quod simpliciter graue est & id quod solū comparatione alterius graue dicitur. 85
Grauissimum quid, & vnicum esse. ibidem
Gustus quid & quod mediū eius & instrumentum. 151
Gustus & tactus habent medium coniunctum ibidē
Custus est quidā tactus. ibidē

H

Halon quid & vbi generetur. 81
Hemisphærium quid & duo esse. 107
Hiatus quid. 76
Horizon quis dicatur 106
Horizon in rectum & obliquum distinguitur. 77
Homo ferè cęteris animalibus viuacior est. 138
Homines studiosi macrescunt, somniculosi pinguescūt. 172
Homo multis animalia cætera excellit, tum quod vocum significationes capiat. 193
Homo solus animalium disciplinæ capax. 194
Homo solus diuidit, & coniungit plura, copula verbali, & plures propositiones cōiungit, atque ratiocinatione conficit. 195
Homo solus suam excellentiā nouit, et ea gaudet, idque per intellectum. 197
Homo intellectus lumine oni pfectione cuiuslibet creaturæ gaudere potest. 199
Homo solus omnium creaturarum tenetur gratias suo creatori agere. etiam pro alijs creaturis. 200
Homo nō in omnibus actibus meretur aut demeretur. 219
Homo ratione voluntatis infinitæ est capacitatis, ratione verò appetitus sensitiui finitæ: vnde homo gula, cupiditate, bruta lōge excedit. 132
Homo solus deum amare potest, & ei vniri. 223
Humidum est facile terminabile termino alieno. 71
Humidum veneris ab humore lnnæ differt. 103
Humidū radicale quid, & qua materia partim cōsumptum reparetur. 126
Hyeme maiori est opus cibo quam æstate. 75
Hyeme candelæ vehementius ardent quam æstate. ibi.
Hyeme media aeris regio minus est frigida, quā çstate. 95

I

Idem zenith habētes eundē habent meridianum. 107
Ignis perpēdicularis quid. 76
Ignis fatuus seu candela ardēs quid. ibi.
Ignis elementaris à quibusdā negatur & oppositū ratione probatur. 87
Ignis elementaris cur ita rarus. ibi.
Ignis elementaris nutrimento non eget. ibi.
Imaginatiua quę, & locⁿ eiⁿ & differentia à sensu cōi. 161
Imaginatiua nunquā est motus principium. ibi.
Infinitū essentia & quantitate. 48.
Infinitas materię, imperfectionis est: formæ verò perfectionis. ibi.
Infinitum quātitate continua & discreta. ibi.
Infinitū potentia & actu. 48
Infinito nihil maius. ibi.
Infinitum successione. non actu sed potentia tantum infinitum est. 49
Infinitum in actu, in rerū natura non reperitur. ibi.
Infinitum multitudine non repetitur. 50
Inclinatio rerum naturaliū generalis & specialis. 55
Ingenioſi ferè memoria deficiunt, & ediuerso. 166
Ingenioſi bene reminiſcuntur licet non semper bene memorentur. 171
Insomnia vnde procedant, & cur ita esse putamus vt somniamus. 178
Intellectus quid sit, sensus cōparatione docetur. 180
Intellectus æstimatiuam excellit. 181
Intellectus agens & passibilis quid & quod vtriusque officium. 182
Intellectus agens lumini comparatur, & lumen spirituale dicitur. 183
Intellectus à sensu differentia & necessitatem esse ponēdi intellectum agentem & patientem. 184
Intellectus agens an realiter à passibili differat dubitatur. ibidem.
Intellectus multa cognoscit quæ non immediate à sensu habet. 185

Intellectus agens quomodo se super phantasmata conuertit, & ex corporalibus spiritualia intelligat. 185
Intellectus adiutus lumine spiritus sancti, deum facie ad faciem contemplabitur. 187
Intellectus deum sibi maxime cognoscibilem ob corporis molem cõtueri nõ valet. 187
Intellectus quomodo singulariter intelligat. 188
Intellectus eodẽ phantasmate nunc abstractam, nunc concretam habet notitiam. 189
Intellectus practicus & speculatiuus quis. 197
Intellectus super suos actus reflectitur, quod nulli sensuum competit. 198
Intellectus ex seipso deum potest cognoscere. ibi.
Iris quomodo generetur, & quod tricolor sit. 81
Iris & halõ quid differant. ibi.
Irides duæ aut ad summũ tres apparent simul. ibi.
Iris secunda eosdem habet colores cum prima, sed ordine continuo, & tertia eodem omnino ordine. ibi.
Iris quo tẽpore appareat. ibi.
Ira passionem cur non habeat sibi contrariam. 108

L

Lancea volans quid. 76
Lapis cum fulmine ex nube decidens, fulminis cuneus dicitur. 80
Languentes cur sæpenumerõ longam vitam degant. 129
Leue quid. 85
Leue quoddam tantũ in respectu, aliud simpliciter. ibi.
Leuissimum quid. 86
Linea quid. 85
Linea simplex quid. ibi.
Linea eclyptica quę, & cur ita appelletur. 105
Linea eclyptica cur via solis appelletur. ibidem
Lignum vitæ cuius fuerit virtutis. 130
Linguę duplex officium, alterum tantũ necessarium. 145
Locus quid & potissimus locus proprius. 50
Locus quis communis, & quis proprius. 51
Loci proprietates sunt quatuor. ibi.
Locus quis naturalis rei. 52
Locus quis violentus. ibi.
Locum naturalem cur cuncta petant & magno desiderio contendant. ibi.
Luna humidis dominatur, quę plenilunio crescunt, nouilunio verò decrescunt. 101
Luna in bonã partẽ, & malam in scriptura applicatur. 174
Lunæ varius ad solẽ respectus mutationis eius est causa. 111
Lunæ vnde sit varia figura ibidem.
Lumen omnium astrorum à sole proficiscitur. 101
Lumen semper reflectitur. 140

M

Materia 1. quid. 4
Materia secunda quid. 4
Materia prima tantum eius potentia. 5
Materia prima tantum passiua est, ideoque deo dissimillima. ibi.
Materiæ creatio deo non fuit indigna. 6
Materia non nuda, sed sub forma est creata. ibidẽ
Materia an sine forma creari potuisset dubitatur. ibidem
Materia nulla creata virtute fieri potest. ibidem
Materia nulla creatura annihilari potest. 7
Materia inferiorum an specie à superiorum materia distinguatur. 7.8
Materia & forma, ceræ, & sigillo comparantur. ibidem
Materia formam appetit, vt id à quo perficiatur. 10
Materia cœlestis, vim nullam patitur, aliam formam accipere prohibita. 6
Materiæ ad alias formas appetitus, ex imperfectione est, atq; ideo pueris & cani assimilata Æsopico. ibi.
Materia in beatis sub forma eadem manebit sine violentia quã in dãnatis admittere nõ videtur incõuenies. ibi.
Materia cõparatur ad formam & sic in qua dicitur, & formæ correlatiuum est. 24
Materia ad compositũ collata ex qua dicitur. 24
Materia quomodo infinita. 48
Mare duplici ex causa salsum. 79.
Maris fluxus cur quotidie ferè vna hora tardius incipiat. 80.
Mare quando crescat, decrescátve. ibidẽ
Mare cur nunc impetuosius, nunc mitius fluat. ibidem
Mars non ita nociuus planeta atque Saturnus, & quã operetur complexionum. 100
Medium motus quoque distinguere. 36
Mensura durationis triplex & discrimen eiusdem. 59
Mercurius ingeniũ dat Martí aut Saturno iunctus hæreticum & tumultuarium, Ioui verò propinquus, tranquillũ & commodum. 180
Meridianus circulus quis dicatur. 106
Medium visus quid, cur colore careat. 146
Medium propter colorem, & non propter visum illuminari debet. ibi.
Memoria quid & quod eius officium, pulcherrima docet similitudo. 165
Memoriæ ab imaginatiua differentia. ibi.
Memoriæ nomen tripliciter accipitur. 166
Memoriæ locus, & eius dispo-

sitio, & bonæ memoriæ iudicium. 166
Memoria quę bona, quę mala. ibidem.
Memoria eadem, cur vnũ altero melius seruet. ibi.
Memoria duplici ex ratione bona, & studia illi proportionanda. 167
Medium quod sit ad reminiscendum aptum. 168
Memoria intellectiua, quid & quã sit necessaria ei' à sensitiua memoria differẽtia. 191
Mistio quid & quotuplex. 66
Modi existẽdi in alio, octo. 50
Mollicies carnis excellentis in genij cur indicium sit. 154
Mollicies carnis bonitas ingenij, bonitas tactus, eiusdem causa effectus. ibi.
Mollicies duplex. 155
Monstrũ quid, & varijs ex causis contingere. 31
Motus omnis aut ad quantitatem, aut qualitatem, aut substantiam, aut locum dicitur esse. ibidem
Motus quis perfectus, & quis imperfectus. 34
Motus subitus instãtaneus, & successiuus quid. ibi.
Motus nullo prædicamento cõtinetur. 35
Motus extensionis non autem intensionis habet partes. ibidem.
Motuum localiũ alius rectus, alius curuus. 85
Motus rectus, motus sursum, deorsum & circularis, quid. 85.
Motuum quis simplex, & quis mistus dicatur. ibi.
Motus cœlorum vnde, & an violente post iudicium quiescet. 94
Motus raptus quis dicatur, & quare. 97
Motus proprius orbium inferiorum aduersatur motui raptus. ibi.
Motus cœlorũ quomodo cõtrarij dicãtur, & quomodo cœli inferiores sine violẽtia à primo mobili rapiantur. Ibi.
Motus cuiq; cœlo, proprius, quãto tempore absoluatur. ibi.
Motus primi nec merẽtur nec demerentur. 223
Motus propriè dictus tendit à termino positiuo, ad terminũ positiuum contrarium. 36
Motus propriè dictus & mutatio differunt. 37
Motus, saltẽ ratione, à termino ad quem distinguitur. ibi.
Motus, ab actione & passione differt, saltem ratione. ibi
Motu eodem mobile mouetur, & mouens mouetur. ibi.
Motuum quis tardus, aut velox 38.
Motus frequẽs nõ idem quod velox. 39
Motuum, quis regularis & irregularis. ibi.
Motus irregularis vnde. ibi.

Motus irregularitas vnde. ibi.
Motus naturalis quem habeat processum, itẽ violentus, & progressiuus. 40
Motus cœlorũ maxime regularis est, licet difformis. ibidẽ
Motuũ quis naturalis, quis itẽ violẽtus dicatur, & vtrũque in cunctis rebus reperiri. 41
Motus eiusdem speciei inter se sunt comparandi. 41
Motus cui quieti priuatiue opponatur. ibidẽ
Mobile & mouens per se mouent & ratione partis, & per accidens. 44
Mouens & mobile quid dicatur dũ proportiõe agitur. 48
Mũdus vniuersus quibus cõstet. 86
Multũ humidi & ob id lãguẽtes in iuuentute, sæpenumero lõgioris sunt vitæ. 129

N

NAtura quid & quotuplex. 12
Naturã quæ habere dicãtur. 2
Nadir quid 106
Nix quid, & quãdo generetur 78
Nosce te ipsũ, qd sibi velit. 98
Numerus quis numerans & quis numeratus. 55
Nubes in regione aeris supremã nõ generantur, sed ignea quædam. 75
Nutritio cur fiat, & eius ab augmẽtatione differẽtia, licet vtriusque idẽ sit obiectũ. 129
Nutriri necesse est, quandiu viuens existit. ibidem

O

OBiectionũ quarundam, contra ecclipsim in tẽpore mortis Christi factam, solutiones. 112
Obiecta sensuum exteriorum quinque. 137
Oculus quomodo quandam lucem habere dicatur. 183
Odoratus quid, & cuius naturę & quod instrumẽtũ & obiectũ & quõ odoratio fiat. 148
Odorifera cur die magis quã nocte percipiantur. ibidem
Odorifera quædam non percipiuntur. ibidem
Odoratus cur in homine quam in cæteris animalibus imperfectior. 149
Odores quidã propter saporẽ grati, alij propter se. ibidem.
Odoratus hominis, cęterorũ animaliũ perfectior est odoratu. ibidem
Odores quomodo ab odoratu percipiantur. 150
Omne quod mouetur ab alio moueri, quõ intelligẽdũ sit, 43
Opiniones diuersæ de loci natura. 59
Opiniones diuersæ de cœlorũ numero. 95
Optic' neru' qs dicatur. 145
Ordo quis sit in mouentibus subordinatis 43
Ordo essentialis, & accidẽtalis causarũ subordinatarũ. ibi.

Ordinē essentialem infinitum, sequeretur actu infinitum, accidentalem nō ita. ibidē.
Ordo in elementis vnde. 91
Ordo planetarum ratione probatur. 96.
Ordo solis eadem ratione probari nequit. ibidem.
Oppositio diametralis quæ dicatur. 109
Organa sensuum exteriorum quinque. 145

P

PArtes mobiliū perfectius ipsis accidentibus mouentur. 42
Partes heterogeniæ, homogeniæ, quæ dicantur. 76
Parahelij quid. 82
Parahelius quid ab halone & iride differat. ibidem
Parahelii plures simul apparēt, sub quibus tā lunę quā solis imago cōprehēditur. ibi.
Parahelij duo cum sole apparuerunt tempore natiuitatis Christi. ibidem
Passiones tres sunt, quibus animal circa obiectum conueniens afficitur. 206
Passiōes tres, qb⁹ obiectū discōueniēs, animal efficit. 207
Passiones irascibilis, quæ quibus passionibus cōcupiscibilis respondeant. 207
Passionum quæ irascibilis, & quæ cōcupiscibilis vis, quarū ira tantū habet passionē Priuatiue oppositam. 208
Passiones irascibilis, ex passionibus cōcupiscibilis oriūtur, & in eadē terminātur. ibidē
Passiones irascibilis ad gaudium terminantur, & cur vis irascibilis concupiscibili sit addita. 225
Passiones cur dicātur, & corpus immutent. 208
Passio Christi ob naturæ nobilitatem durior ei fuit. 155
Peccatum vnde procedat. 31
Periodum seu terminum determinatum, natura omne viuens habet. 131
Periodū naturalem res raro attingūt, et nūquā ptereūt. ibi.
Periodum præscientiæ diuinæ omnia attingunt, nō tamen præterunt vnquā. 132
Periodus diuinæ præscientiæ quomodo præteriri possit, quo minime, cū expositione authoritatis Iob. ibidem
Perspicuum actu, & potentia, quid. 139
Peccatū intellectui nōnunquā displicet, dum intellectiuo appetitui placet. 218
Phātasiātes cur in tenebris teneātur, nō aūt prefēte lumine
Penetratio dimensionum impossibilis. 53
Pisces cur vocē nō edāt. 143
Pluuia quid, & quid imber, pluuia & labrocera differāt. 77
Pluuię nomē, specificū est, quā uis lati⁹ sępenūero sumatur. ib.
Pluuia vbinā generetur. 77

Pluuia cur rotunda, & salsa. ibidem.
Pluuia ex vaporibus ex mari attractis generata cur salsa non sit. 78
Planetæ septem & eorum situs 98.99.
Planetæ soli stellarum, non scintillant. 99
Planetæ quomodo a stellis fixis differant. 99
Planetæ variorum colorū apparatu ab inuicem differunt quemadmodū & varios producunt effectus. 99
Planetæ nūquā sodiacū exeūt vnicus tamen sol lineam ecliptica semper tenet. 105
Plenilunium quid. 11
Poli mundi duo, quorum alter nunquam nos latet, alter vero perpetuo. 97
Poli mundi immobiles sunt, non autem poli zodiaci. 99
Potentiarum animæ quædam in anima sunt, aliæ in cōposito, quarū illę tātum animā à corpore separatam sequitur. 119
Potentiæ animæ conuenientes cū sint quinque, cur trimębris sit facta diuisio, ibi.
Potentiarum distinctio vnde sumenda. 120
Potentiarum diuersitas partim perfectionis, partim imperfectionis est. 121
Potentiæ vegetatiuæ quæ & quot officia præcipua. 122
potentiæ quatuor sunt necessariæ, nutritioni, augmentationi, & generationi. 223
Potentia generatiua, prima est vegetatiuæ animæ vis. folio ibidem
Potentiis duabus homo cęteram animalia excellit. 3
Præter naturam quid. 2
Principium naturalis quid. 3
Priuatio qūo transmutationis rei naturalis principium. 12
Priuatio in corporibus cœlestibus est, quæ tamen non reddidit generationi obnoxia, fol. 1
Propter finem omnes res naturales agunt, siue viuentes siue non. 27
Præter hominem res omnes naturales ad finem aguntur à deo potius quam agunt. fol. 38
Prouidis pauca causalia aut fortuita contingunt, improuidis vero plurima. 30
Ptoprietates temporis quinque. 58
Proprietates augmentationis sex. 63
Primæ qualitates quatuor. 65
Primarum qualitatum calor & frigus, etsi maxime actiua sunt, minime tamen resistunt. 66
Proprietates elemētorum sex sunt, 66
Pruina quid, & quando fiat. 78.

Pruina cur fœteat. 78
Pruina quando indicium serenitatis, & quando effectus contrarij. ibidem
Proportio quatuor qualitatum primarum, causa est vitæ lõgæ aut breuis. 127
Proportio calidi & humidi cur causa vitæ longioris aut brevioris dicatur, cum tamẽ quatuor qualitatum proportio sit. ibidem
Præcocia seu præmatura ingenia, cur breuioris sint vitæ. follio. 129
Præcepta & prohibitiones cur solis rationalibus dentur, & qõ irrationalibus dicantur præcepta dari. 224
Pueri mense octauo nati aut cito moriuntur, aut misere viuunt. 98
Puncta solstitiorum duo, & vbi. 106
Pueri cur infelicis sint memoriæ. 167

Q

Quemcunque ad motum requisita. 36
Quies quid sit 41
Quantitas corporea sola ita occupat, vt eodem loco aliã non admittat. 54
Quinque modi sunt locum replendi. 54
Quædam replent, & non occupant. ibidem
Quæstio, an quicquam simpliciter generetur, nec ne. 69
Quæstio, qua ratione ex contrariis quatuor aliquid generetur. 71
Qualitates secundæ horũ inferiorum, ex primis nascuntur. ibidem
Quæstio, an quamlibet corruptionem sua sequatur generatio noua. 72
Quæstio, quænam sit causa generationis aut corruptionis diuersorum tẽporum. ibidẽ
Quæstio, vnde quorũdã tã facilis generatio, aliorũ vero tarda ac difficilis, 72
Quæstio, an corruptum semel possit idem redire. 73
Quadratum & quadrangulare differunt. 103
Qui diutius viuant voluptatũ moderamine, 130
Quæstio, cur individuum nutriendo nequeat perpetuari, ibidẽ
Quinque concurrerunt miracula tẽpore passionis Christi. 113

R

Ranæ cum pluuia descendunt. 77
Ratio, qua sensus, seu potentia vna alteram excellere probatur. 180
Res naturales, quid. 1
Res spiritualis creatæ tãtũ habent finalẽ & efficiẽtẽ causas: corporales vero, adhæc materialẽ & formalẽ. 17
Res permanens & successiua, quid. 35
Regulæ proportionũ septem Aristotelis, quibus duæ adiiciuntur. 44
Regularum proportionũ exempla 45
Resistentia, motum in instante fieri prohibet. ibi.
Regiones aeris tres, & earum qualitates. 74
Regiones quæ sint habitabiles & quę minime, & quomodo id sit accipiendum. 108
Respiratio duo habet officia, quorum alterum necessitatis est, nec omnibus animalibus conuenit. 144
Reminisci quid, & qui à memoratione differat, & ad illud quàm ad hoc plura requiri. 169.170
Reminiscentia quõ memorię discontinuatæ dicatur. 171
Res corporalis in intellectum non agit. 184
Res quid & cur potissimũ vere tempore generetur. 78

S

Saturnus planeta nocuus, & cur cum falce depinguatur. 99
Saliua licet non sit mediũ gustus ad gustationem tamen requiritur. 151
Saporũ varię sunt species. 152
Sapientes & philosophi, quõ deum cognouerunt. 187
Scripturæ origo. 145
Secundũ naturã quę dicãtur. 1
Seminis pulcherrima consyderatio. 124
Sensus exteriores quinq;. 137
Sensibile per se quid, & sensibile per accidens. 137
Sensibile proprium, & sensibile commune quid. 138
Sensus omnis speciem absque materia recipit, & cur plantæ non sentiunt. 156
Sensibile excellẽs, sensum corrumpit, & quid dicatur. 157
Sensus, suum quisq; habet obiectum organum, & medium. ibidem.
Sensus nullus, proprij obiecti alterius speciem in se recipit ibidem.
Sensus debitam obiecti distãtiam requirit. ibidẽ licet nõ oĩb⁹, sit æqualis. ibi.
Sensus omnis obiecti sui priuationem percipit. ibi.
Sensus communis vbi situs & quod eius officium. 160
Sensus communis necessario ponitur. ibi.
Sensus exterior super actum suum non reflectitur. 161
Sensus communus an obiectũ præsens requirat, vt eius speciẽ in se seruet, dubitatur. 162
Sensuum interiorum nomina variantur. 194
Senes infœlicis sunt memorię: quæ tamen in iuuentute memoriæ mandauerunt tenacissime seruant. 169

Sensualitas vnde in natura humana, quantum voluntati resistat. 216
Sensualitas quatenus vitio detur. 118
Siccum formam impressam optime seruat. 71
Signa pluuiæ. 77
Signa terræmotus. 81
Signa borealia, seu septẽtrionalia aut arctica sex sunt, rursum sex meridionalia, australia, seu antarctica, & cur ita dicta. 105
Signum nullum æquali distantia ab vtroque polo distat, & quodlibet in lõgitudine gradus habet. 28
Sol cur deorum & hominum pater sit dictus. 141
Sol cur neq; primo, neq; infimo ponatur loco. ibi.
Solis in scriptura magnificamentio. 102
Sol diuino verbo cõparatur. ib
Solstitiũ hyemale & æstiuale quid, & quando sit, & quomodo sol stare dicatur. 106
Sonus quid, & tria ad ipsum requiri. 191
Sonus in suo medio est, quod nulli illorũ obiectorum cõtingit. 142
Sonꝰ mediãte locali motu. ibi.
Sonus partim realiter, partim per solam speciem in aere est. ibidem
Sonus fortior cur non semper longius audiatur. ibi.
Sonus & in aqua & in aere recipitur. 143
Somnus quid, duplici de causa necessarius est. 172
Somnus vti cibus necessarius est, quatenus vnicuique vtẽdum. 173
Somno immodico dediti, cuiuis officio exequendo in idonei. ibi.
Somnus quomodo fiat, vnde fortior aut debilior. 174
Somnus potissimũ ad vegetati uas potẽtias ordinatur. ibidẽ
Somnus postremo loco sensum reparat. 175
Somnus matutinus castitatis inimicus. ibi.
Somnia naturalia, supernaturalia, animalia quæ 176
Somnia mala, viris optimis sine crimine contingunt. 177
Spiritus motiui, & sensitiui, vnde oriantur. 174
Species rerum nõ sunt animæ cõcreatę, nec ipsę quoq; animæ simul creatæ sunt. 181
Spes vnde oriatur. 207
Species viuentium corruptibiles sunt. 134
Stipulæ ardentes quid. 76
Stellæ firmamenti in sex magnitudinis differentias diuiduntur. 90
Stellæ innumeræ sunt in firmamento, hinc visu non notabiles. ibidem
Stellæ fixæ scintillant, & cur fixæ dicantur. 99

Stellæ & luna, cur de die non videantur. 138
Superficies plures se simul permittunt. 50
Successio impedit durationem vt occupatio repletionem. 58
Superficies quæ conuexa dicatur & quæ concaua. 50
Superficies quid. 85
Sydus volans quid. 76

T

TAngendi modi quatuor sunt. 63
Tactus organum, medium, & obiectum, quid. 152
Tactus, solus omniũ sensuum animali est necessarius cur per totum sit diffusus. 153
Tactus perfectio, aliorum sensuum perfectionem non arguit, nec ediuerso. ibi.
Terminus à quo, ad quẽ, quid. 136.
Terminus ad quẽ dignior est termino à quo motum denominat, motus distinguit specie, genere, aut numero 37
Terminus à quo non distinguit motum. ibidẽ
Terminus à quo, & ad quem dicũtur per se primo, ratione partis, & per accidens. 42
Tempus quid & eius duplices partes, & quomodo numerus dicatur. 56
Tempus omnia mensurat, sed solum motum primi mobilis intrinsece, cui & æquale est. ibidem.
Terræmotus quid. 80
Terra mobilis est omni motu & quomodo punctũ & centrum dicatur mundi. 89
Terra vnde suam habeat immobilitatem. 90
Terram esse rotundam, quomodo intelligatur. 91
Terra cur montosa sit, & vallibus plerisque inlocis distincta. ibidem
Terræ quantitas. 91
Tempus vitæ humanæ, pro diuersis mundi ætatibus, aliud atque aliud fuit. 133
Tempus cæterorum viuentiũ quoque diuersum fuit. ibi.
Tenebræ quid. 130
Terminus priuatiuus tribus capitur modis. 160
Terribile plus mouet ad fugã: delectabile ad prosequutionem. 208
Timor quid sit. 210
Tonitruum quid. 80
Tonitruũ fulmine prius est, licet posterius percipiatur. ibi.
Torrida zona quid, & quam viuentibus præbeat habitationem. 81
Triplex significatio dictionũ motum significantium. 38
Tribus modis quippiam dicitur esse in loco. 53
Tropicus cancri, seu æstiualis, quid. 107
Tropici respectu quorũ hyemales & æstiuales dicantur. ibidem.

Tropicus capricorni seu hyemalis quid, & vnde tropicus dicatur. ibi.
Tremor & pulsus, quid differant. 80

V

VAcuum impossibile est esse. 55
Vacuum quid sit. 54
Vapor quid. 76
Varietas figurarū in aere apparentium vnde proueniat. 76
Vapor quid. 77
Vapores qui somnium generent, & qui impediant. 186
Ventus quid, eorū qualitates, nomina quot sint. 79.80
Venus, nunc lucifer, nunc hesperus dicitur. 100
Solem vt coniugem comitatur muliebrium est effectiua qualitatum vt sol virilium. 102
Venus immoderata speciem humanam miris modis debilitat. 134
Veritas & falsitas quomodo sunt in intellectu. 196
Vituli cū pluuia descendūt. 77
Visio quomodo fiat. 138
Visiua potentia, oculus, & anima diuersimode videre dicuntur. ibi.
Visibilia quædā duplici ratione videntur, nocte dieq;;, diuersa tamen ratione: alia etiam eadem ratione. 139
Vigilia quid. 272
Vigilia corpus exiccat, vt ieiunium. ibi.
Virgo beata ab omni motu inordinato fuit immunis. 216
Vocabula actionem in anima manētē significātia, quadruplicē habēt significationē. 36
Vorago quid. 75
Vox quid, quibus cōueniat ex natura tā in brutis quā hominibus aliquid significat. 143
Vocalis arteria, eius operculū. ibidem.
Vox articulata, & eius instrumenta, vox non semper significat. 145
Vox inarticulata etiam naturaliter significat. 145
Vocem formare & loqui differunt. ibi.
Voluntas quid sit, comparatione appetitus sensitiui docetur. 202
Volūtas dominium habet. 215
Voluntas à sensualitate vinci non potest, nisi se dedat licet ab ea vexari possit. 215
Volūtas quomodo omnib⁹ viribus animalib⁹ dñatur. 200
Voluntas sola meretur, & demeretur. 225

Z

ZEnith capitis quid. 106
Zodiacus circulus omnium circulorum solus longitudinem habet. 105
Zodiacus iuxta lōgitudinem in duodecim signa secatur. ibidem.
Zodiacus quid. ibi.
Zonæ cœli, quinque. 107

PRAEFATIO IN SEQVENTES DVODECIM Libros de consideratione rerum naturalium.

ADomnipotentis Dei gloriam, patris, filij, & spiritussancti, omnium & spiritualium, & corporalium conditoris æterni, rerum naturalium considerationem pertractare cupientes, congruum existimauimus, eaque à Philosophis naturæ inquisitoribus, longe lateque disputata atque modis varijs diffuse tractata sunt, succinctē breuiterque colligere, ac veluti in compendium redigere: vt qui ad creatoris meliorem plenioremque notitiam, crerturarum considerationem forte exquisierint, nostro hoc compendio præcauere valeant temporis omnium præciosissimi damnosa dispendia. Neque enim dubium est, quin creaturarum visibilium & rerum naturalium recta cognitio plurimum omnino habeat momenti, ad omnipotentis dei pleniorem cognitionē, apud eum qui fidei lumine illustratus interius, quæcunque oculis foris contemplatur, aut naturali etiam ratione ex eisdem venatur, in deum studet creatorem regerere, adque eius potentiam, sapientiam, & bonitatem contemplandam omnia referre. Siquidem inuisibilia dei (quemadmodum Apostolus ait Romanis scribens) à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus atque diuinitas, ita vt inexcusabiles sint, qui ex creaturarum cognitione non studuerint dignas creatori gratias referre, cultuque debito famulari. A magnitudine enim speciei & creaturæ (vt sapiens alius attestatur) cognoscibiliter poterit creator operum mirabiliū, quæ mundus iste habet, videri. Neque difficile erit ijs in quibus est scientia Dei, cum specie delectantur mirabilium, quæ habet mūdus, virtutemque, & opera eorum mirati fuerint, intelligere ex his, quanto eorū dominator est speciosior, qui hæc omnia constituit & quāto fortior est illis, qui de nihilo fecit omnia. Hūc ergo nostræ cōsiderationis scopum habētes propositū, ex ijs quæ à naturalium rerum tractatoribus fusius tractātur, velut ex immēsa silua præcipua quælibet colligere curabimus: ea potissimū quæ nostro maxime deseruire queāt instituto, ijs reiectis, aut certe relictis, qua

Roma. 1.

Sapien. 13.

minus videbuntur nostro proposito opportuna. Solent enim ex ijs quæ naturalia tractant nonulli, acuta quidem & subtilia multa disserere. quibus sua ingenia ostentando aliena exercitent: ea verò in quibus pietatis est quæstus vberior, vel negligere, vel sicco pede pertransire. Nos vero institutum contrarium animo propositum habentes, nemo calumnietur, si quæ eiusmodi sunt nos videat vel prætermisisse, vel parcius attigisse. Ob quam etiam causam in libris sex posterioribus, multa verborum copia, & similitudinum multiplicium adductione, conati sumus pro virili nostra quam lucidissimè plenissimeque omnia tractare: cum in libris prioribus (maximè autem in tertio, quarto, quinto, & sexto) breui plerunque sermone rem tantum perstringentes, potius eam indicemus, quam penitus explicemus. Videmus enim ea quæ in posterioribus libris tractantur multo magis ad dei cognitionem & scientiam veritatis esse vtilia atque necessaria, quam ea quæ in prioribus illis enumeratis libris traduntur. Proinde nemo nostrũ calumnietur propositum, vbi præter quorundam consuetudinem (qui prioribus maxime inhærent, posterioribus vel in totum vel certe magna ex parte neglectis) nos viderit egisse. Siquidẽ non tã ad ingenij exercitationem, quam ad pleniorem de Deo cogitationem, & pietatis qualemcunque venationem, noster iste labor desudauit. In scribẽdo autem hac libertate vsi sumus, vt nullius rescriptoris ordine nos pateremur constringi sed nostro iudicio, vbi commodissimus visus est locus, singula locauimus, quæ prolixius dicta videbantur plurima abreuiantes, vt compendij scriptorem docebat, nonnulla contractius dicta, quantum vtile videbatur, latius explicantes, nonnunquam humanis diuina temporalibus eterna, ex fidei illuminatione commiscentes, vt ne purus esset Philosophiæ hic tractatus, sed Philosophiæ pariter & Theologiæ commixtio. Non est enim dignum: vt ab vllius Christiani scriptoris operibus alicubi absit Deus, qui cælum & terram sua maiestate adimplens, sicut creauit, ita & continet omnia, qui est benedictus in secula, Amen. De rebus igitur naturalibus hac ratione tractare volentes, ab ipsis earum principiis exordiemur determinationem, si prius quid res naturalis, sit, quidque natura, breuiter explicauerimus.

LIBRI PRIMI, QVI EST DE PRINCIPIIS RERVM NATVRALIVM.

CAPVT PRIMVM

Quid sit res naturalis, & de quibus sit in præsenti libro tractandum.

Es naturalis dicitur, quæ ex naturis constat.

R Quæ secundum Grecam appellationem alio nomine corpus physicum siue res physica solet appellari. Siquidem Græcis φυσις idẽ est quod Latinis natura. Res naturales sunt, omnia corpora quæcunque ex materia & forma cõponuntur, vt cœli, elementa, & quæcunq; sub eis sunt mixta, siue animata, siue inanimata. Angeli autẽ res naturales non sunt, eo quod ex naturis non componuntur, sed puri actus sunt, & formæ immateriales. Et de his quidem rebus quæ naturales non sunt, in hislibris per se tractare nõ intendimus, sed de rebus tantum naturalibus, quæ sunt subiectæ sensibus. Nonnunquam tamen vbi se occasio obtulerit, si de illis quoq; nonnihil dixerimus non prorsus nostro instituto contraibimus, quandoquidẽ proximæ sunt deo mẽtes angelicæ, & corporeis omnibus illi accedunt vicinius. Atque ob hoc, cum à corporeis rebus ad deum transire contendimus, commodius nonnunquam spiritualium mentium cõsiderationem velut mediã interiicimus, quo sic velut gradatim ab imperfectioribus ad perfectiora, in deum qui est perfectissimus, ordinatius dirigamur. Erit ergo rerum naturalium determinatio, nostræ considerationis præcipua materia: Dei autem cognitio, cõsiderationis ipsius primaria intentio: angelicæ verò naturæ sicubi admiscebitur mentio, ad priora nonnihil præstabit adiumenti.

Hæc tractat Arist. initio 2. lib. physicorum

CAPVT II.

Quid sit natura & quotuplex.

NAtura est substantiale principium, mutationum atque accidentalium formarum rei conuenientium, vel effectiuum vel susceptiuum. In qua definitione po-

,, *Ari. 2. phys.*

sita disiunctiua coniunctio, duplicem innuit naturam, quarū altera sit principium effectiuum, nempe substantialis forma: altera verò susceptium principium, nempe materia. Omnes enim mutationes & dispositiones accidētariēq; formæ rebus naturalibus conuenientes, efficiuntur ab earum formis substantialibus, & conseruantur ab eisdem, quemadmodum calor ignis, à forma substantiali est eius, & cum aqua violenter calefacta ad frigus redit, à forma substantiali frigus illud efficitur, similiter & cum ipsa nimium rarefacta, ad iustam densitatem se reducit. Ignis quoque per formam suam, se mouet sursum: lapis deorsum, item per suam formam. Non solum autem qualitates conuenientes, & motus ad proprias perfectiones à forma sunt, verumetiam operationes omnes & motus omnes illis naturaliter conuenientes, quibus agunt in exteriora. Vt cum ignis agit in aquam, aut in aliam quam libet materiam, calefaciendo, incendundo, sibi assimilando, à forma substantiali fiunt hæc omnia. Materia verò subiectum & receptaculum, in quo conseruantur & permanent & quæcunque rei conueniunt, ad actionem autem non concurrit. Propter quod, passiuum tantum principium est, non etiam actiuum. Cæterum, quod in definitione dicebatur principium substantiale, excludit accidentia omnia, quo minus naturæ dici possint. Sunt enim quædam accidentia, quæ videntur quarundam mutationum rebus conuenientiū quædam esse effectiua principia quemamodum (exempli gratia) ipsa ignis leuitas causa quodammodo est & principium quoddam motus eius sursum: & ipsa lapidis grauitas principium quoddam est motus eius deorsum. Sunt enim quædam principia, & quædam causæ secundariæ horum motuum, & velut instrumenta, quibus mediantibus formæ ipsæ substantiales vt principalia principia & causæ primariæ motus eiusmodi efficiunt. Non sunt autem naturæ, quoniam principia substantialia non sunt. Est enim principium substantiale, quod rem substantialiter constituit atque componit, quemadmodum videlicet ex materia & forma componuntur res naturales, tanquam ex suis partibus essentialibus atque substantialibus, à quibus naturis duabus, res naturales denominantur. Non autem ex leuitate ignis constat, neque ex grauitate lapis. Quare neque naturæ rerum dicendæ sunt, sed potius entia secundum naturam, quemadmodum infra plenius declarabitur. Cæterū Aristoteles in secundo libro de physico auditu, obscuriorē quidem verbis, sed in sententia æquialentem ponit definitionem, quæ ex prædictis euadet facilior. Sic itaque naturam definit Aristoteles,

Natura est principium quoddam & causa, vt id moueatur atque quiescat, in quo primo, per se, & non per accidens inest.

Quæ quidē definitio, conformiter ad prædicta, sic debet intelligi: Natura est principium quoddam, id est, substantiale principio, siue effectiuum siue susceptiuum: & causa siue materialis siue formalis, siue effectiua siue conseruatiua, principium (inquam) & causa, vt id moueatur atque quiescat, in quo ipsum tale principium inest, hoc est, motus vel quietis rei naturalis, in qua tale principiū est: primò, id est, principaliter: per se, id est, tanquam pars essentialis ipsius rei naturalis: & non per accidens, id est, non sicut aliquid accidentaliter inexistens, vel essentiæ extraneum. Vbi hoc peculiariter notandum est, coniunctionem copulatiuam, atque, loco disiunctiuæ coniunctionis accipiendam esse, vt sit sensus, principium, quoddam vt id moueatur vel quiescat, &c.

CAPVT III.

Quæ dicantur habere naturam & entia secundum naturam.

NAtura autem habent, quæcunque tale principium habent.

Hoc est, Naturam dicuntur habere, qnæ fotmam substantialem & materiam sub nomine naturæ prius definitas habent tanquam partes essentiales sui. Huiusmodi sunt omnes & solæ substantiæ corporales, quæ supradictæ sunt res naturales. Excluditur autem ab hac definitione materia, (quæ formam in se videtur habere) eo quod ipsam non habeat tanquam partem essentialem sui, cum sit omnino simplex & incomposita, tametsi cum forma vnum tertium constituit, cuius pars existit. Definitio autem entium secundum naturam, hæc est,

Secundum naturam sunt, & hæc ipsa, & etiam ea quæ hisce per se competunt.

Quæ definitio sic intelligitur. Entia secundum naturam dicuntur hæc ipsa, id est, res habentes naturam, & ea quoque quæ rei secundum naturam conueniunt, &c. quemadmodum accidentariæ dispositiones & motus rebus naturalibus conuenientes, dicuntur esse eis secundum naturam, vt igni, secundum naturam sunt, calor, siccitas, raritas, leuitas, motus sursum, calefacere, exsiccare: Aquæ secundum naturam sunt frigus, densitas, grauitas, humiditas, motus deorsum, frigefacere, atque ita in cæteris. Quæ verò naturæ rei non cõueniunt, non sunt entia secuundum naturam, vt quæ ab extrinseco, per violentiam rei cuilibet imprimuntur, quemadmodum in aqua calor, & in lapide motus sursum, ignis percussio ad locum deorsum.

Quid entis cõtra naturam.

„ Et quidem si forma rei contranitente, per violentiã præ-
„ dominantis agentis hæc fiat impressio, dicuntur entia cõtra
„ naturã, quemadmodum exemplũ est in ijs quæ statim posita sunt. Contra nititur enim forma aquæ, ne calorem suscipiat, licet prævalens ignis imprimat eũ violenter, & lapidis forma, ne ipse moueatur sursum cõtra nititur, quærés magis moueri deorsum. Itidẽ & forma ignis, motui deorsũ reluctatur.

Quid sit præter naturam,

„ Si vero id quod ab extrinseco imprimitur, non repugnat
„ naturæ, neque introducatur cõtranitente natura, sed permit-
„ tente (eo quod sicut non conuenit, ita ei nec aduersatur neque officit) præter naturam id esse dicendum est, quemadmodum impressus in lapidem impetus ad motum lateralem in loco plano. Hic enim motus sicut lapidi secundum naturam non conuenit, ita secundum eam nec aduersatur, vnde præter naturam dicendus est. Hæc vt magis clareant, ponit Aristoteles hanc diuisionem,

Eorum quæ sunt, quædam sunt natura, quædam ob alias causas.

Cuius hic est sensus: rerum productarum, quædam à natura naturaliter agente producuntur: aliæ alijs à causis, quid pe ab arte, à libera voluntate, casu aut fortuna, quorum exẽpla ex sequentibus patebunt.

CAPVT IIII.

De rerum naturalium principijs in genere: atque tribus eorum conditionibus.

DE numero & assignatione principiorum rerum naturalium, varie admodum senserunt veteres Philosophi, quorum vt non est admodum operæpretium, ita neque propositum singulas sigillatim sententias adducere, aut errores impugnare. Si quem forte oblectant eiusmodi, is Aristotelem consulat primo physicorum libro, quem de principijs rerum naturalium scripsit, & abunde illi (ni fallor,) forsitan & vsque ad nauseam, erit satisfactum. Nos verò Aristotelis sententiam (qui cæteris certiora magisque consentanea in Philosophicis rebus descripta reliquit) insequentes atque adeo veritatem ipsam, quam fidelium doctorum omnium vnanimis firmat consensus, duo tantum rerum naturalium principia ponimus, nempe materiam & formam, quæ substantialiter (vti supra dictum est) rem naturalem constituunt. Priuatio enim, tametsi (vt post dicetur) principium transmutationis rerum naturalium admittatur, non tamen principium rerum naturalium admitti debet, cum res naturales ex priuatione non componantur.

Principia igitur prima rerum naturalium sunt quæ neque ex sese mutuo, neque ex alijs fiunt, & ex ipsis omnia esse oportet.

Ex qua descriptione tres coliguntur eorum conditiones: quarũ prima est, vt simplicia sint penitus, & ex alijs non compositа. Quod intelligi debet de partibus alterius rationis, siue de partibus essentialibus. Nã materia omnis, ex partibus componitur tanquam integrantibus ipsam, non autem ex partibus alterius rationis siue essentialibus. Quælibet enim materiæ pars, eiusdem rationis & speciei est penitus, cũ tota ipsa materia. Non tamen componitur ex alijs partibus essentialibus, quasi ex alia vlterius materia ipsa componeretur, alioqui processus fieret in infinitum. Sic & formę substantiales omnium rerum naturalium, præter animam rationalem partes habent integrantes ex quibus componuntur.

Tres conditiones principiorũ positæ ab Aristotele.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sunt tamen etiam ipsæ rerum principia, neque ex vllis partibus essentialibus componuntur.

Secunda conditio est, vt non componantur ex se inuicé. Materia enim non est ex vlla forma composita, neque formâ vllâ in se habet ex qua componitur, neque item forma, materiam habet pro parte sui. Ex quo patet, secundum eos qui forma corporeitatis distinctâ ponũt in corporibus à formis vltimis, cõpositum illud ex materia prima & forma illa corporeitatis, non esse principium rei naturalis, tametsi pars sit ipsam componens, quoniam simplex non est, sed ex materia & forma compositum. Tertia verò conditio est, vt ex ipsis res omnes naturales substantialiter constituantur. Quã conditionẽ manifestũ est materiæ & formæ conuenire. Omnis siquidem res naturalis, ex materia & forma, tanquã ex partibus essentialibus atque substantialibus constituitur. Huius autem conditionis defectu, formæ artificiales (vt forma statuæ) principia non sunt, quoniã ex ipsis nulla res naturalis cõponitur, sed tantum artificialis, vt ex forma statuæ cũ materia componitur statua, quę est opus artis non res naturales Hic animaduertendum est, illud esse principium rei naturalis, ex quo videlicet ipsa res (tanquã parte essentiali) intrinseco componitur: iuxta interpretationem conditionum positarum, & principium transmutationis rei naturalis: quod videlicet ad rei naturalis generationẽ seu productionẽ requiritur: siue in generato postmodum maneat, siue non. Priuatio siquidem formę substantialis ad generationem requiritur in producto tamen nequaquam mansura. Nihil enim potest generali substantiale, absque formę pręexisteris in materia expulsione. Nam ex homine cadauer, non fit, nisi rationali anima migrante: nec ex aere aqua, nisi aeris forma substantiali cedente. Siquidem incompossibiles hę formę sunt, idem in cęteris videre est. Sunt itaque tria transmutationis rerum naturalium principia. sed non item tria rerum naturalium principia. Duo enim sunt & non plura.

CAPVT V.

De materia vt est alterum principium rerum naturalium.

ADuerteudum est autem hoc loco, cum materiam dicimus rerum naturalium esse principium eamq; alteram esse hatură, accipi debere non (vt vulgo solet)

pro qualibet materia etiam artificiali, quemadmodum aurum, argentum, siue lignum statuæ ex aliquo ipsorum factæ dicitur esse materia. Pro quo est intelligendum duplicem distingui solere materiam, nempe primam & secundam.

Secunda materia dicitur, quæ ex alia vlterius materia tã quam ex parte essentiali componitur, neque pura potentia est, sed formam etiam in se includit, vt partem substantialem sui. Quemadmodum cum in exemplo supra adducto aurum vel argentum dicit materia statuæ aureæ siue argenteæ, quoniam ex ipsa & forma per artem inducta, vna cõponitur res artificialis, quæ statua dicitur. Non est tamen aurum materia prima, sed secunda tantum, quoniam priorem habet aliam in quam vt in partem resoluitur, ex qua simul cum forma sua substantiali componitur, sic item compositum ex materia & prima forma sua substantiali corporeis, materia prima non est, sed secunda tantum. Atque hanc quidem materiam secũdam, non est difficile, ne rudibus quidem intelligere. Cæterum ad intelligendum secundum veritatem & proprietatem, quid sit prima materia, quæ hic natura esse dicitur, & principium alterum substantiale rerum naturalium, subtiliorem adhiberi oportet mentis contemplationem, & intelligentiæ aciem fixius intendere. Neque satis rectè potest intelligi, nisi per comparationem ad formam, quemadmodum ait Aristoteles, materiam per analogiam ad formam esse cognoscibilem, id est, per comparationem & relationem ad formam, sicut & omne relatiuum per colationem cum suo correlatiuo melius atque perfectius intelligitur, neque satis vnũ absque altero potest agnosci,

Dictum Aristotelis notatu dignũ.

CAPVT. VI.

Quid sit materia prima, & quomodo cognosci debeat, quodque non sit propriè ens nominanda,

ESt igitur materia prima, primum vniusque subiectum, ex quo quoppiam eo fit pacto, vt non per accidens insit, & si corrumpitur, ad hoc vltimum sane proficiscetur.

Universidad de Deusto Biblioteca

Quorum verborum hæc est sententia, materia primaest subiectum primum & vltimum omnis formæ, tam substantialis quàm accidentalis: & velut nouissimum substerniculum, quod in se formam substantialem recipit, formæque substernitur, cum ea rem naturalem pariter componens, ita vt si quam rem naturalem per ablationem omnium formarum corrumpere contingeret, ad ipsam materiam nudam deueniendum esset, verum hoc impossibile, quemadmodum & ipsam materiam omni forma spoliari. Vbi cum dicitur subiectum primum & vltimum, excluditur omnis materia secunda. Ipsa enim tametsi alterius formæ subiectum sit, subiectum tamen primum siue vltimum non est quod ex sua materia & sua forma tanquam ex partibus componitur, sed vlterius siue prius subiectum habet, illud formæ habitaculum & substerniculũ, quod in se formam nullam habet tanquam sui partem, sed tantum accidentaliter velut hospitem recipit formam substantialem, vt vna cum ea non seipsam, sed rem naturalem componat. Materiam ergo primam intelligere volens, ad illud substerniculum vltimum debes intellectum cõuertere, in quo non includatur tanquam pars eius vlla omnino forma. Donec enim formam simul intelligis vt partem, materiam primam non concipis.

Materia enim ex se pura potentia est, & quasi nihil per se, hoc est nullam formam sibi habens intrinsecam, ex qua componuntur, neque ad aliquod particulare esse determinata, cum formam nullam habeat intrinsecam, cuius est dare esse determinatum, sed fieri ex ea potest qualibet, secundum aduenientium formarum varietatem, Itaque per se quidem nihil esse videtur materia, nec simpliciter ens dicenda, neque simpliciter res. neque bonnm, sed quasi nihil. Est enim nihilo viciniſsima, & inter omnia qnæ à deo creata sunt aut facta imperfectiſsima. Quare inter omnia, ab optimo & summo & veriſsimo ente deo domino quàm longiſsimè distat, cum ipse sit esse pleniſsimum & perfectiſsimum, actuſq; purriſsimus nihil habens potentię admixtum. Illa verò est mera potentia, nullam habens essentiæ stabilitatem, nullumque proprium esse, sed à forma tantum quodammodo esse mutuat accidentale, vtquoties de forma in formã transit, toties suum quod habet accidentarium esse commutat,

Materia prima nihilo viciniſsima

Quemadmodum accidentium subiecta, quoties de accidente in accidens transeunt, prius esse accidentale, quod secundum formam abeuntem habebant perdunt, & nouum esse accidentale, secundum qualitatem aduenientem, acquirunt. Veluti cum homo qui albus erat, fit niger, perdit esse album quod habebat, & inquirit esse nigrum quod non habebat. Ita cum materia prima de forma aquæ sub qua fuit, mutatur vt sit sub forma ignis, desinit esse materia aquæ, & fit ignis.

CAPVT VII.

Quemadmodum materia non sit actiua, & à deo longiſsimè distet,

ILlud verò de materia diligenter considerandum est, quod mera potentia sit, nihil actus in se essentialiter habens, ac proinde susceptiua tantum est atque passiua, nulla autem ratione actiua. Forma enim à qua est esse, ipsa etiam est à qua omnis procedit actio atque motio, & omne quod agit, per formam agit, quemadmodum & omne quod est, per formam est hoc ipsum quod est. Vnde quanto formæ rerum sunt perfectiores, tanto res ipsæ quarum sunt formæ, nobiliores habent actiones, atque dispositiones perfectiores. Quemadmodum anima rationalis (quæ est omnium formarum nobiliſsima) nobiliſsimas dat homini præ omnibus creaturis operationes, quemadmodum & celestes formæ, suis corporibus dant potentiſsimas. Vnde & formæ illæ immateriales (cœlestes dico spiritus) quæ sunt formæ per se subsistentes, & actus puri, non potentes cum materia cõmiscere, potentia atque virtute longè superant cætera creata omnia atque adeo rationalem ipsam animam, quatenus cum materia habet naurale commercium. Et super omnia beneditus deus qui est forma perfectiſsima & actus puriſsimus super omnes formas alias creatas materiales & immateriales. nihil prorsus habens admixtum potentiæ, in infinitum potentia, virtute, sapientia, & omnibus perfectionibus superemineat creatis omnibus quantũuis in suo genere præcellẽtibus. ¶ Qua in re meditatio sese offert nõ iniucunda, ei qui materiam velit tanquam entium infimum & nouiſsimum ac nihilo proximum, cum deum qui est entium primũ supremũ atque perfectiſsimum, & à nihilo prorsus elongatiſsimum,

Trãsuectio in consideratione diuinæ perfectionis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

velut ex oppositio comparare atque contra opponere. Quémadmodum enim materia pura existens potentia, nihil habés in se actus intrinseci, omnium maxime passiua est, & tantum passiua, nulla verò ratione actiua, sic ex aduerso deus purus actus existens, & forma perfectissima, nihil omnino habens admixtum potentiæ, maximè actiuus est super omnia (iuxta Apostoli dictum) in omnibus operans omnia, nulla tamé ratione passiuus, vt à quoquam quicquam possit susci-
1.cor.12, pere. ☞ Et quemadmodum materia cum ab omni agente naturali passibilis sit, & ad quælibet susci-pienda indifferens, quecunque a quolibet fuerint prædominante agente impressa, non potest tamen per se quicquam omnino agere. ita econtrario Deus cum ad quælibet agenda sit indiferens, & omnis actionis principium, omnia agens ac mouens pro suo libito, non potest tamen pati quippiam a quouis agente, imo nec a seipso, quemadmodum nec in seipsam aliquid agere potest materia. Et quemadmodum cum multa accipiat in sese materia, nil tamen ipsa cuiquam donat, ita econtrario omnis potens Deus cum omnia donet omnibus, omnibusque rebus suum esse instillet, & cæteras perfectiones omnes dispenset, nihil tamen ipse a quoquam accipit, neque accipere potens est. Est ergo materia omnium entium imperfectissima, a deo quam longissime distans, & nihilo atque non enti
Quæstio, vicinissima, neque vicinius quicquam nihilo potest imaginari homo, aut Deus fabricare. Imo non ens simpliciter dicenda est, & non ens in actu, sed tantum ens in potentia, tali nimirum diminuente determinatione adiecta.

CAPVT VIII.

☞ *Quomodo Deus materiam creare potuerit, & an dignum fuerit, tam imperfectißimam rem illum creare.*

Solutio. CVM autem inter agens & effectum oporteat esse si-
quæstionis, militudinem forsitam mirum cuiquam videri poterit, quemadmodū Deus perfectissimus atque purissimus actus & forma simplicissima, aut potuerit aut voluerit hanc impuram potentiam creare. Nam inter infinitam & puram formam, & finitam potentiam nihil actus habentem, nihil apparet similitudinis. Soluitur autem ista dubitatio hoc pacto, quoniam materiā nō per se creauit Deus, quasi ens aliquod per se subsistens aut quasi hoc aliquid, sed cō creauit potius

cum re naturali, cuius in creatione erat materia, fecitque eā Deus esse sub forma, quam in se recipit, sub qua quodammodo esse habet, atque ita etiam quodammodo Deo assimilatur, quatenus est sub forma ipsius rei naturalis cui ipsa substernitur. Neque simpliciter creatura dicenda videtur, neque simpliciter creata, sed potius concreatura siue concreatum aliquid cum re naturali. Ex quo consequi videtur satis manifeste, quod ab initio conditionis rerum Deus materiam non fecerit, neque creauerit absque formis substantialibus. sed omnem materiam sub aliqua certa forma produxit, cœlestem quidem materiam sub forma cœlorum, elementarem verò sub forma elementorum, tametsi formis vlterioribus, per subsequentes sex dies diuinæ operationis, postmodum fuerit completa. Ex hoc etiam patet, materiam non posse sine forma secundum naturam existere, neq; esse possibile, vt materia omni prorsus forma sit nuda atque spoliata, neque vna vnquam posse spoliari, nisi adueniente altera. Imò neque Deum hoc posse (vt materiam videlicet sine forma creet, aut concreatam per se seruet, absque omni forma) probabilis quorundam sententia est. Aiunt enim, à quo Diuersa
omnis forma aufertur, ab eodem similiter omne esse auferri, opinio.
cum forma sit, quæ dat esse rebus. Alijs contra sentientibus, Deo non esse impossibile, quod naturæ possibile non est, sed potuisse Deum & ab initio sine forma creare materiam, & etiam nunc eā sine omni forma seruare, licet sub forma creatam. Vtra verò sententia sanior debeat haberi, nostro non stat iudicio, quapropter vtramque in sua probabilitate relinquimus. Nemo verò existimet Deo perfectissimo indignum, quod tam vilem rem creare voluerit, quæ sit nihilo vicinissima. Imò verò hac in re admodum magnificauit potentiam suam qui est omnipotens, dū eam sic demonstrat validam, vt possit etiam in vltimū illud & imperfectissimū, quod à sua essentia quàm longissime distat: attingens à fine vsque ad finem fortiter, id est, à perfectione naturæ angelicæ, vsque ad imperfectionem huius prope nihili.

CAPVT IX.

☞ *Nulla creata virtute fieri posse materiam, sed in omni actione naturali eam præsupponi.*

Dictu Aristotelis notandum.

NVlla vero est tam potens creatura, quæ possit creare vel minimam quantitatem materiæ. Infinitæ, enim hoc est virtutis tantum, nempe diuinæ, facere aliquid ex nihilo, quemadmodum innuit Aristoteles, cum ait, ex nihilo nihil posse fieri. Nam si creatura aliqua materiam primam faceret, necesse esset illam ex nihilo fieri, sicque creari. Non potest autem creatura creare, neque ex nihilo quippiam efficere. Potest enim creatura cum influxu dei cooperante, rem quæ aliqualis est in potentia, efficere vt talis sit actu, quemadmodum ignis ex ligni materia, quæ est in potentia ad formam ignis, potest facere ignem actu, introducendo in eam, formam suæ formæ similem. Cæterum quod in potentia non est, creatura facere non potest vt potẽtia sit. Hæc ergo causa est, quare cum agẽs naturale aliam rem naturalem possit efficere, quemadmodum de igne alium ignem producente iam mõstrauimus, materiam tamen producere nõ potest, quoniam maioris potentiæ est hoc, quàm illud. In omni itaque actione quæ fit à re naturali, præsupponitur materia in qua forma suscipiatur quemadmodum & omnis artifex, non nisi ex materia quicquam efficit, neque item agens naturale quodcunque. Quemadmodum ignis nunquam nisi ex præiacenti materia ignem facit. Sicut autem diximus de creatione, ita & de annihilatione dicendum est. Rem enim quæ actu est aliquid, potest agens naturale efficere, vt talis actu non sit, hoc est, potest formas rerum destruere atq; expellere, non potest autem efficere vt res potentia talis nõ sit. Illud enim (nempe formam expellere ex materia) finitæ virtutis est: Hoc vero (scilicet materiam in nihilum redigere) infinitæ, quæ nulli competit creaturæ. Quin & illud probabilior tenet sententia, non posse talem aliquã creaturam à deo, licet potentissimo creari, cui virtus illa competat creandi siue annihilandi: neque virtutem hanc vlli creaturæ quantumuis nobilissimæ, siue creatæ siue creandæ communicari posse, sed eius solius omnipotentiæ conuenire. Solus est deus in cœlestibus sursum habitans, qui potuit vniuersam hanc mundi machinam & molem permaximam, ex nihilo & materia nusquam præinuenta creare, & eandem potest cum voluerit etiam nunc vsque in nihilum redigere. Subest enim illi, cum voluerit posse.

Sap. 12.

CAPVT X.

Quomodo ex materia ingenerabili & incorruptibili secundum sese transitur ad diuinitatis consyderationem.

MEditari hoc in loco possumus, quàm sit stabilissimus in sua essentia Deus, actus purissimus & perfectissimus, ipsumque suum esse infinitum existens, si sic permanet stabilis, quantum ad se attinet, imperfectissima ista materia, quæ à Deo est longissima, & nihilo vicinissima, sola sic eam conseruante diuina voluntate. Tametsi enim secundum formas tam substantiales quàm accidentarias plurimum ipsa varietur accidentaliter, in se tamen essentiali mutatione & intrinseca manet prorsus inuariata, neque corruptioni est aut generationi, vt cætera corpora naturalia inferiora, subiecta, adeo vt ab initio creationis rerũ, de immensa illa mole materiæ, sub qua creata fuerunt cœlũ & terra & quæ in eis sunt omnia, nulla materiæ illius particula ne minima quidem deperierit, actione naturalis agentis, quemadmodum neque minima particula adiecta est, eadem virtute. Idque non ob aliud, nisi quod secundum suam existentiam vel non existentiam, soli subsit diuinæ voluntati: agentibus vero naturalibus, non nisi secundum formarum & accidentium transmutationes, est subiecta. Quantumuis enim humana potentia sæuiat, quantumuis ab perditionem omnimodam conetur, nunquam vsque ad annihilationem pertinget. Poterit quidem efficere vt moriatur homo, & quæ materia erat hominis iam esse incipiat materia cadaueris, deinde & hoc poterit, igne adhibito, cadauer ipsum in cinerem atque puluerem redigere. Verum etiam si mille syluas in vnius consumptione cadaueris adhibeat, ad hoc nequaquam pertingere valebit, vt puluerẽ annihilet. Dispergere quidem poterit in aerem, aut in aquam aut in terram abdere: facere autem vt aliquid materiæ perdatur, in omni virtute ĩua & consilio non poterit. Atque hinc rursum ratio humana consyderet, si omnis creata virtus aduersus ipsum quod est omnium vilissimum non possit prævalere, quodque est nihilo proximum ad nihilum non potest reducere, is qui est actus purissimus, forma perfectissima, esse infinitum atque plenissimum, quique est à nihilo in infinitum elongatus, Deus omnipotens quàm sit prorsus creatæ omni

Alia contẽplatio.

virtuti subtractus, & quàm aduersus illum omnis creata virtus, etiamsi millecuplo augmentetur, omnino nihil præualere possit.

CAPVT XI.

Consurrectio in viuificum Dei affectum, ex præcedentium contemplatione mirabilium.

Gene.1. TIbi ergo soli domine Deus, debetur creationis honor & gloria. Tu solus non eges quopiam, vt tibi præparet in tuo opere materiem. Nihil erat mundus, & solo eum verbo suscitasti, prodiitque de nihilo hæc amplissima creatura. Sed nec quisquam est, qui nobis possit auferre vel pilum de capite, vt in nihilum pereat, præter te, qui solus es Luc.1. potestatem habens creandi & annihilandi. Quare ergo piissime domine, timebimus vllam huius mundi potestatem? Mat. 10 cum nec animam interimere, nec corpus annihilare valeant. Vnum hoc tu domine reliquisti impijs persecutoribus, vt possint animam te sitientem ab inimica fœdissimaque carnis huius molestia separare. Quod quid possit homini te vere agnoscenti gratius euenire? Cæterum, neque corpus neque animam creata vlla potestas annihilari potest. Igitur in te domine sperantes, tuoque validissimo fulti auxilio, nullam omnino mundi huius pertimescimus quantumuis præcellentem potestatem: illud firmissime scientes, quoniam tua virtus superuincit in immensum, sed confidenter in doTit.2. ctrina benedicti filij tui perstamus, expectantes beatam spē, & aduentum tuum glorioſnm, O maxime deorum Deus, quē ipse repromisit nobis,

CAPVT XII.

De forma vt est alterum principium rerum naturalium, & obiter de materia cœlestium atque inferiorum, an eiusdem sint speciei.

QVod ad mareriam pertinet, res omnes cognatæ sunt & secundum speciem aut genus penitus indistinctæ, Siquidem in omnibus naturalibus, præcipue inferioribus istis vna est eadémque materia. Nam de materia cœlestium corporum, propter ipsorum incorruptibilitatm dubitari solet, ob hoc potissimum, quod non videatur cœlestium corporum materia esse alienarum impressionum susceptiua, neque videtur transire de forma in formam, sed perpetuo sub eadem forma, eisdem dispositionibus permanere: quodlongè est à materia corporum horum inferiorum elementarium atque mixtum. Qua ratione permoti opinantur quidam, distinctionem esse ponēdam specificam, vel genericam, inter materiam cœlestium ingenerabilium & incorruptibilium, & inter materiam elementorum atque cetero mixtorum generabilium & coruptibilium. Aliis econtrario dicentibus, non esse ponendam distinctionem vllam talem, siue genericam, siue specificam, sed omnem materiam eiusdem esse rationis: aliis dicentibus illam cœlestis materiæ intransmutabilitatem non ex ipsa sua natura prouenire, sed ex conditione & virtute formarum in ipsis inhabitantium, quiquis tantum Deus naturæ virutem contulit, vt nullam extraneam impressionem patiantur materiam in qua creatæ sunt, susciperе, neque de forma in formam transire: quemadmodum in rebus quoque naturalibus videmus quasdam ex sua natura ad annorum centenarios perdurare, secundum formā inuariatas, cum aliæ breuissimo intereāt spatio, quod non dubium est ex formarum prouenire varietate. Quanquam autem his modis de materia cœlestium & inferiorum diuersa sententia est, illud tamen vno ore astruūt omnes, rerum inferiorum omnium vnam eandamque esse materiam, atque ita quantū ad hanc secundū specie indistinctas Cæterum, ipsa rerum ab inuicem distinctio substātialis arque specifica, à formis est substantialibus.

Contrariæ opiniones de materia cæli.

Siquidem forma est, per quam res actu est, & in certam aliquam speciem redigirur, quæ ex materia prorsus in determinata est, & in potentia ad quodlibet. Forma itaq; in materia suscepta & producta, cū ea pariter rem vnā substantialiter componit, & materiæ quodāmodo esse cōmunicans accidētaliter, & composito dans esse substantialiter & essentialiter. Ab anima enim rationali habet homo, vt homo sit, materia verò prima, tantum hoc, vt materia humana sit.

„Quid „forma „ Analogia.

CAPVT XIII.

Ex massa ceræ & impressione sigilli per analogiam declaratur formæ officium.

VT autem clarior fiat formæ cognitio, analogiā quandam & comparationem assumimus ceræ & formæ sigilli per quam vtcunque comprehendi poterit for-

Analogia.

mę officium atque natura. Sicut enim massa ceræ ex se nullam habet imaginem aut formam, sed iuxta sigilli variam sculpturam nata est suscipere diuersas formas, siue hominis, siue leonis imaginem, siue alterius cuiuslibet animalis, dum tamen sub vna qualibet est, pariter nequit esse sub alia, nisi prior abiiciatur: vt cum in cera impressa est leonis imago, nó potest in eam introduci hominis imago, donec abiiciatur prior leonis. succesiuè tamen indifferenter quamlibet suscipere potest impressionem. Ita sane materia, ex sese ad omnẽ prorsus formam indifferens est & indeterminata, iuxta autem agentis supra ipsam dominium obtinentis naturam, impressionem recipit formæ: iuxta omnem formæ varietatem esse varium suscipit. Forma verò esse accidẽtarium dat materię, & eius indifferentiam suo aduentu sic stringit, vt pariter secum aliam suscipere nequeat. Quod quidem de formis vltimis debet intelligi. Nam inconueniens non est plures formas substantiales simul eidem inesse composito, cum ambæ non vltimæ fuerint, aut etiam cum altera fuerit non vltima. Quemadmodum forma corporeitatis, secundum eos qui eam distinctam ab vltima forma in omnibus corporibus ponunt, simul est cum anima rationali, & secundum eorum sententiam, qui tres animas distinctas reponunt in homine, simul sunt anima vegetatiua, sensitiua, & rationalis. Formas autem vltimas impossibile est eidem simul inesse, cuiusmodi sunt forma hominis, equi & asini, forma ignis & aquæ. Succesiuè tamen potest quaslibet formas quantumuis contrarias æquè recipere, modo adsit agens quod formam introducat, alia quæ prius inerat expulsa.

CAPVT XIIII.

Quomodo forma esse aut non esse dicenda sit.

RVrsum & illud in prepositа analogia aduertendum, quòd sicuti figura illa aut forma quæ in ceræ massa per sigilli impressionem relinquitur, non apparet esse in sigilli imprimentis sculptura, ita forma cum det esse rei naturali, ipsa tamen non hoc esse dicitur, quod composito donat vt sit. quemadmodum (exempli gratia) donat homini anima rationalis, vt homo sit. Ipsa tamen homo non dicitur, neque est. Imo forma cum det esse rebus, ipsa tamen non tam esse per se, quàm coexistere vel inesse dicenda videtur.

Non enim est forma, eo modo quo hoc aliquid siue cõpositũ naturale est, aut quasi per se subsistens, sed tanquam inexistens, quemadmodum de accidente dici solet, quod eius esse sit inesse. Accidens enim quolibet esse dicitur, non quia ipsum per aliquid est, quomodo res naturalis per formã est: sed magis quia per ipsum subiectum cui inest, aliquale est. Sic etiam substantialis forma eatenus est, quatenus per ipsam res naturalis est, non quatenus ipsa per aliquid est, vt magis propriè dici debere videatur ipsa inesse rei, aut rem informare, quàm simpliciter esse. Loquimur de formis purè naturalibus, & quæ nullam habent per se subsistentiam. Rationalis enim anima, quatenus per se subsistens, à corpore separatim potest permanere, eatenus per se ens, nõ solum inexistens, rectè nominari potest. Et formæ illæ immateriales angelicæ, per se entia, & quidem nobilissima entia sunt. Super omnia verò forma illa purissima, & actus perfectissimus atque inæstimabilis, ens primum est atque supremum, imo totius essentiæ plenitudo, non per se tantum fœlicissimè subsistens, sed omnium insuper rerum essentias, in suo esse plenissimo, benignissimè continens atque concludens.

CAPVT XV.

Comparatur forma aliquatenus cum Deo secundum similitudinem & vicinitatem.

QVemadmodum verò supra diximus de materia, quod à Deo quàm longissimè distet, & penenihil habeat cum illo similitudinis, ita econtrario de forma videtur, eam nimirum esse Deo adsimilem, Deoque vicinam, cum sit etiam ipse forma quædam perfectissima, & actus purissimus. Neque dificile fuerit ei qui rectè intellexerit suprapositam materiæ ad Deum comparationem, quæ secundum dissimilitudinem fiebat, formæ quoque ad Deum per simtlitudinem applicare. In omnibus enim ijs comparari forma secundum similitudinem cum Deo poterit, in quibus materia dissimilis fuit declarata, tametsi in immensum semper excellat diuina perfectio, & in infinitũ ab ea deficiat formæ similitudo. Nõ fuerit autem inutile, ad formæ clariorem habẽdam notitiam & potissimum ad Dei perfectiorem aliquanto habendã cogniti onem, adinuicem ista comparare, & in quibus simili-

tudo sit atque etiã dissimilitudo ostendere. Deus itaque sicuti actus purus est & simplicissimus ex materia non cõpositus, ita & forma rei naturalis actus est & simplex, ex materia non cõpositus. In hoc tamen à Dei perfectione defficit, quoniam cum materia quæ est potentia pura, cõmunicat atq; societatem habet, in ea inhabitans, & cum ea pariter rẽ naturalẽ cõponens, cũ Deus nullã omnino potentiam secũ admittat, neque cõpositionẽ sciat. Rursum quẽadmodũ Deus summe actiuus est omnia operans in omnibus, quatenus actus purissimus & perfectissimus atque infinitus, ita forma omnis substantialis, virtutem habet agendi, operaturque in corpore omnia quæ sunt rei quam constituit conuenientia. Verum in hoc deficit, quòd limitata sit eius actiuitas, vt non quemlibet possit effectum indifferenter operari, sed tantum quæ rei conueniunt quam componit cũ Deus infinita & illimitata sua virtute operetur omnia in omnibus, & nulla omnino sit actio, quæ ab eius non emanat immensa virtute.

Iterum in hoc cum Deo conuenit, quoniam principium actiuum existens, pati non potest, neque aliunde quicquam suscipere. Sic enim forma principium tantum actiuum est nõ autem passiuum, quomodo materia tantum passiua est, non autem actiua. Neque ipsa alias nouit in se formas, potissimum corporeas suscipere, neque secundum eam res naturales patitur. A diuina tamen perfectione adeo deficit, vt etiam ad corruptionem contrariante virtute peruenire, cum eam prædominari contigerit. Amplius quemadmodũ deus esse donans rebus, & omnia omnibus elargiens, nihil ipse recipit, neque recipere potens est: ita forma substantialis cum esse donet rebus, atque ipsi etiam materiæ, & omnia in eis quæ conueniunt operetur atque elargiatur, ipsa tamen à materia vicissim nil recipit. In hoc tamen deficit, quoniam illæ omnia largitur omnibus, hæc autem suo tantum composito atque etiam peculiariter, quantum ad materiam, nullum illi donat esse intrinsecum, cum Deus rebus omnibus hoc ipsum donet, quod subsantialiter sunt. Et Deus quidem nec recipit aliquid ab iis quibus benefacit, neque commodũ vllum accipit. Forma verò in materia, vt in domo necessaria inhabitat, & ea vtitur vt officina, extra quam prorsus nec existere possit, neque quicqnam operari, nihilo certe amplius

quàm materia ipsa sine forma. Patet ergo, quemadmodum forma Deo sit adsimilis, eique secundum qualemcunque similitudinem tametsi deficientem, vicina possit demonstrari.

CAPVT XV.

Quemadmodum materia dicatur appetere formam, tam absentem quàm præsentem.

Appetitus varius.

SVpereſt nunc, de mutuo amore atque appetitu materiæ ad formam, & formæ vicissim ad materiam vt aliquid dicamus. Neque enim nihil huius rei cognitio, Dei gloriam magnificabit. Aduertendũ ergo est, quod sicut rationalibus creaturis. Deus appetitum dedit rationalẽ quæ voluntas nominatur, per quam ea quæ secundum rationẽ sibi cognoscũt vtilia appetunt, absentia desyderando, præsentia amãdo, ea vero quæ inconuenientia fugiunt, absentia detestando, & de præsentibus tristando: Brutis vero animantibus appetitũ sensitiuum, quo ea quæ per sensum vt commoda apprehendunt, prosequerentur, itidẽ & incommoda fugerent, sic rebus naturalibus sensu atque ratione carentibus, naturæ author Deus naturalem quendam instillauit indiditq; affectum siue appetitum, atque desiderium quo res quælibet naturaliter suã perfectionem appetit, atque id quod sibi secundũ naturã conueniens est, diligit, ita vt si adsit, in eo cõplaceat, & velut oblectetur: si vero absit desyderet, atq; ad ipsum acquirendũ, quantũ ex se est, tendat atq; conetur. Quẽadmodũ aqua, naturaliter frigus desyderat, & locũ deorsum. Et quidẽ vbi præsens adest frigiditas, oblectatur & gaudet in ea, eamq; quoad valet seruare conatur. Si forsitan adfuerit, ab extrinseco nimirum agẽte expulsa, non quiescit donec illã rursum in sese recuperet. Sic lapis si in naturali est loco, quiescit & oblectatur in eo sine violentia. Si vero extra illũ alibi detineatur, desyderabit nihilominus eundẽ, & ad eũ quantũ ex se est conabitur vt tendet atq; perueniat, moxque vbi forte impedimentũ ipsum detinens fuerit subtractũ, illuc motu festinabit, quo prius tendebat desyderio. Hoc modo imperfectũ omne (vt diximus) suam amat perfectionẽ, & illud appetit atq; desyderat, à quo habet perfici. Quapropter, cum ex supradictis euadat manifestũ, materiã accipere suam quandam perfectionẽ à forma, per quam nimirũ eius infinitas finitur, & indifferentia stringitur atq; limitatur, & à qua esse accipit

accidentarium & accidentarias alias dispositiones, quibus suo quodam modo perficitur, non est difficile intelligere, quo modo materia formam appetat ac diligat, ita vt absentem desyderet atque ad eam tendat: præsentem vero amet, inque ea complaceat, nempe vt id quod imperfectũ est, suã appetit perfectionem.

CAPVT XVII.

Quemadmodum forma appetat materiam.

CÆterum, quomodo forma perfectio, materiam rem imperfectissimam ac nihilo vicinissimam appetat, mirum forsitan cuiquam id videatur. Oritur autem hæc admiratio ex humani cordis peruersitate. Sic enim vani sunt filij hominum, vt nõ ament neque desyderent nisi eos à quibus emolumenti aliquid sperent. Neque nisi vilem hunc nouerunt & mercenarium amorem, quo materia formã & inuicem se filij huius sæculi amant, Nimirum vilissimis rebus & infimis (materiæ, & crassis carnalibus) vilis eiusmodi & infimus competit amor. Cæterum, est præterillum alius amor longe nobilior, quo perfectum omne imperfectum amat atque desyderat, non vt ab ipso accipiat aliquid, sed in hoc magis vt ipsum perficiat. Et sic sane forma gaudet egenti atque nuda materia, quod ab optimo creatore accipit gratis, libenter elargiri, quasi intelligat bonum quo communius, eo melius ac perfectius esse. In hoc enim diuinæ largitati multum assimilatur, quæ nos non ob nostra diligit (siquidem bonorum nostrorum ipsa non indiget) sed ob seipsam potius diffundendam, suámque immensam bonitatem in nobis communicandam. Quanquam ex supradictis constet, materiam etiam formæ esse necessariam, & maximo omnino vsui, vt in ea habitet, & quasi in officina omnẽ suam operationem operetur atque seruet, vt hac quoque ratione ipsam merito debeat expetere, quemadmodum non solum fœmina appetit virum, sed econuerso vir etiam, licet perfectior, fœminam.

Psal. 15.

CAPVT XVIII.

Proponitur quæstio de rationali anima, an etiam ipsa materiam appetat.

VErum, quantum ad hanc rem attinet, peculiaris quædam dubitatio de rationali anima (quæ forma sub

stantialis est hominis) moueri rationabiliter potest, num etiã ipsa, vt cæteræ substantiales formæ, à materia inseparabiles, materiam appetat naturaliter, Videtur enim & ratione & authoritate monstrari, quod ipsa magis odio debeat erga corpus affici, in quo inhabitat. Ratione quidem sic: Omnis enim res, naturaliter in eo magis statu esse desyderat, in quo sibi melius esse sentit, & in quo operationes sibi conueniẽter magis debite magisque rite possit exercere. Rationalis autẽ anima, per corporis huius crassitiem ita obuoluitur, vt operationes suas nobilissimas quas habet, nempe intelligere & velle minus recte possit exercere, quàm si ipsa à corpore foret separata. Sic enim anima rationalis corporis crassitie impeditur, quomodo oculus alioqui recte dispositus, pellicula obuolutus clare rem ipsam cernere nequit. Iuxta illud sapientis, Caro quæ corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Videtur ergo anima naturaliter desyderare magis, vt à nube carnis huius separetur, quàm vt ei coniungatur. Neque præsens corpori videtur in eo posse oblectari, neque absens ipsum desyderare, quod in præstantissimarum suarum operationum exercitio sibi nouit præbere impedimentum. Rursum, videmus formas illas immateriales spiritus cœlestes materiam non appetere. Videbitur ergo & anima rationalis, tametsi forsitan in materia oblectetur, donec in ea inest, cum tamen fuerit separata, iam illis modo quodam per se subsistendi assimilata, non vltra ad materiam trahi desyderio. *Quæstio de anima rationali in materia.*

Accedit his, sanctarum scripturarum authoritas sanctorumque patrum testimonia. Beatus enim Paulus dissolui cupit, & corpore magis exui, vt Christo domino possit coniũgi. Et idem ipse de corpore mortis huius alio loco quærit liberatorem. atque alio rursum, in hoc corpore grauatus ingemiscit, sciens quoniam si terrestris ista domus corporalis huius habitationis per mortem dissoluatur, domum habituras sit à Deo non manu factam, id est, gloriæ æternæ accepturus mansionem. Sancti quoque patres, corpus istud quod circunferimus, carcerem siue ergastulum & exilij locum, atque alijs huiusmodi varijs nominibus nominandum putauerunt. Nemo vero est, qui non de ergastulo & loco carceris libenter velit liberari, neque liberatus quisquam ad lo-

Phi. 1.

Rom. 7.

2. Cor. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum eiusmodi quærit redire. Videtur ergo anima quæ in corpore est vt in carcere, nec in eo debere oblectari, neque ipsum absens desiderare.

CAPVT XIX.

Ponitur differentia inter formas materiales & immateriales, quantum ad appetitum materiæ.

PRO solutione autem huius dubitationis sciendum est, diuersitatem esse (quantum ad hanc rem) inter formas prorsus immateriales & quæ prorsus cum materia componi non possunt, cuiusmodi sunt spiritus angelici, & inter animam rationalem, quæ tametsi non ita sit materialis vt cæteræ corporæ, quæ extra materiam non possunt subsistere, est tamen eatenus materialis, quatenus ex sua natura habet, vt cum materia quid vnum (nempe rem naturalem) possit constituere. Quæ enim prorsus immateriales sunt, & cum materia componi non possunt, his procul dubio nullus inest ad materiam appetitus. Quorsum enim appetitus esset rebus à natura datus, qui nunquam posset impleri? Anima tamen rationalis, quoniam ex sua natura hoc habet vt cum materia simul rem possit componere, & quidem rem inter res omnes naturales nobilissimam, nempe hominem, idcirco dubitandum non est, quin ad materiam habeat naturalem appetitum, ita vt & absentem desideret, & præsentem amet. Tametsi enim videatur anima rationalis separata aliquatenus cœlestibus spiritibus similior, dum per se subsistat extra corpus, eo quod tunc sine materia sit, atque ita forsitan perfectior in eo statu videri possit, separata existens, quia tamen ab optimo conditore non separatim ipsa, neque per se, neque propter se creata est, sed in corpore propter hominem ipsum totum, vt ipsa videlicet cum corpore hominem componeret (partes enim propter totum sunt. & non propter partes totũ) idcirco suæ conditionis memor, semper corpus desiderat & amat. Longe vero diuersum est de formis illis cœlestibus, quæ neque in materia creatæ sunt, neque ad simul cum alio rem aliquam componendam, sed vt per se subsisterent, conditæ sunt ab initio.

Differentia animæ rationalis à formis alijs immaterialibus.

CAPVT. XX.

Soluitur proposita superius obiectio, & quomodo carnis corruptionem odio habeat anima, non corpus ipsum, declaratur.

DEa verò quæ in contrarium obiecta videntur, re-
A sponderi debet, ea procedere contra corruptæ carnis miseriam, quæ non ex ipsa conditione primæ materiæ, neque ex corporis natura, sed per accidens ex primi parentis inobedientia, in ipsum corpus intrauit, & per propagationem in omnium posterorum corpora deriuatur. Vnde quoties contra carnem vel corpus, in scripturis aut in patrũ scriptis fit exclamatio, non contra ipsam corporis naturam, neque aduersus corpus ipsum per sese, sed aduersus corruptionẽ & peruersitatẽ & multimodã miseriam in carne humana post peccatum inhabitantẽ, intelligi debet indignatio.

Vnde non simpliciter corpus, sed corpus quod corrũpitur, Sapiens dicit aggrauare animã. Neque Paulus à corpore simpliciter vult liberari, vt ipsum nunquã recipiet, sed à corpore mortis huius, id est, à corpore vt nunc est, hoc est ab ista miseria multimoda, quæ in corpore adhuc inhabitet. Neque Paulus dissolui cupit à corpore, vt corpus nunquã velit recipere: neque sic ingemiscit in hoc corpore, vt prorsus velit expoliari, & corpore omnino priuari: sed ad hoc vult corpore exui mortali & misero, eoque ad tẽpus permanere priuatus, vt ab sorbeatur mortalitas a vita, & recipiat aliquando ex dei munere glorioſũ, quod fœtidũ atq; sordidũ olim deposuerat,

Sapien. 9, Rom. 7. philip. 1. 1. Cor. 5.

Sic etiã corpus istud in eo statu miseriæ quo nunc est obscurum, crassum, corruptibile & tardum, rectè carcer nuncupatur, insuper & ergastulum, & locus laboris atque exilij. Quia donec in eo secundum statum in quo nunc est anima inhabitat, magni laboris opus habet in prauis ipsius cupiditatibus refrenandis atque expugnandis, propter corruptionem quæ ex prima inobedientia in ipso inhabitat. Verum hæc omnia nihil aliud probant, quam animam meritò carnis istam corruptionem, & omnem quæ ex corruptione est, miseriam detestari. Non autem consequitur, quod per se corpus ipsum odio habere aut detestari debeat.

Similiter & quod de impedimẽto dicebatur à corpore in animã veniẽte, ad corporis miseriã & crassitiẽ referri debet.

1.Co.15. Cum enim surrexerit olim virtute diuina corpus hoc nostrum in incorruptione, in virtute, in subtilitate, in agilitate, cæterisque perfectionibus, omni crassitie atque imperfectione ex Dei dono disposita, nullũ erit animæ rationali ab ipso impedimentum, quin in corporeis posita eique reunita glorificato, possit beatifica visione. Deum etiam facie ad faciẽ cõtemplari, & amore inestimabili eo dulcissime perfrui. Et erit tunc quidem animæ plenum gaudium, cum ipsam carnem qua dum viueret homo, velut ministra vsa fuerat, ad hãc gloriam apud Deum bonis actionibus promerandam, sibi viderit in præmij quoqua iucunditate consociatam, & gaudebit indubiè videre in consolatione sociam, quam in labore vitæ habuerat ministram atque adiutricem. Ex his ergo manifestum relinquitur, quemadmodum rationalis anima æquè atque cæteræ substantiales formæ, materiam appetat atque desideret.

1.Co.13.

CAPVT XXI.

De priuatione, vt est principium quoddam transmutationis rerum naturalium.

QVoniam autẽ (sicuti iam diximus) forma perficit materiam, & ad omnem formam esse materia indifferẽs, pœnitus ex se indeterminata, adeo vt quælibet materia omnes omnium rerum formas susc̃ipere per successionem nata sit, quãquam simul eas continere nequeat. Hinc fit, vt materia indeterminate quamlibet fourmam desideret & amet. Vnde & presentem formam atque hospitatem materia amat, & seruare eam absque fastidio cupit, & tamen quoniam indeterminata est, eas quas nõ habet similiter desiderat, atque conatur habere, & genuino quodam natiuoq; conatu ad eas tendit, cupitque de forma transire in formam, qua si hac ratione suæ quærens imperfectioni mederi. Atque ita fit, vt collaboret ad eius formæ quam habet destructionem, dum aliam quærit quæ hanc est expulsura quam habet. Et licet non hoc per se intendat, consequens tamen est, vt aduenientę forma alia, prior licet perfectior, emigret, atque abscedat, atque ita per accidens dum eam desiderat acquirere formam quam non habet, se ipsam priuat ea, quam habebat. ¶ Sane materia omnes pariter formas, si id fieri possetlibens sustineret, optaretque (si fieri id posset) imperii simul omnibus, sed formæ plures si pariter non compatiuntur (de vltimis rerum formis loquimur) sicut nec plurium sigillorum impressiones, pariter in eadem massa coexistere valent. Atque ita aduenięte vna, necessario pellitur altera. Atque ex his patet, quemadmodum priuatio formarum absentiuũ in materia earũ videlicet quas ipsa nata sit habere & actu non habet, causa quædam sit, quare res transmutãtur, & materia rerum naturalium de forma transeat in formã. Quã ob causam dixit Philosophus priuationem conari ad maleficium rei. Atque hinc est, quod vulgo priuationem tertium principium ponunt transmutationis rerum naturalium. Quia enim materia formis aliis substantialibus caret, quas non habet & nata est habere, hinc est quod ad eas tendit desiderio quas non habet, sicque per se ad nouæ formæ acquisitionem ac proinde ad nouæ rei generationem tendit, per accidens verò ad prioris formæ amissionem, atque ex consequenti prioris rei maleficium corruptionem. Non debet tamen priuatio ista principium dici rerum naturalium, sed tantum principium transmutationis rerum naturalium. Non enim rem ipsam substantialiter componit, neque in re manet postquam generata est, sed quoties res aliqua generatur, priuatio illa abiicitur, quæ ad prioris maleficium machinata fuit. Quemadmodum cum in subiectum quodlibet habitus introducitur, priuatio eiicitur, cũ nequeant opposita simul inesse eidem. Vnde cum principia rerum naturalium (vt supra patuit) res ipsas naturales debeant constituere atque substantialiter componere, manifestum est, priuationẽ non esse dicendam principium rerum naturaliium. Transmutationis tamen earum principium, ratione suprapositа poterit admitti.

Dictum Aristotelis notandum,

CAPVT XXII.

Quomodo intelligendum priuationem esse transmutationis principium, & ad rei maleficium conari.

CVM verò in precedentibus diximus de priuatione, quod ipsa ad maleficium rei machinetur, & de materia quod conetur atque laboret ad nouæ formæ acquisitionem, sicque per accidens ad veteris expulsionem, & rei

perditionem, nemo ita intelligat (quemadmodum verborum facies forsitan prætendit) quasi priuationem dicamus vim aliquem habere agendi, per quam ipsa conetur & operetur rei naturalis corruptionem aut materiam virtutem aliquam actiuam similem habere ratione priuationis, per quam ipsa aliquid efficiat ad formæ vnius expulsionem, & acquisitionem alterius. Quo enim pacto priuatio ipsa (quæ ens verũ non, sed entis potius priuatio, & non existentia tantum formæ in subiecto apto eam habere) poterit vllam habere actiuitatis efficaciam? Sed & de materia iam supra declaratum est, agendi virtutem ei minimè competere, neque generare quicquam aut corrumpere, neque destruere posse neque producere. Quod ergo de priuatione dictũ est, eam ad rei maleficium machinari, intelligendum est secũdum occasionem. Siquidem priuatio formæ substãtialis in materia ipsa est occasio, ob quam corruptioni res est obnoxia. Quod ex eius definitionem facile intelligi potest, quæ est hæc.

Formæ priuatio est, non existentia eius in subiecto eam habere nato.

Quemadmodum cæcitas, carentia est & non existentia visus in hominis oculo, qui aptus est potentiã talem in se habere. Hoc itaque modo, quoniam materia apta & nata est habere quamlibet formam, non tamẽ habet nisi vnam sub qua existit, constat, aliarum omnium formarum in ea esse priuationem. Et quoniam sic quãlibet aliarum æquè habere apta est & nata, atque vnam hanc pro tempore inexistentem, hinc fit occasionaliter, vt quacunque virtute agentis naturali superueniente, si ipsam prædominari contingat virtuti formę ipsius quæ inhabitat, materia ipsa statim agentis prædominantis impressionem acceptet, nullo vtique formæ prioris odio, sed ratione inexistentis priuationis, quoniam videlicet & formam istam quæ introducitur non habebat, & habere apta erat æquæ atque eam quam tenebat. Vnde propter hãc indifferentiam, iuxta virtutem prædominantis agentis, semper ipsa materia parata est de forma transire in formam.

Comparatio ad propositam rẽ acommoda.

Quemadmodum ciuitas, quæ in medio duorum regnorũ posita neutri est addicta, seu quasi media & neutra ad vtrũque est indifferens, propter suam hanc indifferentiam frequenter cõtrarios habet siue hospites siue dominos. Vtrumlibet enim regnorum illorum prædominari contigerit, non reluctatur ciuitas illa neutra. Sed & si alter ex regibus in eã ingressus fuerit, superueniens autem alter virtute superauerit, victorem suscipiet, pulso altero, non vtique prioris odio, sed ratione indifferentiæ quoniam prædominatus est superueniens. Et quomodo hac in re dici potest indifferentia illa, causa esse & occasio expulsionis regis prioris, non tamen quicquam efficit neque egit illa indifferentia, siue (vt ita dicam) neutralitas, ita de priuatione dicendum videtur.

CAPVT XXIII.

An in materia corporum cœlestium insit etiam supradicta priuatio?

DE cœlestium vero corporum materia dubitari potest, num habeat etiam ipsa huiusmodi in se priuationem. Si enim similem habere dicatur, videbuntur cœlestia corpora corruptioni quoq; subiecta, cum sit ista priuatio principium transmutationis in rebus naturalibus. Vbi autem eadem est ratio, idem videtur consequi effectus. Quod vero ista priuatio in cœlestium corporũ materia ponenda sit eorum maxime sententiã consequi videtur, qui materiam ponunt eandem specie in cœlestibus, atq; in his inferioribus. Nã si vnius eiusdémque speciei sit omnis materia, videbitur, quomodo inferiorũ istorum materia ex sua natura est indeterminata & indifferens ad omnem formã, & quamlibet apta & nata habere, eam etiam quam nunquã habuit neq; est habitura: ita etiã cœlestium materiam aptã & natã habere quamlibet formã, atque ita cum alijs omnibus careat præter eam quã habet, omnium aliarũ in ea esse priuationẽ. Quod si admittatur, quæstio deinde fiet, quur minus sint obnoxia corruptioni cœlestia corpora quàm inferiora, & quamobrem illorum materia non ita de forma transire possit in formam, quemadmodum materia inferiorum istorum.

CAPVT XXIIII.

soluitur quæstio proposita, & vnde cœlestibus corporibus sua sit incorruptibilitas monstratur.

PRopositæ vero quæstioni responderi poterit, admittendo priuationem qualem diximus etiam in cœlestiũ corporum inueniri materia, neque tamen consequi, vt

materia ipsa ratione huius priuationis transire possit à forma in formam, ac proinde corpora ipsa cœlestia trasmutationi quæ est secundum generationem & corruptionẽ sint obnoxia. Formæ enim substantiales cœlestium corporum, cum sint perfectissimæ in informando suam materiam, sic eam sua perfectione implent, & (licet ex se indifferentem) solidissima dispositione validissimisque qualitatibus stabiliunt, tamque potentes sunt ad se seruandum in ea sub qua ab initio creatæ sunt materia, vt nullum sit agens naturale creatum tantæ virtutis, quod aduersus ipsarum aliquam possit prævalere. Neque patiuntur in suam quã inhabitant materiam, vllam omnino extraneam impressionem vllo pacto repugnantem introduci, atque ita, propter formæ perfectionem fit, vt de forma in formam transire non possit materia. Et quidem rectius videtur ac rationi magis cosentaneum, vt cœlorum impassibilitatem & incorruptibilitatem assignemus ex parte formæ, quàm ex ipsa natura materiæ. Quod vt intelligatur clarius, suprapositam libet analogiam resumere. Ciuitas enim illa indifferens & neutra, quam capite 22. proposuimus, duorum regnorum velut mediam, tametsi ex se sit indifferens & neutra, & iuxta prædominantis regni virtutem, temporis successu, nunc huic nunc illi subiicitur, transitque de domino in dominum: potest tamen, si prævalidissimis turribus, arcibus, castris, muris, vallis, & firmissimo præsidio muniri, diligentissima quoq; adhibita custodia fidelissime obseruari, tam vtique potenter, sapienter, & valide vt spes vltra non videatur contrario domino aliquãdo se posse illius potentiæ prævalere. Quod vbi fuerit, ciuitas illa quæ primum erat indifferens & neutra, atque etiamnum quantum ex se talis permanet, per virtutem nimiam & fortissimam munitionem occupantis & prædominantis, facta est modo quodam eius iam regno & potestati addicta. Neque poterit vltra de domino transire in dominum, aut de regno ad regnum, non vtique ratione ipsius ciuitatis, sed ratione occupantis, cuius potentiæ nimiæ non videtur spes vt aliquando potestas contraria resistat. Sic sane & de cœlesti materia dicendum, propter perfectionem & potentiam formæ potentissimæ in informando, quæ illi data est ab initio, eam de forma in formam transire non posse, quoniam agens naturale deest, quod illi possit vel aliam imprimere, vel suam auferre.

CAPVT XXV.

Quo soluitur superioris obiecti ratio.

AD rationem verò quæ in oppositum obiiciebatur, proponentem, vbi eadem est causa eundem etiam consequi effectum, respondebitur, non esse nisi occasionem similem in cœlestibus & inferioribus, cum priuatio (vt supradictum est) non sit vera causa per se effectiua ipsius transmutationis de forma in formam, sed tantum occasio, & causa sine qua non. Nisi enim in materia esset priuatio formarum absentium, & nisi eas esset apta habere quas non habet, nunquam de forma transmutaretur ad formam. Atque eatenus dicitur priuatio occasio esse, & causa tantum sine qua non, ac consequenter principium quoddam transmutationis huiusmodi. Cæterum, huius transmutationis veram & efficientem causam diximus esse agens naturale, quod prædominans, impressiones formæ inexistenti contrarias, & formæ quam ipsum vult introducere conuenientes imprimit in materiam, sicque eam de forma transire facit sua activa virtute in formam. Quanuis ergo eadem admittatur occasio transmutationis in cœlestibus atq; inferioribus istis, non tamen est causa eadem. Non est autem necesse, quotiescunque eadem occurrit occasio, siue eadem causa sine qua non, vt idem ponatur effectus, quemadmodum securis acuties occasio quædam est, & causa sine qua non sectionis ligni. Non enim secaret securis, nisi acuta. Non est tamen necesse, vt semper fiat sectio, donec est securis acuta: sed veram causam adesse oportet, & sectionem efficientem (hoc est, ipsum secantem) priusquam fiat sectio. Vbi autem defuerit secans, quamtumuis acuta iaceat securis, non fiet, ligni sectio. Ita & in proposito, quia agens inueniri nullum potest, quod effectum eiusmodi producat in cœlesti materia, nempe trãsmutationem in formam aliam, nihil proficit occasio sola. nihil enim prodesse valet præsentia causæ sine qua non, vbi defuerit causa quæ effectum ipsum operetur.

CAPVT XXVI.

Quomodo vim nullam patiantur corporum cœlestium materiæ, in eo quod de forma non transeant in formam

obiectio.

SEd videri forsitan poterit vim pati cœlestium materia, & violenter cohiberi à formis, ne transeat in formas alias. Cum enim ex sua natura dicatur materia cupere transitum de forma in formam, si ab hoc cohibeatur atque impediatur, videtur id non carere violentia. Apparet autem inconueniens admirtere perpetuam talem in nobilissimis illis corporibus violentiam. Verum diligentius attendentes comperiemus cœlestium corporum materiam prorsus nullam vim à suis formis perpeti, imò quietem bonam & stabilitatem cõgruam sic eam accipere, id quod suprapositæ analogiæ consideratio, facile mõstrat per similitudinem. Quomodo enim ciuitas illa ex se indifferens & neutra, nullum patitur violentiæ incommodum, ex eo quod potens ille imperator sic eam sibi firmat munitionibus validis atque diligenti custodia, ad eum modũ quem supra expressimus, imò magis quietem dulcem & bona cõmoda consequitur, dum à perpetua illa instabilitate liberatur, & stabili mãsione in ipsa habitantis imperatoris ornatur, ditatur, perficiturque plurimum. Ita per omnem modum, nulla sit materiæ cœlesti violentia, cum per nobilissimas formas stabili mansione in ipsa inhabitantes, ab instabilitate eiusmodi liberatur, perfectissimis qualitatibus & nobili dispositione semper plenissima, eo quod nobilissimarum formarum sit habitaculum. Ex imperfectione enim est, quod ita instabilis existẽs materia, semper quærat de forma transire in formam. Neque male puerorum cupiditati, materiæ hoc desiderium potest comparari, quas videmus nonnunquam ea quæ in manibus habent, siue cibaria siue alia quælibet proijcere, vt alia quæ forte porriguntur item apprehendant. Neque raro panem aut carnes abiiciunt è manibus, vt lapidem aut carbonem aut aliud vile quippiam apprehendant. Quorum cupidæ instabilitati parentes bene consulunt, neque vim vllam eis faciunt, dum pro cibo quem tenent aliud nihil apprehendere eos sinunt. Sic sane & materiæ frequenter euenit, cum sua instabilitate semper transire gestiat, pro forma nobilissima & perfectioribus qualitatibus sub quibus stabat, formam imperfectiorẽ

Obiectionis solutio.

Instapilitas ex imperfecto est.

& viliores dispositiones vti recipiat, cani illi Aesopico non admodum dissimilis, qui pro carnis vmbra quæ videbatur in aqua maior, carnis substantiam sibi permisit dentibus excidere. Huic verò instabilitati dum forma cœlestis sua perfectione medetur, non solum vim non facit materiæ, verumetiam quiete bona eam perficit, & magno afficit beneficio. *Canis Aesopicus.*

CAPVT XXVII.

Quemadmodum corpora glorificata post resurrectionem, sub suis formis sempiterna atque dulcissima quiete requiescent.

QVod autem nunc de materia & formis cœlestium corporum diximus, idem etiam de materia in hominibus glorificatis post factam resurrectionem dicendum videtur, nulla videlicet violentia eam à suo illo transitu in varias formas cohiberi, neque violenter detineri, sed quiete summa atque dulcissima ex immortalitatis dono, sub suis quanque formis ita firmari atque stabiliri, vt nullo amplius transitu perdere valeant quam habent, vel quam non habent acquirere. In hoc tamen est cõsideranda diuersitas, quod in cœlestibus corporibus formæ ipsæ ex sua perfectione naturaliter ita materiam quam informant perficiunt atque stabiliunt, vt extraneam impressionẽ recipere non valeant. In hominibus autem post resurrectionem futuris glorioſis, non ipsa naturalis animæ virtus hoc præstabit, sed Dei volũtas & beneplacitum, ita vt in beatorum corporibus hoc sit præstitura gratia, & dei bona voluntas per immortalitatis donum gratuitum, quod cœlestibus orbibus ipse naturæ author, secundum primã contulit institutionem. Et quidem quod ad damnatos attinet, quos etiam necesse erit (iuxta sacratissime catholicæ fidei confessionem (tuba canente, in suis corporibus ad iudicium & vltionem exurgere, si in eis ponamus violentiam perpetuam, nullum sempiternum videbitur inconueniens, illic nimirum vbi horror & terror, nullus verrò ordo inhabitat: vbi diuinæ voluntatis iustitia, violenta (quæ natura perpetuo non substinet) suæ diuinitatis potentia ad vltionem eis in æternitate sustentabit. Cæterum, in corporibus beatorum glorioſissimo illo immortalitatis dono ex diuini conspectus

1.Co.15.

Iob.10.

cõsortio factis immortalibus dulcissima vtique pace & quiete suauissima nihil dubium est quiescere pauperculam ex se & egenam illam materiam, cum sua hospita rationali anima, cui vt in peregrinatione laboris olim fuerat ministra, ita in patria, dulcissimæ tunc beatitudinis erit socia. Si enim potest cœlestis corporis forma ab institutione naturæ suam quam inhabitat materiam in se stabilire, eamque in pace & quiete perpetua possidere, poterit & hoc rationalis anima in deum iam absorta, cum plenitudinem acceperit in habitantis in se diuinitatatis, ex dei voluntate, eam videlicet quæ illi restituetur habitationem, stabilem sibi atque perpetuam seruare, sicque sibi firmo fœdere & solidissima colligatione cõnectere, vt vltra ab ea pelli non possit. Similiter & in impijs ad æternam exercendem vindictam, colligationem hãc faciet iustus ille vltor, vt perpetuis tormentis & simplicijs inæstimabilibus, vltra à corpore anima quantumcunque desiderauerit, separari omnino nõ possit. Illis quidẽ ad gloriam æternam, vt ab ea ad quam semel admissi fuerant beatitudine non possint excidere. His verò ad sempitetna supplicia vt cruciatibus diabolo & ministris eius ab initio prę̃paratis, nũ quam valeant abesse. Et hactenus quidem, quæ de rerum naturalium principiis ad omnipotentis Dei notitiam & gloriam conducere videbãtur, pro nostra paruitate tractauimus. Proximum est, vt ad earum causas vtcunque explicandas altero libro transeamus, si prius in ipso libri huius termino ex iis quæ diximus, laudis qualecunque canticum cecinerimus altissimo rerum omnium domino, qui super omnia viuit benedictus in æterna secula, Amen.

Finit ad Dei omnipoentis gloriam Liber primus considerationis Physicæ.

PSALMVS LAVDIIS AD CONCLVsionis terminum, primo & optimo rerum omnium principio.

Confitebor tibi domine in toto corde meo, meditabor in omnibus mirabilibus tuis.

C Non est similis tui in diis domine, & non est secundum opera tua.

Tu solus inhabitas æternitatẽ cum vnigenito tuo, in sancto spiritu semper perfectus atque beatus.

Cœlo tibi opus non erat, vt sederes in eo, terra verò & vniuersa quæ sunt in ea, quem tibi vsum præbere poterunt qui rebus nullis indiges?

Quia voluisti, quando voluisti, sicut voluisti, ita verbo dixisti, & surrexit vniuersa hæc machina, magna nimis.

Ecce non est in omnibus gentibus vir industrius, aut potens artifex, vt suscitet de nihilo, vel puluisculum terræ.

Tu autem ex nihilo fecisti quæcunque nostris sunt obiecta sensibus, molem magnam valde.

Sub materia, non ex materia constituisti hæc omnia, suum cuique pondus librans.

Materia quidem cognata erant, & indiuisa, formarum autem varietate separasti eam.

Quam vnico opere demonstrare nequisti infinitam pulchritudinem tuam, variatis sic rerum speciebus, vti manifestam faceres.

Ecce verò in hoc mirabilis dulcedo sapientiæ tuæ, dum sic diuersissima natiuo nectis amore.

Et quæ per sese inimica vidẽtur, tuo iussu, in separabilis sunt conglutinata dilectione.

Verè magnus es tu, & faciẽs mirabilia, tu es Deus solus, creator omnium, creator cœli & terræ.

Tibi soli laus, honor & gloria, tu es solus adorandus, domine deus noster.

Vt quid domine permittis alienis honorem tuum, & quare eum præripiunt tibi creaturæ tuæ, quæ adorantur in terris?

Intende ad visitandas omnes gentes, & agnoscatur gloria nominis tui super omnem terram, vt non deficiat laus tua de ore nostro in sempiternum.

Gloria patri, & filio, & spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.

C

LBER SECVNDVS PHY
SICÆ CONSIDERATIONIS
de cauſis rerum naturalium.

PRAEFATIO.

OMNE quod creatum eſt, aliquam neceſſe eſt ſuæ exiſtẽtiæ habeat cauſam, etiam angelica ipſa, licet nobiliſsima creatura. Omnia ſiquidem quæ creata ſunt, manifeſtum eſt ab eo qui ipſa creauit atque effecit, ſuum eſſe accipere, & ſuum effectorem ſuæ exiſtentiæ cauſam habere. Neceſſe item eſt, ad finem omnia ordinari, propter quẽ creata ſunt, & ad ſuam ſingula exiſtentiam perducta. Atque ita quidem efficientem & finalem cauſas omnia quę ſunt creata & viſibilia & inuiſibilia, ſpiritus & corpora, neceſſum eſt habere. Cęterum, res corporeę, naturales præter ſupradicta duo cauſarũ genera, conſpiciũtur & alia duo requirere, materialem cauſam dico ex qua conſtent: & formalem, perquã ſuam accipiant exiſtentiam. Et de his quidem poſterioribus in priori libro quatenus principia ſunt rerum naturaliũ, cœptum eſt determinari, propter quod nõ ita prolixa nobis præſenti hoc libro de eis facienda erit determinatio, niſi quantum ipſa cauſalitatis ratio expoſcet. De prioribus autẽ duobus, prolixior reſtat tractatus. Ad gloriam ergo eius qui eſt omnium cauſarum prima atque nouiſsima, α & ω principium & finis omnium ex materia componẽs ſingula, & ſuis formis in ſua exiſtentia ligans vniuerſa rerum, iſtarum iam aggrediamur determinationem.

Apocalip. 1.

CAPVT PRIMVM.

Definitio cauſæ, & quomodo ab occaſione ſeparanda cauſa.

Cauſa definitio prior.

CAuſa definiri ſolet, ad cuius eſſe conſequitur aliud.

Qua difinitione indicatur, omne illud eſſe alterius cauſam, quod ei quomodocunque dat eſſe, ſiue vt ſit, aut à quo, hoc alterum accipit quomodocunque vt ſit. Quemadmodum (exempli gratia) ad dei eſſe conſequitur omnium eſſe creaturarũ, id eſt, à Deo omnia accipiunt vt ſint, & deus omnibus eſſe donat, atque ob hoc eſt deus omnium cauſa. Similiter res omnes naturales, à materia & forma accipiunt vt ſint, & materia ac forma modo quodam dant rebus naturalibus vt ſint, dum ex illa & per hanc neceſſe habent ſubſiſtere, atque ob id omnium rerum naturalium cauſæ ſunt, materia & forma. Sic & finis quatenus agentem mouet ad operandum effectum, quodammodo dat effectui vt ſit, cũ propter finem agens eundem operetur. Aduertendum eſt autem (quemadmodum in libro priore obiter indicauimus) diſtingui ſolere duplicẽ cauſam: alteram proprie dictam, quã nunc definiuimus, & de qua principaliter loqui intẽdimus, cum de cauſis rerum facimus ſermonem, alteram verò improprie cauſam nominatam, quæ eſt occaſio ſiue cauſa occaſionalis aut cauſa ſine qua non. Quemadmodum in ligno ſiccitas vehemens occaſio eſt aſcenſionis, inflammationis, & combuſtionis eius: & in ſtipula leuitas, occaſio eſt facilis agitationis ſurſum: in globo rotunditas, occaſio eſt facilis motus. in cultro, occaſio bonæ ſciſsionis eſt, ipſa eius acuties, atque ita in ſimilibus. Non ſunt tamen hæ niſi occaſiones talium effectuum & occaſionales cauſæ (quod cũ diminutione dicitur) atque etiam cauſæ ſine quibus non, hoc eſt, ſine quibus effectus eiuſmodi vel non fierent, vel non ita commode & facile fierent, quemadmodum non fieret, aut non facile fieret ligni accenſio, niſi eſſet in eo ſiccitas: neque facile globus laterali motu agitari poſsit, niſi rotundus: neque rectè ſcindere culter, niſi acutus, atque ita in alijs. Cauſæ tamen veræ non ſunt, ſed tantum diſpoſitiones quædam, quas neceſſe eſt adeſſe, ſi agens ipſum & præcipua cauſa debeat effectum operari, atque vbi adfuerit, rectius ac facilius agens & præcipua cauſa ſuum effectum operetur.

Cauſa occaſionalis non eſt vera cauſa.

CAPVT II.

Quomodo in moralibus vtile ſit dinoſcere cauſam ab occaſione.

EST verò in moralibus diligentiſsime attendenda iſta diſtinctio, vt non pro occaſione cauſa, aut econtrario pro cauſa exiſtimetur occaſio. Multum enim hæc diſtinctio valet ad peccatorum diſcretionem. Quemadmodum (exempli gratia) in ſcandalo dato, quod eſt vera cauſa ipſius ſcandalizationis paſsiuæ, & in ſcandalo non dato

Quid scandalum datum & quid acceptum.

sed accepto, vbi opus ipsum ex quo scandalizatur alter (quod scandalum acceptum nominant) non est causa scandalizationis passiuæ, sed tantum occasio: vera autem causa huius passiuæ scandalizationis est, ipsa praua voluntas eius qui ex eo scandalizatur sua prauitate, vnde scandalizari merito nec potuit nec debuit. Sic & in consideratione finis, distinguenda frequenter venit occasio & vera causa. Quéadomdum (exempli gratia) propter temporale præmium, actum aliquem sacrum faciendo, si præmium istud temporale, tantum occasio quædam est, & finis quidem occasionalis, & occasionale motiuum: sic verò Deus finis verus & vera causa finalis, non est actus ille malus vel illicitus. In temporale illud præmium vera est causa finalis, & motiuũ præcipuum, non autem Dei honor aut gloria, indubie illicitus iudicabitur. Quapropter huius rei proderit exacta consideratio. Excluditur verò causa occasionalis à definitione suprapositа, per hoc quod non sic ad eam effectus consequatur, vt ipsi det aliquo modo esse. Nullo enim modo occasio dat esse effectui, sed tantum est dispositio quædam, qua mediante causa præcipua facit effectum esse. Quemadmodum ignis agens, dispositione & occasione siccitatis, facile inflammat lignum, & manus proiicientis globum rotunditate dispositum, facile agitat. Nemo autem dixerit siccitatem inflammare lignum, aut globum à sua rotunditate moueri.

CAPVT III.

Alia ponitur causæ generalis definitio, ex qua speciales eliciuntur definitiones quatuor generum causarum.

Solet etiam hoc modo causa definiri.

Causæ alterа definitio

CAusa est ex qua, aut per quam, aut à qua aut propter quam, res quæpiam efficitur, vel est.

Quæ definitio, dum sub quadruplici datur disiunctione quatuor indicat causarum genera, id est causæ diuisionem in quatuor sub se contentas species. Diuiditur enim causa, in causam materialem, causam formalem, causam efficientem. & causam finalem. Nam ex qua, respicit causam materialem: per quam, causam formalem: à qua, efficientem: propter quam, finalem. Ex quibus facile colligi possunt singularum specierum harum definitiones.

Causa enim materialis est, id ex quo quippiã fit eo pacto vt insit. *Causa materialis.*

Id est, principium naturale vel artificiale ex quo res naturalis vel artificialis fit, ita vt in ipsa maneat. Siquidem ex materia cum forma, res omnis componitur, res (inquam) siue naturæ, siue artis. Vt ex ligni materia, cum forma ignis in eam introducta, fit ignis: Ex auro, per formam idoli infusam, fit idolum. Per quam, causam formalem respicit. Per eam enim & secundum eam, res dicitur esse substantialiter quod est, & in suo item peculiari esse per eam res conseruatur, vt per animam rationalem homo est homo, & per formam idoli, opus aliquod dicitur idolum. Quod si forma auferatur, oportet & homini & idolo esse similiter, auferri, vt non amplius sit homo vel idolum, quod prius erat, donec inexisteret forma. Propter quod, ab Aristotele dicitur, Forma est species, exemplum, & ratio quidditatis, id est, essentiæ rei naturalis. Sic enim ille solet essentiam rei exprimere. Species quidem, quia per eam res in certam speciem constituitur, atque arctatur, quemadmodum in priore libro latius tractauimus. Exemplum, Quoniam secundum formam, res sibi similia efficiunt, quemadmodum ignis per suam formã generat ignem aliũ sibi similem. Ratio autem dicitur, quoniam essentiam rei constituit, & secundum eam res accipit suæ essentiæ rationem, & secundum eã etiam res definitur, quemadmodum homo definitur esse animal rationale, & animal corpus animatũ sensibile, vbi rationabile & sensibile, animam rationalem & animam sensitiuam (ex quibus essentia hominis ac bruti est) respiciunt. Tertia autem desunctionis particula, nempe à qua, ad causam efficientem spectat. Ab ea enim primum fit motio exterior, vt opus fiat, & in materiam ipsa habet suo motu & actione formam introducere: idque tam in rebus artis, quàm naturæ, licet primus motus interior à causa finali procedat. Quemadmodum in domo construenda, quæ est opus artis, non seipsos lapides componunt, sed est domificans, qui manũ admolitur operi, quiq; suo motu & actione mareriã cõponens, & debito mo-

Aristo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

do coaptãs,formã domus efficit.Itẽ nõ ſeipſum ignis gignit, neq; materia ſeipſam accendit,ſed ab alio agẽte ſuccenditur materia ad formã ignis.Definitur autẽ ab Ariſto. hoc pacto.

Cauſa efficiens eſt id vnde primum principium mutationis & quietis.

Cuius eſt hic ſenſus,cauſa efficiens principalis,eſt primũ principium à quo motus & quies,exterius procedit,vel effectus poſitiuus aut priuatiuus producitur,quod tam ad artem quam ad naturam applicari poteſt. Vltima verò particula propter quam vel cuius gratia, finem ſignat, qui mente quidem conceptus,tacite intrinſecus efficientem mouet cauſam,& veluti in exterius opus mittit,quemadmodum propter inhabitationem,homines domos ædificant propter defenſionem & tutelam ab hoſtium incurſibus, ciues muros, valla,turres,aliaq; fortalicia conſtruunt. Mouet enim mentem finis iſte conceptus, & ad opus procedere facit exterius In naturalibus verò agentibus,in quibus non eſt ratio, finis ipſe vt naturaliter intentus & deſideratus, hoc eſt quatenus res agẽs ad finem naturaliter inclinatur ac fertur, mouet rẽ, ad operandum effectum tali fini congruũ. Quemadmodum forma lapidis mouet ipſum deorſum,propter finẽ ad quem naturaliter inclinatur,id eſt propter quietem in loco naturali.Definitur hoc modo.

Cauſa finalis eſt cuius gratia omnia fiunt.

Id eſt:finis eſt principium ad quod diriguntur & deſtinãtur omnia media,eidem congruentia,veluti in ſcopum quendam.

CAPVT IIII.

Quomodo & cauſa efficiens & finalis vtraque dici poſſit cauſarum prima.

EX quibus patet,vtranque cauſam, nempe & efficientem & finalem, rectè dici poſſe cauſarum primam.ſed differenter, aliáque & alia ratione. Finis enim eſt prima cauſa ſecundum intentionem , quatenus agentis virtutem effectiuam (in rationalibus , per rationem intentus ſiue in naturalibus per naturalem inclinationem deſideratus atque naturaliter propoſitus) ſolicitat interius, ad operationem exteriorem cuiuſlibet effectus. Quemadmodum aues,tempore coitus & procreationis, ipſa ſuæ ſpeciei mul-

tiplicatio & conſeruatio (vt naturaliter intenta atque deſiderata) extimulat & mouet ad coeundum, nidos conſtruendũ, & quæcunque ſunt opportuna tali fini operandum. Cæterum, efficiens,primum eſt in exteriori operatione, & motione materiæ. Vnde ſicut finis ſemper eſt intentione prior efficiente,interius mouendo & ſolicitando efficiens ita ecõtrario efficiens ſecundum tempus prior eſt fine. Quemadmodum ſanitas ipſa atque ſanatio,tempore eſt poſterior ipſa potione ſiue balneatione,ad ſanitatem ordinatis,tanquam ad finem,& operatio bona Deo dignæ conuerſationis, antecedere debet,æternę felicitatis retributionem,quę eſt illius finis,cum hęc ſit illa intentione prior.

CAPVT. V.

De effectus definitione & definitione per oppoſitum ad cauſam.

QVæ autẽ de cauſa dicta ſunt, eadem effectui poſſunt omnia per oppoſitum aptari.Sunt enim cauſa & effectus relatiua, quemadmodum pater & filius.Vnde ex ſuprapoſitis cauſę definitionibus effectus poteſt hoc modo definiri.

Effectus eſt,id quod ſequitur ad eſſe alterius. *Quid effectus.*

Hoc eſt, quod quoquo modo ab alio accipit,vt ſit,hoc eſt, quod ex aliquo eſt aut per aliquid,aut ab aliquo,aut propter aliquid. Eſt autem effectus nomen generale, non quidem oppoſitum relatiuè cauſę efficienti in particulari (quemadmodum ex nominis ratione videri poterat,eo quod inter efficiens & effectum ſecundum nominationem & terminationem videatur interuenire relatio)ſed generaliter cauſę opponitur ſecundum relationem. Vnde quemadmodum ſuperius cauſa quadruplex diſtincta fuit , ſic ex oppoſito quadruplex item effectus venit diſtinguendus. Sed quia propria nomina non habentur,idcirco adiecta cauſarum diſtinctione,neceſſe eſt circumloqui. Eſt enim effectus cauſę materialis,eſt effectus cauſę formalis , eſt effectus cauſę efficicentis, & eſt effectus cauſæ finalis. *Quadruplex effectus.*

Effectus cauſæ materialis eſt, quod eſt ex aliquo.

Vt homo hoc modo est effectus suæ materiç, quoniam ex sua materia componitur: & idolum, effectus auri vel argenti est, tanquam materialis causæ.

Effectus causæ formalis est, quod per aliquid est.

Vt homo per formam, quapropter homo respectu suæ formæ, & idolum respectu suæ formæ artificialis, effectus dicitur causæ formalis.

Effectus autem causæ efficientis, qui fit ab aliqua.

Vt domus à domificante, ignis genitus ab igni ipsum generante, filius à suo patre. Vnde domus, ignis genitus, & filius, respectu domificantis, ignis, generantis, & patris gignentis, effectus dicuntur causæ efficientis.

Effectus demde causæ finalis est, quod est aut fit propter aliquid, siue alicuius gratia.

Vt ambulatio quæ fit propter sanitatem consequendam, & bona operatio quæ exercetur propter vitam æternam. Et regulariter medium ipsum quod ad finem ordinatur, & quo ad finem peruenitur, effectus dicitur causæ finalis, respectu eius ad quod ordinatur, & ad quod perducit, quêadmodum bona operatio ad æternæ vitæ consecutionem ordinatur, & ad ipsam perducit operantem: similiter & ambulatio ad sanitatem. Videtur tamen difficile hoc intelligere, quemadmodũ medium causæ finalis siue ad finem dicatur effectus illius, eo quod plerunque vt post latius declarabitur, sit verũ efficiens illius. Sed facile vitatur difficultas, si attendatur effectum generale esse vocabulum, & in vnoquoque causalitatis genere causæ relatiuè opponi. Vnde consequitur manifestè, si sanitas respectu ambulationis, sit finalis causa, econtrario quoq; ambulationem effectum esse causæ finalis respectu sanitatis, similiter & de bona operatione, respectu felicitatis.

CAPVT VI.

Quemadmodum eiusdem rei possunt esse plures causæ.

Prima proprietas causarum.

AD maiorem autem prædictorum cognitionem, tres poni solent causarum conditiones. Quarum prima est,

Eiusdem rei plures possunt esse causæ.

Quod si de de diuersis generibus causarum intelligatur, etiã sensui est manifestum. Siquidem omne agens naturale, causas materialem, formalem, efficientem, & finalem habet. Si vero in eodem genere causæ accipiatur, etiam sic verum est. Nam idem homo filius existens, causas efficientes habet, patrem, matrem, corpora cœlestia, & super omnia Deum. Homo enim non generat hominẽ sine concursu causarum vniuersalium, id est, corporum cœlestium, & causæ vniuersalissimæ, quæ est Deus. Sic plures esse possunt eiusdem rei fines, vt corpus est propter animam, propter hominem, propter Deum. Terræ gramina & herbæ, sunt propter iumentorum pastum, propter ipsius terræ ornatũ, & propter hominum consolationem. atque in Deum ex ornatu illo prouocationem. In genere autem causa materialis istud absurdum videtur, si de materia totali sermo fiat. Omne enim ens naturale non nisi ex vna materia totali cõponitur. Et similiter nullum opus artis vnum, duas totales habet materias. Neque enim simul eadem statua, & tota aurea & tota argentea esse potest. Possunt tamen commisceri aurum & argentum, sed tunc non nisi pro vna totali materia reputabitur.

Homo generat hominẽ et sol, vt habet Aristo. 2 physic.

Similiter & de causa formali dicendũ, maxime si de forma substantiali & vltima sermo fiat. Quemadmodum enim ex primo libro patet, nulla res naturalis plures substantiales formas habere potest. neque item res quæcunque artificialis plures simul totales formas artificiales habere solet. Nequit enim statua, leonis imaginem habere simul & bouis. Quòd si formarum fiat commixtio, veluti cum humano capiti cernicem equinam pictori iungere libuerit, non plures sunt formæ artis totales, sed vnica tantum, Si tamen causam formalem largè acciperemus, vt etiam ad formas accidentarias se extenderet, sic dubium non esset plures etiam formales causas simul posse existere. Plurimas enim accidẽtarias formas idem simul in se continet homo.

Horatius de arte poetica.

CAPVT VII.

Causas posse sibi esse inuicem causas.

Secunda conditio est.

Causæ possunt sibi inuicem esse causæ.

Secunda cõditio causarum.

Universidad de Deusto Biblioteca

Quod quidem in diuersis causarum generibus est indubitatum. Plerunque enim quod in genere causæ finalis est causa, hoc ipsum in genere causæ efficientis est effectus, & quod in genere causæ efficientis est efficiens, hoc est in genere causæ finalis effectus. Veluti cum non rectè quispiam valens, propter acquirandam sanitatem deambulat, aut medicinam bibit amaram, deambulatio ista in genere causæ efficientis causa est sanitatis, quæ per ipsam & ab ipsa efficitur. Similiter & amaræ medicinæ potio, causa est sanitatis quã efficit, atque ita ex cõsequenti sanitas ipsa admitti debet in hoc causalitatis genere ipsius ambulationis atque potionis effectus.

☞ Econtrario autem, in genere causæ finalis causa est, sanitas vt intenta & desiderata. Ipsa est enim, quæ non rectè valentem mouit ad ambulationem atque amaram potionem. Atque per consequens, in causalitatis genere, ambulatio effecta & potio illa amarioris medicinæ propter sanitatem, admitti debent effectus. Est autem in genere causæ finalis effectus, ipsum medium quod est propter finem, & quo ad finem peruenitur, quemadmodum in proposito est, de ambulatione & potione respectu sanitatis. Patet ergo, quêadmodũ in diuersis causarũ generibus causæ sibi inuicẽ possint esse causæ.

Causæ sunt sibi mutuo causæ

☞ Amplius verò, etiã in eodẽ genere causæ inuenire possumus causas esse sibi inuicem causas. Nam habitus exactibus generantur, quemadmodum virtutes habituales ex actibus virtutum frequenter iteratis, & nihilominus habitus cũ generati fuerint, actus vicissim faciunt. Faciunt enim habitus, eos quos habẽt secundũ ipsos operari, & delectabiliter operari. Verũ istud secũdum speciem est tantũ. Nã actus qui præcedũt habitũ, eũque efficiũt numero diuersi sũt, ab iis qui sequuntur & efficiuntur ab eo. Profundius autẽ cõsiderando inuenire poterimus, vbi causæ eædem secundum numerũ, sibi inuicẽ sint causæ. Eadẽ enim caliditas quæ in manu à calido quod tenetur manibus, producitur vicissim cõseruat in ipso quod tenetur manibus, calorẽ. In eodẽ autẽ genere causæ efficientis sunt, causa producens & causa cõseruãs. Vtraque enim causa & producens & conseruans, dicitur efficiens Similiter etiam dicendum videtur in contemplatione rei iocundæ quæ gaudiũ atque lætitiã in animo producit, à qua vicissim conseruari ipsa rei iocundæ contemplatio videtur.

Conseruat enim contemplationis actum absque fastidio, & permanere facit in animo, lætitia interior, quæ in eo inde exoritur.

CAPVT VIII.

☞ *Eandem posse esse causam contrariorum effectuum.*

☞ *Tertiam conditionem causarum ponunt, hanc.*

EAdem potest esse causa contrariorum effectuum.

Tertia proprietas causarum.

Quod quidem ad oculum promptum est videre in solis actione, qui vnus & idem mediante calore, quædam facit liquescere, alia indurans. Ceram enim, & butyrum, glaciem, atque similia, liquefacit. Lutum vero & lutea vasa, hisque similia, facit indurescere. Et eadem potio in quibusdam efficit sanitatem, in alijs ægritudinem, imo etiam in eodem successiue. Huius autẽ ratio est, varia dispositio subiecti in quo recipitur actio. Quemadmodum ea quæ pro homine complexionis sanguineæ bona est potio, & sanitatis effectiua, fieri potest vt homini complexionis contrariæ (nempe melancholicæ) sit noxia, atque ægritudinis effectiua. Et frequẽter potio quæ distemperatam complexionem ad temperamentum reducit, eadem distemperamentum facit in eo qui recta est valetudine. Sic eadem præmissæ in vno generant scientiam, in alio generant tantum opinionẽ, iuxta quod vel circa præmissas vel circa consequẽtiæ rectitudinem variæ fuerint affecti. Ita sæculi scientia aliquo modo perficit intellectum, quoniam omnis veritatis cognitio, quantum ex se est, intellectum perficit. Imperficit tamen affectum, eo quod instatum reddat. Et quidem in rebus naturalibus hæc contrariorum causalitas prouenit, vt diximus ex parte variæ dispositionis subiecti, in quod fit actio. In voluntarijs autem, ex varia dispositione agentis pro sua libertate. Idem enim homo & vult & nõ vult, non solum ratione rei mutatæ, sed pro sua etiam libertate, absque rei vlla mutatione.

CAPVT IX.

☞ *De causæ diuisione in vniuersalem & particularem, propinquam & remotam.*

☞ *solent quoque de causis nonnullæ assignari diuisiones,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Causarum enim quædam sunt vniuersales, quædam particulares, quædam remotæ, quædam propinquæ.

Causa vniuersalis & particularis.

Et considerantur hæ rursum, vel secundum nominationem, vel secundum rem. Secundum nominationem quidem, quando causa & effectus nomine vniuersali vel particulari assignantur, vt cum dico. Bonum est finis rerũ: Ex materia, fit res: Forma, facit esse rem: Res est, per formam: Artifex, efficit opus: Finis, mouet operantem. In his, & causæ & effectus vniuersaliter nominantur seu generaliter. Cum autem dico ex auro facta est hæc statua, particularis causa & effectus exprimuntur. Item cum dico, artificem fecisse hanc domum, aut viuentem aliquem esse patrem huius pueri, nominatione causas remotas ab effectibus dico. Casus enim nomine vniuersali designans, effectum particularem demonstro. Cum vero huius pueri hunc hominem dico esse parentem, aut hunc artificem causam huius rei, aut domificatorem domus esse causam, & statuarium statuæ, propinquius nomi-
» no & exprimo causalitatem. Interdum vero nuncupamus
» causas vniuersales vel particulares secundum rem, ob rei ge-
» neralem videlicet aut particularem, remotam vel propin-
» quam causalitatem. Hoc autem pacto causa vniuersalis dicitur, vel generalis, quæ plurimos habet diuersorum generum effectus, quemadmodum sol, & cœlestia corpora, & super omnia deus benedictus. Habent enim effectus plurimos diuersorum generũ, cum omnis creatura corporalis sine illorum concursu non efficiatur. Non est autem necesse ad hoc vt causæ dicantur vniuersales seu generales, vt prorsus nullus sit effectus cuius ipsæ non sint causæ. Sic enim sol & cœlestia corpora non dicerentur causæ vniuersales, cũ non sint causæ spirituum, neque spiritualium rerum: sed sufficit, quod multos valde habeant diuersorum generum & diuersarum rationum effectus. Quanquam deus super omnia benedictus, ob hoc vniuersalissima & generalissima causa per superlationem recte dicitur, quod prorsus nihil neque corporale neque spirituale eius causalitati sit subtractum. Videtur etiam homo secundũ genus causæ finalis esse causa vniuersalis, eo quod plurimos videatur habere diuersarũ ratio-

Deus causa est vniuersalissima.

num secundum hoc genus effectus, id est, plurima ad ipsum ordinata. Cum omnia hæc inferiora, imò & cælestia, ad hominem vt finem referantur. Causa autem particularis di- „
citur, quæ non plurimos habet diuersorum generũ effectus, „
vt homo, causa particularis est respectu filij quẽ gignit, etiã „
si mille genuisset numero filios. Oportet enim causam vni- „
versalem siue generalem, multos admodum habere effectus diuersorum generum atque diuersarum rationum. Individuorum autem quantacunque multitudo, non sufficit ad faciendam causam vniuersalem.

Quid causa particularis.

Causa vero propinqua secundum rem nominatur, illa „
quæ effectui prope est, & per se effectum attingit: quemad- „
modum pater, causa propinqua est sui filij quem per seminis „
decisionem gignit. „

Causa propinqua & remota.

Causa vero remota est, quæ ab effectu est elongata, neque „
ad effectum nisi alia causa priore mediante attingit, quomo „
do auus causa est remota nepotis, eo quod ad eius causalita- „
tem non attingit, nisi mediante efficientia filij sui, qui est pater nepotis illius, & causa propinquior. Magis autem remotæ causæ sunt proauus, atauus, tritauus, atque ita consequenter. Similiter si ignis aliquis secundum produxerit, atque hic rursum tertium, iste quartum, qui deinde quintum primus omnium, causa est propinqua secundi, & secundus tertij, atque ita consequenter, sed omnium aliorum præterquã secundi, est ignis primus causa mediata, & secundus causa mediata est quarti & quinti. Sunt autem causæ vniuersales etiam causæ propinquæ, æquè atque particulares. Sol enim & corpora cœlestia, effectibus prope sunt, & secundum causalitatem effectum attingunt per sese, non tantum mediantibus alijs particularibus agentibus. In omni enim effectu naturali, immediate per se deus concurrit, similiter & corpora cœlestia.

Causæ vniuersales sunt propinquæ.

CAPVT X.

De causa per se & per accidens secundum nominationem.

Causa per se & per accidens.

ITerum autem diuiditur causa, in causam per se, & causam per accidens. Idque rursum vel

secundum nominationem, vel secundum realem considerationem.

Quid causa per se secundū nominationem.

Secundum nominationem est causa per se, quando causa exprimitur sub ratione causalitatis, id est, sub ea ratione secundum quam talis ei effectus competit. Quemadmodum dicimus lucidum per se esse causam luminis vel illuminationis, calidum per se esse causam calefactionis, iugulationem esse per se causam interitus, summum quoque bonum per se finem esse omnium. Atque ita cum dicimus lucidum illuminare, calidum calefacere, iugulatum interire vel interiisse, summum bonum appeti vel desiderari, causa per se exprimitur secundum nominationem. Lucidum enim quatenus lucidum illuminat, & calidum quatenus calidum calefacit, atque in cæteris. Per accidens vero dicitur causa secundum nominationem, quando causa non exprimitur secundum rationem causalitatis, neque sub ea ratione secundum quam ei effectus talis cōuenit, sed sub ratione aliqua extranea & impertinenti. Quemadmodum (exempli gratia) si quis dixerit calidum causam luminis, aut lucidum causam caloris, dicatque lucidum calefacere, & calidum illuminare, percussum interiisse, omnia creatorem appetere & desiderare. In his enim ratio causalitatis non exprimitur, sed aliquid impertinens effectui. Non enim lucidum quatenus lucidum calefacit, sed quatenus calidum: neque calidum quatenus lucidum calefacit, sed quatenus calidum: neque percussum quatenus percussum interijt, sed quatenus iugulatum: neque creator quatenus creator, sed quatenus summum bonum & finis omnium vltimus, ab omnibus appetitur ac desideratur, quasi ordinatis ad ipsum.

Quid causa per accidens ex nominatione.

CAPVT XI.

De *causa per se & per accidens secundum rem.*

Quid causa per se ex re ipsa Quid per accidens.

SEcundum realem vero considerationem dicitur causa per se, quæ ad effectum aliquem ordinatur, siue secundum naturalem inclinationem, siue secundum rationis propositum. Per accidens verò, quæ ad certum effectum non ordinatur, sed accidit ei effectus præter intentionem & ordinationem. Quemadmodum (exempli gratia) forma lapidis aut ligni per se mouet lignum ipsum aut lapidem deorsum. Ad talem enim effectum est secundum naturam determinata, atque ob hoc ipsa est causa per se motus talis deorsum. Cæterum, si cadens lignum in ignem corrumpatur, & inflammetur, per accidens fit talis effectus. Non enim intendebatur à forma deorsum mouente rei corruptio, sed accidit hoc præter inclinationem naturæ, item si cadens lapis frangat vas terreum, per accidens hoc euenit. Item cum propter sanitatem recuperandam quis de ambulat, hoc ipsum intendens, ipsa ambulatio causa per se est sanitatis, ad quam ordinatur, ex ratione & proposito ambulantis. Cæterum, si inter ambulandum contingat pedem offendere, aut aurum reperire in via, aut simile aliquid preter intentionem, esse & usu eiusmodi per accidens est. Suntprætereà causæ quædam potentiales, vt ædificator, creator, figulus, pistor, faber, inflāmatiuum, illuminatiuum. Et significant huiusmodi plerunq; habitus, siue potentias. Aliæ actuales, vt ædificans, creās, fingens, fabricans, inflammans, illuminans, & ita in aliis, quæ actum significant vel actionem ipsius efficientis, quemadmodum priora habitus vel potententias

causa ex re.

Causa potē tialis & actualis.

CAPVT XII.

De *causa materiali, & duplici relatione nominis materia,*

QVantum autem ad causam materialem atque formalē attinet, aduertēdum est non prorsus eodem modo hic accipi materiam & formā, quo in libro priore diximus significare. Latius enim hic sumitur causa materialis & formalis, quā ibi forma & materia. Vnde hic etiā materia artis, quæ secūda solet nominari eo quod ex alia priori cō ponitur, est causa materialis, vt ex toto ligno fit idolū, & ipsa forma idoli hic formalis causa dicitur, cū illic nec lignū admi tatur materia idoli, neq; idoli species forma, quēadmodū latius fuit præcedēti libro declaratū. Præterea quod ad nomi nis materię rationē attinet, sciēdū est, materiā dupliciter posse cōparari, primò, ad formā quācunque quā recipit, vel in se habet. Atque ita solet vocari materia in qua vel materia subiectiua. Nam hæc est materiæ conditio, formam ipsam sub-

Materia in qua & ex qua.

Quid materia in qua.

Universidad de Deusto Biblioteca

stantialem & alias omnes accidentales recipere, atque in se quodammodo sustinere. Secundo comparatur ad rem quam componit, vel naturalem vel artificialem. Atque hac comparatione nominatur materia ex qua. Similiter & de forma dicendum. Potest enim primo referri ad materiam cui inest, siue quam informat, quomodo dicitur hæc anima esse huius corporis, quasi ipsum informans. Secundo ad rem quam cõponit, quomodo dicitur hæc anima huius esse hominis, eo quòd hunc hominem constituat. Iuxta primam considerationem, materia & forma sunt ad inuicem relatiua, & ad inuicem referuntur. Est enim materia, formæ materia, tãquã informantis eam: & vicissim forma, est materiæ forma, quasi ab ea informatæ. Et est relatio secundum superpositionem eo quod dignius sit formam esse quam materiam. Iuxta vero secundam considerationem, & materia & forma referuntur ad rem naturalem, vt qua ex ipsa & per ipsam componatur. Nomen tamen naturæ, non nisi compositum respicit. Nunquam enim dicitur forma esse natura materiæ, aut ecõtrario, sed vtraque & forma & materia, sunt naturæ compositi siue rei naturalis.

Quid materia ex quã.

CAPVT XIII.

De *triplici causa formali.*

Forma substantialis artificialis & accidentaria.

SCiendum autem est, præter formas substantiales, quæ propriissimè causæ formales dicuntur, item & preter formas artificiales quæ minus proprie, cætera etiam accidẽtia quæ qualecunque esse accidentarium donant rei cui insunt nonnunquam causas formales nominari, quemadmodum albedo & scientia atque virtutes, formæ quædam sunt, & qædam formales causæ eorum in quibus sunt, eo quod esse quoddam eis dare videantur. Dat enim homini albedo, vt sit albus: dat scientia, vt sciens sit ac doctus: virtus, vt bonus sit ac probus.

¶ Sed cũ forma propria & vera definitione dicatur, quæ rei dat esse, videtur sola forma substãtialis propriè ata; simpliciter dicẽda forma siue causa formalis, cũ ipsa sola det esse simpliciter rei quã cõponit, Cæterũ neque artificialis forma neque alia quælibet accidẽtaria, vlli rei proprie & simpliciter esse donat, sed tãrũ aliqualiter esse, vtputa accidentariũ, nempe esse album, vel nigrum, bonum aut malum. Vnde nec simpliciter formales causę, neque propriè dicendę sunt, sed tantum impropriè, & cum diminutione quædam formales causæ, quatenus esse quoddam (secundum diminutionem loquẽdo) donant, non autem esse simpliciter. Relinquitur ergo solas substãtiales formas propriè atque simpliciter causas formales nominandas, cæteras autem non simpliciter, sed cum diminutione, addiiciendo accidẽtales vel artificiales. Est autem forma accidentalis, quæ subiecto donat esse qualecunque accidentarium, id est, esse aliquale. Forma vero artificialis, quę donat esse artificiale, id est, quæ esse quippiam facit esse opus artis. Quemadmodum forma idoli facit, vt idolum dicatur: & facit lecticæ forma vt lectica sit, quod ex materia facit artifex, atque ita in cæteris. Aut artificialis forma dicatur ab artifice, nimirum quòd artificis operatione secundum eius artem introducatur in materiam.

Quid accidẽtalis forma.

Quid artificialis.

CAPVT XIIII.

De *causa efficiente principali & minus principali producente, corrumpente, & conseruante.*

INter efficientes causas, sunt quædam coadiuuantes tantum & disponentes sua actione sine operatione, suntque ministeriales & minus principales causæ, quædam autem sunt principales quæ formam in materiam introducunt, etiã si minus videantur operari exterius, aut operi at que materiæ exteriori minus insudare. Nam constat, multo amplius in agendo res naturales solicitari circa effectum quã Deum, qui tamen principalissimus in omnia efficiendo est, non nisi quia vicinius formam in materiam induci, & esse donat. Sic & de architecto dicendum est, qui in efficiendo rem ipsam artis præcipua est efficiens causa, tametsi plerumque ministri inferiores, operi ipsi exteriori, atque præparandæ materiæ & disponendæ ad formam artis, multo amplius insudent. Et quoque & illud in proposito loco aduertendum, per efficientem causam non solum intelligi eam quæ rem aliquam producit aut esse facit. Causa enim efficiens, sub se habet causam producentem, conseruantem, & corrumpentem. Nam & accidentiã formæ conuenientia quæ ipsam in materia conseruant, eius quædam efficientia sunt. Vt in igne calor, siccitas, raritas, leuitas, quamuis formam non produ-

Causarum efficientiũ, quædã principale, quædam minus principale.

Causa producens, conseruans & corumpẽs.

rerint, tamen conseruando progenitum, quodammodo efficiunt. Agentia quoque naturalia cum sua virtute aliquid corrumpent, eatenus in proposito efficientia sunt. Vt cum ignis corrumpit aquam ac destruit, efficiens est corruptionis illius, & aquæ destructio, effectus est virtutis ignis agentis.

CAPVT. XV.

De causa duplici, secundum esse & secundum fieri.

OMni autem diligentia est attendanda, quæ sequitur inter efficientia siue effectus distinctio.

Quæ sequitur nota quam diligentissime.

Quædam sunt causæ suorum effectuum, secundum esse, quædam tantum secundum fieri.

Quædam enim rerum tantummodo dum fiunt causę sunt, vt domificans, causa est domus quandiu domus fit, & ignis causa est caloris quandiu calor ipse fit in subiecto. Vbi verò domus iam facta est, & calor introductus in subiectum, & in suo esse sunt effectus completi, cessant esse effectus, neq; vltra accipiunt esse ab illis à quibus primitus eis datum est. Quare nec illæ causæ vltra sunt nominandæ. Domus enim postquam facta est, & semel vt domus sic accipit, non opus habet perpetua efficientia aut conseruatione domificantis. Manet enim semel extructa domus moriente domificatore, quemadmodum & filius, patre moriente non moritur. Sic est de omni effectu, qui permanet absque causæ conseruatione.

Quid causa secundum esse.

Quædam verò causæ rem quàm diu est efficiunt, siue producendo, siue conseruando, vt lucidum causa est luminis, nó tracta lucę, aut corpore lucẽ habẽte, lumẽ deficit, nec absque sua causa habere potest esse subsistẽs. Illi ergo effectus qui quandiu sunt causam habent sui esse, effectus secũdum suum esse dicuntur, & ea à quibus fiũt, causæ eorũ efficientes secũdum esse nuncupantur. Quæ verò tantum dum fiunt causam habent, effectus in fieri vel dum fiunt nominantur, & eorum causæ, causæ in fieri, siue secundum fieri possunt appellari. Et priori quidẽ modo causalitatis, constat Deum esse causam secundum esse creatorem omnium, & cœlestia corpora omnium corporalium. Non enim Deus est causa rerum solum dum fiunt, vel vt fiant, quasi postquam factæ fuerint ipsius causalitate vltra non habeant opus, sed quẽadmodũ dũ fiũt ipsis esse ptimitus ab eo datur, ita vt sint vtque in suo quod acceperunt esse permaneant cõseruatione perpetua opus habent. Si enim vel ad momentum se subtraheret manus omnipotentis, & virtus efficientiæ eius quam rebus in conuersando impendit, in nihilum subito conciderent vniuersa, neq; vlla omnino vel nobilissima permaneret substistens creatura, neque humana neque angelica.

Quomodo Deus est omniũ causa

CAPVT XVI.

Ex causa secundum esse ponitur manuductio, & ad intelligendam æternam personarum in diuinis processionem.

EST autem causalitas ista rerum secundum esse, diligenter attendenda, & penitissime cõtuenda. Valet enim ad intelligendam eam quæ in diuinis est personarum processionem, æternam dico verbi generationem, & spiritus sancti æternam spirationem seu processionem. Per comparationem enim eorum quæ in creaturis videmus à suis causis semper esse accipere, & semper effici, vtcunque innotescere poterit diligenter attendentibus, quemadmodum & in diuinis credatur filius à patre semper gigni, & spiritus ab vtroque semper procedere atque spirari. Ad hanc autem declarationem, congruum videbitur solis assumere considerationem, qui lumen similiter & ardoris siue caloris vim semper gignit, donec existit. Priusquam tamen comparationem hanc faciamus, expedit præmittamus quo pacto sit à sensibilibus ad ęterna transeundũ. Oportet enim volẽtes ascẽdere anagogicis huiusmodi excessibns, in ipso ascẽsu, quicquid est corporale, quicquid materiale, quicquid imperfectum separare atque abnegare, sicque intellectus acumine & fidei limpiditate sensuum crassitiem viriliter superare. Alioqui periculum fuerit, ne crassius quid de Deo sentiamus, aut in hæreses incidamus. Id quod pluribus euenit, qui aut nescierunt aut noluerunt, spiritu mentis sensuum procacitatem captiuare. Quo rite præmisso, ad æternam quæ in diuinis est processionem trãseuntes dicimus, quod sicut lux in lucido sole causa est efficiens lumen, semper quandiu est ipsum continuo producens, & rursum à solis luce & diffuso lumine vis pariter ardoris efficitur, & si semper esset solis lux semper lumẽ efficeret, pariterq; & lux & lumẽ consequentẽ

Nota regulã pro anagogicis excessibus.

Manuductio ad cognitionem trinitatis.

ardorem efficeret, ita pater cœlestis æternus, lux æterna atque fœcundissima filium suum vnigenitum, verbum inuisibile, non causat, non efficit, non facit, non creat, non producit (hæc enim corporalia sunt & crasitiem secum ferunt) sed modo inæstimabili atque incomprehensibili, qui est supra omnem sensum, quique intellectus & angelici & humani capacitatem excedit, gignit atque dicit filium sibi coæternum & consubstantialem, per omnia penitus æqualem: ipseque filius gignitur, dicitur, atque procedit, aut est à patre. Et sicut æternaliter est pater cum filio, ita etiã æternaliter à patre gignitur filius, & æternaliter vt sit filius accipit à patre. Nec est huius processionis aut initium aut finem inuenire.

Rursum, à patre & filio spiritussanctus procedit æternaliter, & à patre & à filio: sicut lux & lumen, téporaliter producunt ardoris vim. In hoc tamen superat processio personarum processionem luminis & ardoris, quoniam non vna est luminis lucis & ardoris substantia, vna est autem patris, filij & spiritussancti substantia, vna essentia: suntque vnum ens summum atque perfectissimum.

CAPVT XVII,

Consurrectio ex præcedentibus in beatissimæ Trinitatis adorationem.

O Igitur lux beata trinitas & principalis vnitas, iam nos nos soliste igneus suis nos rotis sursum vectos coram te constituit in cœlestibus. Tibi verò omnis gratiæ patet, defixis in terram genibus gratias agimus, humiliata tibi cervice vota persoluimus, qui nobis indignis famulis tuis secretissima secreta diuinitatis tuæ, per splendentem solem declarare dignatus es, quæ olim à filio tuo nobis secundem carnem assignato doctore, per fidem didicimus. Quam multis olim sol iste, dominator potentissime, fuit in laquei captionem & scandalum: qui nimium creaturæ ornatum attendentes, tuum illi honorem vane impenderunt, tuę lucis altissimam gloriam in hanc corpoream lucẽ commutantes. Nobis autem, magistrum eum dedisti veritatis, & sicut olim stella magos ad pueri tui Iesu noui regis duxit humile præsepiũ, ita nos vere soli iste radiãs ad tui duxit magnificentiã ni sempiternã gloriam. Corã te ergo, o beata trinitas, toto corde prostrati, ecce iacemus pauperculę creaturę tuę. Te

Matt. 2.

adoramus, in vnitate substantiæ trinum personaliter, & in personarum trinitate vnũ substantialiter: Te ò lux immensa, lux non de luce, lux fœcundissima, pater ingenite: te o filii lux de luce, lumen de lumine, splendor de splendore, verbũ patris æternum, de patris substantia æternaliter genitum: te ò sancte spiritus ardor inæstimabilis, ab ęterno parre & filio æternus æternaliter spiratus atque procedẽs. Te, inquã, vnũ deum, vnũ dominũ, vnũ creatorẽ omniũ adoramus solum: quoniam præter te nõ est Deus alius, neq; fuit, neq; erit, neque potuit esse aliquãdo absq; te, domine Deus noster, hæc est nobis vita dulcissime domine, te solum Deum verũm agnoscere: nunc quidem per fidem dũ in tenebris huius mũdi subsistimus, tunc verò tunc (o vtinam nunc) facie ad faciẽ te conspecturi, in æternum & vltra, Amen. *Ioan. 17.* *1. Cor. 13.*

CAPVT XVIII.

De finis diuisione in vltimatum & non vltimatum.

POstquam de tribus causarum generibus supra determinatum est, supereſt nunc vt de finali causa etiam specialius determinetur. *Duplex finis.*

Est igitur finium quidam vltimatus, ad quem propter se tanquam melius perfectius, alius ordinatur minus bonum & perfectum vt omnium quæ in hoc sensibili mundo sunt, est homo finis vltimatus. Sunt enim cætera omnia propter hominem facta, & ad hominem quasi perfectissimum eorũ quæ in hoc mundo sunt, referuntur vniuersa. Similiter nutrimentum est, propter vitam conseruandam: generans, propter speciem multiplicandam & conseruandam: fides propter visionem: spes propter adeptionem & possessionem. Atque hic finis solet alio nomine vocari, finis gratia cuius, vel propter quem. De hoc fine intelligitur, quod vulgo solet dici, Finis melior est ijs quæ sunt ad finem. Siquidem Deus sic rerum ordinem disposuit, vt sint imperfectiora simpliciter propter perfectiora. „ *Quid finis vltimatus.*

Alius est finis nõ vltimatus, quippe qui per se finis rationẽ non habet, sed solum est via vel modus quo mediũ ad finem suum pertingit vel tendit: propter quod, etiam finis quo solet nominari. Verbi gratia, Deus est finis vltimatus rerum omnium, atque peculiariter naturæ humanæ. cognitio verò Dei, est finis quo pertingimus ad consecutionem finis illius. „ *Quid finis nõ vltimatus, seu finis quo.*

Intelligendo enim & amando Deum, finem hunc nostrũ ita habemus atque possidemus. Sic medicina est propter sanitatem, nutrimentum propter nutritionem, cibus propter comestionem. Et vniuersaliter omnis vsus rei est finis quidã eius, quo ad finem vltimatũ cuius est vsus pertingit, vt equitatio, vsus equi est, quo pertingit equus ad finem, scilicet hominem, seruiendo ipsi. Sic enim equus ad hominem ordinatur vt illi seruiat, in ipsum ferendo, in agris arandis, in vehẽdis frugibus, aliisque huiusmodi ad hominis vtilitatẽ oppor tunis. De hoc autem fine non est intelligendum quod dici solet, finem esse nobiliorem eo quod ad finem est. Nam medicina quæ est substantia, perfectior est atque in se nobilior sanitate, quę est accidens: granum, perfectius actu nutritionis: pater, perfectior filio, propter quem generet, quémque in generatione intẽdit: & id cuius est vsus viu suo est nobilius. Vnicus est enim finis vltimus, Deus. Fines verò vltimati, sunt plures.

CAPVT IX.

Quemadmodum omnia non solum voluntaria, verum etiam naturalia agant propter finem.

IN voluntarijs & rationalibus, nulli dubium est quomodo hæc propter finem præscitum & pręcognitum agant, in illis potissimum actibus qui secundum rationem & deliberationem fiunt. Quomodo autem agentia naturalia agãt propter finem, forsitan minus patet. Cũ enim finẽ nullũ cognoscere valeant, videntur similiter non posse ob finem aliquem agere. Certum est tamen, etiam naturalia omnia propter finem agere, quoniam in naturalibus omnia videmus similiter & ordinatissime euenire. Quæ res arguemẽto est, ea ordinate propter finẽ agere. Sed ad hoc intelligendũ, quod per se alioqui videtur captu difficile, valebit analogia domini ad seruũ. dominus enim finem nouit & propter hunc seruum ad opus mittit, nescientẽ tamen finem operis sui. Quemadmodũ igitur seruus ille non temere sed propter finẽ certũ agit, quẽ tamen nescit ipse, & nouit qui eũ dirigit dominus: ita agentia naturalia nesciunt quidẽ neq; intelligunt finis sui rationem, & tamen propter finẽ agũt ordinatissime omnia, non secus acsi finem ipsa agnoscerent. Quod patet maxime in brutis

Quomodo agentia naturalia agãt propter finem.

animalibus quæ sic ordinatè quædam faciunt, vt prorsus videantur finem agnoscere (vt est videre in tela araneæ, & nidis auium) cum tamen sit certissimum ea suũ finem non cognoscere. similiter & agentia quæ neque sensum vllum habent, sũtque prorsus insensibilia & inanimata, suas naturales actiones conspiciuntur ordinatissimè semper exequi, cũ tamen suæ actionis finem non agnoscant. Sed est in cœlis prouidissimus deus, disponens omnia suauiter, qui sic naturalia dirigit ad finem quem ipse eis præuidet & præstituit, vnicuique rei ad suum finem dans congruas modo mirabili inclinationes atque propensiones. qui singula disponit & dirigit ordinatissime, vsque adeo, vt etiam si singulis agẽtibus singuli dij essent, melius ordinatiusque ipsa dirigi aut gubernari non possent. Ex quibus liquet creaturas omnes præter hominẽ agi potius adeo ad suos fines, quam agere seipsas quemadmodu sagitta à sagittante emissa, & seruus emissus à domino aguntur ab iis à quibus emittuntur ad opus. Sola autem creatura rationalis in actibus voluntariis seipsam agit, eo quod suum finem habeat cognitum. *Sapien. 8.*

CAPVT XX.

Quomodo fini cæteræ causæ proportionari debent, & quo modo diuersimodè quædam agunt propter finem.

EST autem finis prima causarum, atque adeo causarum causa, quoniam secundum finem cætera omnia proportionari debent. Verbi gratia, quoniam finis est domus: familiæ inhabitatio, & domesticarum rerum exercitatio, templorum autem conuentus tantum fidelium in vnũ ad orandum, ad audiendũ verbum Dei, non autem ad exercitationes domesticas aut opera exercenda ciuilia, idcirco aliter templa, aliter domus ædificantur. Quoniã alius castrorũ finis, alius palatiorum idcirco alij efficientes, alia materia & alia forma adhibenda his, quã illis. Lõge enim alia est forma templi, à forma domus, & alia plerunq; materia. Similiter & alia est forma palatij triumphalis, alia castri propugnatorij. alij quoque lapides pro trhiumphali gloria, alij pro fortitudine castri solent exquiri. Et frequenter diuersi ad diuersa huiusmodi opera sunt quærendi artifices, cum plerunque is qui in altero prævalet, in altero valeat minus. Similiter & cũ vestis est faciẽda, perquirẽdus est ante omnia finis. Et quidem si

Finis quomodo causa rum prima.

propter domesticum fiat vsum tantum, longe alia materia ac forma fiet, quam si in honestum & publicum aut triumphalem vsum fieret. Sufficit enim materia rudior ac forma simplicior ad illam, quàm ad hanc faciendam. Simpliciter tamen à forma res habet necessitatem vt sit, & suam accipit ab ea denominationem, quemadmodum vestis si formã habeat togæ militaris indubiè militaris à forma denominari debet si formam aliam aliter denominabitur, iuxta quod expostulat forma. Fiunt tamen res secundum finem, & ipsa forma ab agente secundum finis intentionem debet introduci.

Est quoque & illud aduertendum, quædam agentia propter finem agere, ad illum, adispicendum & acquirendum, quemadmodum bene viuunt homines, vt deum suum finem apprehendant aliquando, atque in possessionem acquirant: quędam autem propter finem agunt, diffundendo & communicando. Quemadmodum Deus agit omnia quæ agit, non gratia vllius rei acquirendæ, neque adipiscendæ, sed propter bonitatem suam diffundendam atque communicãdam creaturis. Atque hoc modo igni, alium ignem producit, propter suæ speciei propagationem & multiplicationem.

CAPVT XXI.

De casu & fortuna, deque effectibus casualibus & fortuitis.

CAsus & fortuna quanquam causæ sunt efficientes & sub efficientibus partim dicta sunt, specialem tamen habẽt difficultatem, eo quòd causæ per accidens sunt quare & specialem exigunt tractatum. Subiungitur ergo hæc diuisio.

Eorum quæ fiunt, alia semper eodem modo fiunt, alia plerunque, alia fiunt præter hæc.

Cuius hic est sensus, Inter ea quæ fiunt, quædam semper aut vt plurimum à suis causis similiter fiunt, vt plerunque deambulatio per locum amœniorem, animi reuelationem operatur, atque sanitatem siue producit, siue conseruat: semper forma lapidis, ablato impedimento, lapidem deorsum moueri facit. Quædam verò à suis causis neque semper neque vt plurimum fiunt, sed raro eueniunt, quemadmodũ rarò euenit, ambulantem & conantem ad rei venereæ solicitationem ad virtutem conuerti, quod Dariæ legimus accidisse cum Crisanto raro item euenit, ambulantem ad aquas puerum inuenire, quod accidit filiæ Pharaonis cum Moyse Ægyptio. ¶ Rursum.

Exod. 2

Eorum quæ fiunt, alia fiunt, alia non fiunt alicuius gratia.

Cuius hic redditur sensus, Inter effectus quidam sunt intẽti ab agente, quidam non intenduntur, sed effectum ab agente intentum eos accidit concomitari, & hi dicũtur effectus per accidens, & eorum causæ sunt causæ per accidens. Vt cõsensum in rem veneream per se intendebat Daria, suo ad Crisantum aduentu. Ad hoc enim ornata cultu mirifico illum accessit, vt suis blanditiis in concupiscentiam eius animum inflecteret. Et ille quidem effectus, si conatum Dariæ fuisset sequutus, effectus fuisset dicendus per se. Sed præter intẽtionem & ordinationem euenit, & plane ex accidenti contigit ipsius ad Deum verum conuersio. Sic ex intentione filia Pharaonis egredi voluit, vt animum releuaret, præter intentionem verò euenit, vt Moysen reperiret Ægyptium, puerũ, cistellæ aquæ supernatanti inclusum.

CAPVT XXII.

In quibus habet locum casus & fortuna, & quomodo inter se hæc duo differant.

HIs præmissis est aduertendum, casum & fortunam non nisi in illis locum habere quæ raro fiunt, & quæ per accidens sunt. In iis enim quæ vel, semper, vel vt plurimum ordinatè fiunt, casus & fortuna esse non potest. Similiter neque in iis quæ per se sunt, sed in iis quæ per accidens tantum.

Vnde effectus casualis definitur, qui ex iis est quæ raro fiunt, & per accidens.

Quid effectus casualis.

Vt in exemplis supraposĩtis, Darię illa ad Christum conuersio, effectus est casualis, qui ex eius ad Crisantum accessu consequutus fuit. Similiter & Moysi inuentio à Pharaonis filia, respectu deambulationis. Casus autem dici solet, ipsa causa effectus casualis. ita vt casus & casualis effectus pro relatiuis habeantur.

Est enim casus, causa per accidens effectus raro cotingentis.

Similiter de fortuna & effectu fortuito dicendum. Notanda tamen est differentia inter casum & fortunam, itéque effectum casualem & effectum fortuitum: quoniam fortuna nomen specialius est & commune minus est, quam casus. Fortuna enim in solis est agentibus a proposito, casus verò etiã in agentibus naturalibus: similiter de effectu casuali & fortuito dicendum. Pro cuius notitia Aristoteles ponit hanc diuisionem.

Eorum quæ fiunt, alia per electionem fiunt, alia non per electionem.

Vnde exustio ligni in ignẽ cadentis de superiori loco per actionem formæ substantialis ipsum mouentis, dicitur effectus casualis eo quòd præter intentionem & inclinationem naturalem, talis accidit effectus, non est tamen effectus fortuitus, neque causa ipsa huius effectus per accidens fortuna, sed tantum casus dicenda est. Non enim voluntate libera descensum intendit. Vnde fortuna ab Aristotele definitur hoc pacto.

Fortuna est causa per accidens in his quæ per electionem alicuius gratia fiunt, extra semper & frequenter.

Per electionem fieri, nihil est aliud quam libera voluntate & ex proposito.

CAPVT XXIII.

Ex dictis quædam ponuntur concluſiones.

EX prædictis patet eorum falsitas, qui omnia ponebant fieri à casu & fortuna: similiter & eorum, qui nihil a casu vel fortuna fieri admittebant. In vtroque enim extremorum horum in est falsitas. Media autem sententia veritatem tenet, quæ neque omnia dicit, neque nulla a casu fieri & fortuna, iuxta declarationem suprapositam.

Conclusiones Aristo.

Patet insuper, quẽadmodũ insipiẽtibus & improuidis plurima cõtingãt casualia atque fortuita: prouidis autem pauciora. Nam improuidis plurima contingunt præter intentionẽ & per accidens, dum suas actiones easq; per se cõsequẽtia nõ attente considerant. Prouidis vero, diligenter & suas actiones & quæ consequuntur circunspicientibus, non ita multa præter intentionem siue per accidens contingunt ac proinde, non ita multi eis contingunt effectus casuales.

Atque hinc rursum colligitur, prouidissimo illi, ac summo sapienti deo (cuius ordinatissimã dispositionem & præuisionem nihil latere potest aut subterfugere) nihil accidere posse casuale vel fortuitũ cum præter illius intentionem prorsus nihil posset euenire, sine cuius ordinatione, dispositione, ac nutu, neque folium arbori decidit, neq; pilus deperit capiti.

Et frequenter ea quæ secũdum inferiores causas penitus casualia sunt aut fortuita, eadem quantum ad mentem diuinam primámque causam maxime sunt intenta, & secundum ordinatissimã eius dispositionem ita ordinata. Quemadmodum (exempli gratia) generis humani redemptio, legisq; veteris cessatio, & sanctę fidei ad gentes transitus (quę omnia ad Christi mortem consequuta sunt) velut casualia atque fortuita effecta sunt, quantũ ad principes Iudæorũ qui Christi mortem effecerant, & impiissimos dæmones qui ad eam sollicitando fuerant conati. Omnipotenti autem deo nihil vnquam æque prospectum fuit, intentũ, aut ordinatum, Siquidem ab æterno illc hac ratione instaurare decreuit & quę in cœlis & quę in terris erant collapsa, & in filio suo superbenecto omnia adimplere. Et vniuersaliter, nullus omnino cõtingit in hoc mundo effectus, quem non plenissima illa & æterna sapientia præuiderit ab æterno, atq; etiam si pessimus sit, nouit tamen ab æterno, & disposuit apud sese, cur illum esset in suo tempore permissurus, & dispositione ordinatissima omnia nouit in debitos vsus suos atque fines referre. *Col. 1.*

CAPVT XXIIII.

Quæ causarum genera deo vel competant vel nõ competant.

VT autem singula causarum genera ad deum nunc accommodemus, sciendum est, quod prima duo causarum genera (nempe materialis & formalis) deo non conueniunt, quoniam habent imperfectionem annexam. Materiam enim necesse est esse partem constituentem aliquid siue naturale siue artificiale. Similiter & de forma constat, per quam oportet rem esse. Deus autem nullam prorsus compositionem nouit, neq; pars esse potest, qui est totum & per-

fectum esse omnium rerum. Casus etiam & fortuna illi non conueniunt, qui est prudentissima prouidentia, citra cuius ordinationem & intentionem nihil potest euenire. Cætera duo genera (nempe efficiens & finis) quatenus perfectionem nominant, illi sunt omnibus modis attribuenda. Est igitur dominus Deus, omnium rerum finis vltimatus & vltimus, in quem omnes omnium particulares fines reducuntur, ad quem tendunt toto nisu vniuersis suis operationibus: omnia enim naturalia quanquam infima & vilissima, dū omnia ad hoc naturali tendunt conatu, vt illi assimilentur sua operatione, sicut & ipse summe potens est, summéque efficax in agendo, & dum omnia quærunt perfici, sicut & ille summe perfectus est. Duabus enim rationibus Deus omnium finis est, cum ratione finium particularium, quoniam nihil bonum est neque appetibile, nisi secundum quod est à Deo, tum ratione sui ipsius, qui est etiam vt summum bonum immediatus finis omnium.

Omnium finis est Deus

CAPVT XXV.

Quomodo omnium effectuum & rerum Deus est causa efficiens.

OMnium quoq; effectuum Deus est causa prima efficiēs, & producens, & conseruans. Omnium enim causa est, & ab ipso sunt omnia, non solum in fieri, sed quandiu sunt, continuo ipse eis esse influit, & omne efficiens particulare in ipsum Deum vt primum deducitur. Vt enim quælibet res sit efficiens, à Deo habet. Et hac ratione Deus quasi efficiens mediatum est eorum effectuum, quos mediantibus alijs agentibus operatur. Quanquam enim Deus per se potens sit absque medio omnia similiter, sicut nunc fiunt, efficere & disponere, tamen ad magnificentiam gloriæ suæ declarandam & donandam creaturis perfectionem (est enim magnæ perfectionis, virtutem habere quippiam efficiendi) proinde ita dispensat rerum ordinem, vt plurima alijs velit mediantibus efficere. Quicquid tamen potest mediante causa secundaria, hoc etiam per se si velit potest. Quid enim per se non poterit, qui per se cœlum & terram, angelos & homines potuit creare? Non tamen est intelligenda hæc mediata causalitas, ad eum modū quo in creaturis pater causa est mediata filij, quoniam medio seminis (in quo est tota patris efficientia) gignit. Nam & si Deus mediante alio quippiam efficiat, nihilominus tamen oportet ipsum esse effectui immediatum, & influere in ipsum suum esse, æque ac si nulla adesset secunda causa. Imò neque fieri potest, vt talem quælibet creatura virtutem accipiat à deo, vt possit per se solam, absque immediato dei cōcursu, aliquid efficere. Patet igitur, quomodo particularis agentis efficientia in Deum reducitur, sicque Deum quodammodo mediatum agens constituit. Deinde, immediatus Dei concursus ad efficiendam rem, Deum facit esse omnium causam immediatam.

Deus est rerum omnium causa efficiens.

CAPVT XXVI.

Vnde in rebus atque effectibus, possit defectus, aut peccatum, aut monstruositas inueniri.

IN illis autem operibus quæ absque particulari causa mediata Deus facit, nullus potest esse defectus, neque malū, neque peccatum. Sed in his quæ per causam mediatam facit, potest malum & defectus euenire: non ex ipso primo principio summe bono atque perfecto, sed ex particularis alicuius efficientis insufficientia, vel imperfectione. Ipse enim generaliter influit & concurrit, ad omnem actionem & opus omne, tam naturalis quàm volūtarij agentis. Cæterum, causæ particulares & secundariæ, quæ ad effectum concurrunt, efficiunt facile, vt defectus aliquis siue peccatum contingat.

Vnde manifestum est, quotiescunque effectus aliqui mōstruosi contingunt, debere defectum illum atque monstruositatem in aliquam reduci causarum secundarum.

Effectus autem monstruosus est, qui deformitatem aliquam notabilem habet, toti suæ speciei extraneam: idque ab origine. *Quid monstrum.*

QUemadmodum si quis nascatur duo habens capita, senos digitos in vna manu, os habens ad aurem retortum, aut rostrum caninum. Quæ possunt vel ex parte indispositionis materiæ, vel ex defectu & superabundantia euenire, simili-

ter & ex superabundantia vel defectu virtutis actiuæ, atque etiam alijs diuersis modis, de quibus particularius determinare, ad medicum potius quàm ad Physicum spectat.

Et quemadmodum in naturalibus istis defectus siue monstruositas in Deum nequaquam reducitur, sed in causam secundam deficientem, ita in actibus humanis qui à voluntate fiunt, si quid inest defectus atque monstri, si quid peccati & deformitatis (quemadmodum est in omnibus peccatorũ actibus) nequaquam in Deum primam causam reduci debet. aut illi quasi authori adscribi, sed in causam secundam, id est, in hominis peruersam voluntatem: ita vt quicquid est boni in actibus nostris, Deo omnis boni authori, quatenus bonum asscribatur: quod vero inest defectus atq; mali, nobis ipsis, id est, nostræ voluntatis prauitati imputetur. Iuxta quod per Osee prophetam dominus loquitur dicens, Perditio tua ex te Israel, tãtum modo ex me auxilium tuum, siue saluatio tua in bonum. Igitur domine omnem auferas impietatem, quam in nobis sine te nos sumus operati, & nunc accepta bonum placitumq; habe quod tu in nobis es operatus: & vitulos, labiorum nostrorũ, laudẽ & gratiarũ actionẽ, sacrificabimus tibi.

Osee.13.

Ibidem.

CAPVT XXVII.

Conclusio libri in conuersione ad creatorem ex spectaculo creaturarum.

Psal.114.

CONfitere nunc o anima mea domino, & conuertere in requiem tuam. Ascende in speculam celsitudinis tuæ, calcatisque subtus te elementorum globis, luna, sole, cunctisque cœlorum orbibus. Leua quoque te supra te, & stans prospice eminus super vniuersam creaturam domini Dei tui. Conuere, & prospice diligenter quemadmodum à summa illa ac prima omnium causa effluat esse omnibus quemadmodum illo perpetuo influxu etiam minimis creaturis (quas hominis fastus vix dignatur aspectu) suum cuique proprium esse influat, quomodo ab illo inexhausto fonte, tanquam sitibunda omnis creatura suam hauriat bonitatem atque perfectionem. Rursumque contemplare, quanto conatu vniuersæ creaturæ pro sua virili, certatim ad illud primum & summum bonum contendunt redire, à quo

Thre.3.

sunt egressæ. Videbis certè, nihil aliud omnem creaturã agere, quam ad eum tendere, & natiuo ac genuino desiderio incessanter ad illum anhelare, illique vt fiat simillima, toto nisu elaborare. O quam est iocundum hoc spectaculum animæ quærenti Deum. Ex aduerso autem quam fœdũ est & abominandum spectaculum, & monstrum nimis horrendum cum sic videamus omnem creaturam ad Deum conari ad quẽ tamen pertingere nequaquam potest, hominem solum oculos habere in terram defixos, cum sit ipse vnus in hoc factus, vt Deo sempiterno nexu copuletur. O monstrũ horrendum. O execrabile facinus. O immane scelus, homo Deum non quærens. Nos verò ad illum quem omnis laudat factura spiritalis atque corporea, corda etiam nostra leuemus cum manibus: & ne solos nos tam glorioso deesse cõtingat certamini, in quo primos iure fuisse opportebat, incessanter illius vacemus laudibus, ad illum desiderio semper incessanti anhelantes, atque per operationem Deo dignam & nobis congruã properantes, qui est vnus primus atque beatissimus, creatorum omniũ, peculiariter verò humani figmenti finis & requies vltima, a quo vno sunt omnia, & in quem item tendũt vniuersa. Cui sit honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Thre.3.

Finit Liber secundus.

CANTICVM PSALMI, IN LAVDEM *causæ primæ, creatricis omnium.*

COELI cœlorum & qui inhabitatis in eis accedite: terra, mare & quæ in eis estis, omnia, festinate in chorum gaudij.

Volucres cœli celeriter aduolantes ne moram nobis facite: etiã quæ super terram serpitis ac repitis, accelerate gressus vestros

Venite quæcũque subsistitis, colaudemus vnà dominũ: ipse est enim cuius potentia surreximus de nihilo.

Non sunt absque illo angelicæ substantiæ: siquidem in principio ipse creauit eas in nobilitate naturæ suæ.

Cœlorum quoque amplissimos orbes tu extendisti solus: tãtæ molis materiam erat tibi pro nihilo condere, qui es omnipotens,

Virtutem mirificam indidisti corporibus istis: vt ad efficiendum quoque sint potentia; quomodo tu in omnibus operans omnia, te demonstras omnipotentem

Hunc etenim tu deputas ornatum gloriæ tuæ, sic constituis & creaturas tibi non in minimo similes.

In omnibus verò quæ sursum habitãt & nostro aspectui apparens eminus solis iubar se se monstrat glorioſius.

Ipse graditur in magnificentia gloriæ suæ, per medium cœli, ex omni parte luminaribus mille millibus stipatus atque circundatus.

Quasi dominator in medio seruorum graditur in comitatu stellarum, & diffundit multo ardore circunquaque flagrãtes radios.

Quocunque aspexerit, illucescit lumen diei suo abscessu atque regressu contristat & lætificat omnia.

Cum abcesserit à terris aspectus eius, marcescunt omnia: ipso redeunte in placiditate sua renouatur facies vniuersæ terre.

Ipse vulnerat & sanat, mortificat & viuificat: & est in omnibus, o altissime, tui monstrans miram similitudinem.

Laudet te quoque pallida luna, & lumen stellarum: quibus cœlorum moles iussisti clarescere, & illuminari per noctẽ obscuritatem terræ.

Laudetur in ignis natura stupenda potentia tua: cui & ipsi miram tibi placet efficiendi communicare virtutem.

Pulcher est, iocũdus, atque formosus: fortis, validus, & in pugnando robustissimus.

Luce sua illuminat, & flagrat ardoribus: quæ bona sunt perficit, absumit mala commixta purgat.

Nunquid non in omnibus his similitudo tua relucet creator altissime? nam & tu ignis consumens es, probans, purgans, atque perficiens,

Sed & aquæ quæ sunt sub firmamento, habent paratam in se laudem tibi: in quibus virtutem constituisti admirabilis fœcunditatis.

Iussisti enim paulo post creationis initiũ producere eas natatilia viuentia: benedictionem tuam contulisti in illas, vt implerentur inhabitatoribus natantibus.

At verò terra mater communis omnium nostrum habet &

ipsa manus plenas laudibus parata offerre eas ante conspectum tuum.

Ecce enim quæ profert tibi ad obeditionem iussionis tuæ: herbam virentem, ligna pomtifera, & multum omnino decorem ad necessitatem, atque delicias filiorum hominum.

Cum tibi rationale figmentum operari placuerit aut fingere: ipsa est quæ tibi præbet copiosam semper materiam in opere tuo.

Et suis ipsa fructibus quos dedisti ei, sustentat mater bona filios suos: o Deus magne, quàm es in omnibus creator tu mirabilis.

Quo pergimus longius, eo minus pertingimus: laudent te in substantia sua quæcunque condidit altissima omnipotentia tua.

Nos quoque donec viuimus filij hominum benedicimus nomini gloriæ tuæ: & benedicemus à modo & vsque in secula.

Gloria patri, & filio, & spiritui sancto,

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.

FINIT PSALMVS,

LBER TERTIVS CONSIDERATIONIS PHYSICÆ, DE MOTV ET EIVS accidentibus.

PRAEFATIO.

AD gloriam Dei summi declarandã, posterum naturas, & causas, motum quoque explicare tentabimus. Ipse nanque vt solus penitus perfectus, actus purissimus atque perfectissimus est, omnis expers motus atque mutationis, ita cuncta creata mobilia fecit esse, motibusque variis ac multiplici mutationi subiecta, vnde est patentissima inter Deum & creaturas distinctio: quod Deus in se ipso æterna-

liter perfectus, nihil perfectionis neque appositione annorum acquirit, neque decursu perdit, neque secundum vllam omnino mutationem potest pertingere ad habendum quod non habuisset, siue ad perdēdū quod prius habuisset. Omnes autem creaturæ, ad suam perfectionem naturalibus attingūt mutionibus acquirentes per motum quod non habeant perdentes quod habeant. Atque hic finis erit considerationis huius, vt cognoscamus præsidentem omnibus, in se semper immotum permanentem, singulis quibusque rebus suos motus prouidissimè dispensantem, dominum Deum nostrum: qui moueri nescius, singula vt vult, & quando vult, mouere potens est: quique (vt diuinus ille ac plane theologissimus philosophus cecinit Boetius) Immotus ipse manens, dat cuncta moueri. Ad huius rei notitiam nonnihil profuerit subiicere diuisiones aliquod ab ipso Aristotele positas, quarum prima est hæc.

Boetius in lib. de consolatione philosophiæ.

Eorum quæ sunt, quædam actu tantum, quædam potentia sunt atque actu.

Cuius hic est sensus, rerum existentium, quædam est forma accidentalis aut substantialis, aut res ex illis composita, inquantum sub tali forma existens consideratur, alia est res existens inquantum talem formam non habet, & habere potest, vt homo ea ratione qua animam rationalem habet, albedinem, talem vel talem dispositionem, sub priori membro, sub consideratione verò carentis alia forma sub posteriori, vnde hæc membra tantum ratione differunt. Secunda diuisio est.

Horum aliud est hoc aliquid, aliud tantum, aliud tale, & in cæteris simili modo, quæ eius quod est prædicamenta dicuntur.

Id est, entium aliud est substantia, aliud quantitas, aliud qualitas, & sic de cæteris prædicamentis. Tertia diuisio est.

Eorum quæ sunt ad aliquid, aliud excessione defectionéue dicitur, aliud actiui passiuique atque omnino motiui ac mobilis ratione.

Cuius hic sensus, eorum quæ ad seinuicem quoquo modo

referuntur, quædā significatione acquisitionis siue generationis referuntur, siue actualis, siue potentialis possibilisve. alia verò deperditionis ratione, vt generās generatum, producens productū, generabile generatiuum, corrumpēs corruptum, corruptibile corruptiuum. Quarta diuisio est hæc,

Id quod mutatur, aut in substantia, aut in quantitate, aut in qualitate, aut in loco semper mutatur.

Cuius hic est sensus, motuum vel eorum quæ mouentur, aliud tendit ad substantiam tanquam terminū ad quem, aliud ad quantitatem, aliud ad qualitatem, aliud ad locum. Quinta est hæc,

Motuum siue ad substantiam sit, siue ad quantitatem, siue ad qualitatem, siue ad locum, alius est perfectus, alius imperfectus.

Ille perfectus est, qui ad formam perfectiorem tendit. Vt generatio hominis perfectior est generatione equi, & hæc generatione arboris, & hæc generatione herbæ. Imperfectus est, qui ad formam imperfectam est, aut priuatiuam, vt denigratio dealbatione, & corruptio generatione imperfectior est, & sic de cæteris.

CAPVT I.

De *definitione motus.*

DEfinit Aristoteles, motum hoc modo, *Aristot. 3. physicorum*

Motus, est actus entis in potentia vt est tale. Item alibi, Motus, actus est mobilis vt est mobile.

Hoc est, quatenus in potentia est. Qua definione significatur, motum esse accidentariam quandam rei mobilis formam, per quam veluti viam res quæ mouetur ad aliquid cōtinuo acquirendū vel deperdendū tendit, quasi ad terminū. Motus enim est, quo mobilis potentia ad actum deducitur. Quemadmodum cum ex ligno generatur ignis, per motum hunc generationis, continuo forma ignis in materiam ligni introducitur, & per corruptionis motū continuo extra lignū

pellitur præinexistens forma. Vnde statim euidentissime patet motum, non nisi ijs conuenire quæ potentiam habent admixtam, & à deo esse quàm longissimũ. Cæteræ verò creaturæ quo plus habent potentiæ, eo amplius sunt motibus subiectæ. Spirituales enim substantiæ sensibilibus non mouẽtur motibus, eo quod ad formas sensibiles potẽtiam non habeãt: intellectualibus tamen mutationibus subiacent, quoniã potentiam habent ad intellectiones & affectiones, ad esse, item & non esse. Cœlestia verò corpora, quia ad locum sensibilẽ potentia sunt, secũdum suas partes diuersa loca habere apta, ideirco mouentur motu locali. Alterationes verò horum inferiorum alterationibus similes non recipiunt, quoniam ad similes qualitates potentiam non habent.

CAPVT II.

De *motu instantaneo, subito, & successiuo.*

Quid motus instantaneus.

NOtandum verò est, quod quidam sunt motus instantanei, qui in momento temporis vel in non tempore perficiuntur: vt aeris illuminatio, quæ tota simul vno instanti completur, secundum omnes aeris partes. Hocque ideo, quia lumen in aere contrarium nullum habet, sed tantum sunt in eo tenebræ priuatio luminis, quæ nullam faciunt resistẽtiam soli illuminanti, atque hic motus nullas habet successionis partes.

Quid motus subitus.

Alius est motus subitus, qui in instanti non completur, tamen in imperceptibili fit tempore. Vt cum calefaciens, primum caloris gradum in subiectum inducit, in instanti hoc facere non potest, ob resistentiam aliqualem contrarij: tamen in imperceptibili tempore & indeterminato hoc facit, ita vt illius temporis non possit adæquatum assignari momentum, initians aut finiens.

Quid successiuus motus.

Successiuus verò motus & sensibilis est: quando aperta est in motu successio, ita vt monstrari possit, quæ pars formæ, qua temporis parte sit per motum introducta aut expulsa. Quẽadmodum est in motu calefactionis aut frigefactionis: quoniam calor totus, aut frigus totum, non in instanti neque subito, sed cum temporis successione in subiectum introducitur, ita vt secundum successionem, vna pars prius, altera posterius in subiecto habeatur. Et de huiusmodi motu plerunq; intelligimus, cum de motu loquitur rerũ naturalium. Res quippe naturales, non multum mouent neque mouentur instantaneè, partim ob defectum virtutis actiuæ, partim ob contrariorum resistentiam, vel mobilis indispositionem. Subitus verò motus, plerunque perficitur successiue, & in illũ finitur. Aqua enim licet incipiat subito calefieri secundum primum caloris gradum, quantum tamen ad totã caloris formam, successiue debet calefieri.

CAPVT III.

De *differentia rerum successiuarum, à rebus permanentibus.*

PRo pleniori autem motus intelligentia aduertendum est, quo pacto distinguantur ab inuicem res permanentes & successiuæ. illa nanque permanentia sunt, quæ omnes suas partes simul habent, aut habere nata sunt, ita vt nulla opus sit eis successione. Alioqui & qualitates sensibiles plerunque successione secundum partes suas absoluuntur, sed non hoc requirit earum naturalis conditio, verum ex motus natura contingit eis sic per accidens successiue fieri. Quemadmodum (exempli gratia) calor, res permanens est, quia tametsi ratione motus per quem habet acquiri, successiue fiat atque in subiectum introducatur, tamen quantum ex suæ naturę cõditione, nulla opus habet successione. Potest enim partes suas omnes simul habere, neq; in vllo fluxu consistit.

„ *Quæ res*
„ *fiat per-*
„ *manẽtes.*

Illæ autem res sunt propriè dicendę successiuę, quę ex naturali conditione partes suas habent in successione, ita vt simul eas habere non possint. Cuiusmodi sunt motus & tẽpus. Partium enim motus vel temporis aduenientes altera alteram abigit: & hac abeunte, succedit iterũ alia tertia, quod in horarum fluxibus apertissimum est. Porrò quod in permanẽtibus rebus positio, hoc in succedentibus est successio. Sicut enim ligni partes positionem certam habẽt adinuicẽ, vt hęc non possit esse simul secundum locum cum illa, sed separatim hæc pars hic est, illa illic, ista istic. ita similiter quando prima hora est, non est secunda, quando secunda non est prima neque tertia, sed successione continuantur adinuicem: quia nunc est prima, post eam subsequitur secunda, post quã euestigio succedit tertia. Vnde patet, sicut certa positione quãtitates permanentes sunt continuæ, ita tempus huiusmodi successione esse continuum. Diuiditur enim quantitas con-

„ *Quid res*
„ *successiuæ.*

tinua in permanentem & successiuam. Permanentes sunt, linea, superficies, & corpus. Tempus autem, quantitas continua est successiua.

CAPVT IIII.

Motum non esse quantitatem, neque vllo stringi prædicamento.

QVanquam autem motus succedentes habere partes secundum successionem intelligatur, non tamen ad quantitatis prædicamentum debet stringi, cum nihil ab ipso denominetur quantum, sed (sicut facile potuit aduerti ex dictis) à tempore, quod motum sequitur, vt pòst dicetur. Vagatur enim motus ad omnia prædicamenta quasi reductus, iuxta eius termini ad quem est, diuersitatem. Nam generatio & corruptio, ad substantiam: augmẽtatio & diminutio, ad quãtitatem: alteratio, ad qualitatem: loci mutatio, ad vbi siue esse in loco, reducuntur. Et quanquam ita per omnia secundũ reductionem motus vagatur, nullo tamen prædicamentali ordine constringitur, neque concluditur.

Motus vagatur per omnia prædicamenta.

CAPVT V.

Quomodo motus aliquis etiam in partes extensionis diuidatur.

PRæter motus diuisionem, qua diuiditur in partes succedentes, quæ copulantur per indiuisibile motus, correspondens instanti præsenti, quod solet vocari mutatum esse, est etiam quandoque diuisibilis in partes extensionis: Sicut enim totum cœlum habet totum motum quo mouetur, ita cuilibet parti cœli respondet aliqua pars illius totius motus. Nõ omnem tamen motum necesse est sic diuisibilem esse. Quandoque enim totum mouetur, & nulli parti motus cõuenit: veluti cum terminus ipsius motus indiuisibiliter sic est in toto, vt in nulla tamen subiecti parte, vel secundum se vel secundũ partem inueniatur. Vnde constat hanc diuisibilitatem cõpetere motui per accidens, ratione termini ad quẽ est motus secundum eius extensionẽ. Cæterũ, nullus motus partes vllas habet aut habere potest secundum intentionem cum nõ contingat plures partes eiusdem motus esse simul in eadem parte subiecti. Vel enim sibi inuicẽ succedunt, vel secundum extensionem in diuersis subiecti partibus existunt.

Aristoteles 6. lib. Physicorum.

Motus non potest intendi.

CAPVT VI.

De quinque ad motum requisitis & duplicibus mutationibus.

ADuertendum autem, ad motum necessario quinque requiri, nempe.

Tractat hæc Arist. 5 lib. physicorum.

Mouens, mobile, terminum à quo, termiunm ad quem, & tempus.

Absque his enim non fit motus, & sunt hæc in singulis motibus perquirenda: vt alteratione à vitiis ad virtutes, est mouens & operans Deus, atque suo exercitio liberum hominis arbitrium: ipse homo, est motum: terminus à quo receditur, vitium est: terminus ad quem acceditur, virtus est: tempus est, visitationis dominicæ hora, siue aliud quodcunq; aduersitatis aut prosperitatis tempus, in quo se quis à vitiis auertit ad virtutem.

Terminus quippe à quo, intelligitur id quod per motum abiicitur: quod aliquando est pura negatio vel priuatio formæ, quæ per motum acquiritur, aliquando forma contraria. Vnde claret, quasdam mutationes esse de contrario in contrarium, vt ex calido fit frigidum, ex albo nigrum. Item ex hæretica opinione mala, fit alteratio ad contrariam opinionem. ex carnali amore, conuersio ad amorem spiritualem, à vitio, ad virtutem, vt à gula ad sobrietatem: ex denso, rarum: ex leui, graue. Sub quibus comprehendimus motus, qui sunt de medio in alterum extremorum, vel econtrario: vt ex rubeo in album aut nigrum, aut econtrario. Et eiusmodi motus propriè vocantur motus, eo quòd sunt (secundum Aristotelem) de subiecto in subiectum, id est, de affirmatione ad affirmationem, vel de forma in formam suntque hi motus difficiliores. Quædam sunt mutationes à priuatione tantum, vel negatione, ad oppositum habitum: Vt ex non homine generatur homo, ex non igne ignis, ex indocto & rudi fit doctus, ex infideli priuatiue, fidelis: quando nimirum is, qui de dogmatibus fidei catholicæ neque rectam neque peruersam habet opinionem, in fide docentis opera eruditur, vt rectè quemadmodum oportet de eis sentiat: ex tenebroso lucidũ, atque ita in similibus. Quas mutationes faciliores esse constat. Et (iuxta Aristotelis

„ *Quid terminus a quo.*

Universidad de Deusto Biblioteca

sententiam) motus propriè non sunt, sed mutationes tantũ: quia sunt de non subiecto in subiectum, id est, de priuatione vel negatione (quæ per non subiecta intelligit) ad affirmationem: aut ẽ contrario de subiecto ad non subiectum, id est, de affirmatione ad negationem vel priuationem. Huiusmodi autem sunt generatio, quæ est à non esse ad esse: & corruptio, quæ est ab esse ad non esse.

CAPVT VII.

De termino ad quem, & à quo: & quomodo secundum eos motus distinguantur vel non distinguantur.

Quid terminus ad quem

TErminus vero, ad quam, illud dicitur ad quod mobile siue id quod mouetur tendit, siue sit affirmatio siue negatio: vt terminus ad quem generationis est forma rei quæ acquiritur per generationem, & esse rei quæ acquiritur per generationem, siue esse rei generatæ. Ad hoc enim tendit generatio, & forma substantialis insit in materia, & res substãtialiter existat. Terminus corruptionis ad quem, est priuatio formæ præexistentis, & non esse rei præexistentis.

Terminus ad quam, est dignior termino a quo

Quippe ad hoc tendit corruptio, vt materia priuetur forma quæ inerat, & res quæ præerat suum esse perdat. Terminus augmentationis ad quem, est maior quantitas: Diminutionis minor quantitas. Alterationis verò terminus, est qualitas secundum quam res alteratur. Loci mutationis, ipsum vbi, siue (vt crasius dicamus) locus secundum quem res variatur.

Vnde distinctio generica motus

Est autem terminus ad quem, dignior & principalior in consideratione motuum, termino à quo, quoniam & ab ipso motuum denominatio sumitur: vt alteratio, ad albedinem dealbatio, ad nigredinem denigratio vocatur. Quodque amplius est, etiam distinctio generica atque specifica ex ipso accipitur. Secundum enim terminos ad quos sunt, distinguuntur (vt supra declaratum est) generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, atque loci mutatio. Item generationes viuentium & inanimatorum distinguuntur genere propter formas diuersorum generum. Generationes hominum & brutorum distinguuntur specie, ob formas ad quas sunt specie differentes. Generationes diuersorum hominum, numero distinguuntur, ob formarum ad quas sunt numeralem tantum distinctionem. Ita similiter in aliis motuum generibus est dicendum. Non solum tamen ex diuersitate termini ad quem motus distinguuntur: sed accipitur etiam distinctio motuum ex medio, quod ad terminum ad quem necessariò debet peruenire, ob concatenationẽ cũ termino ad quem. Motus enim rectus & circularis genere differunt, propter diuersum modum spatij quod pertransitur: item motus rectus & motus curuus ad eundem locũ. Itẽ doctrinatio eiusdem conclusionis, iam per demonstrationẽ, iam per veresimile tantum argumentum, ob medij diuersitatem variatur. Neque profecto minus apparet hæc distinctio ipsius motus per se esse, quæ sic ex medio vel ratione aut modo aut conditione motus sumitur, quam ea etiam ipsa quæ ex termino ad quem sumitur. Ex termino autem a quo, cõstat nunquam variari speciem motus. Eiusdem enim speciei est dealbatio quæ est a nigredine ad albedinem, cũ ea quæ est a rubedine: & eiusdem speciei generatio ignis qui est ex stipula, & qui ex ligno. Diuersitatem autem numeralem facit quodlibet illorum suprapositorum. Qui enim mutus vel aliud mouens, vel terminum à quo, vel adquẽ alium, vel aliud tempus, vel aliud mobile habent, numero sunt indubiè diuersi. Facilius enim est numerum variare in rebus, quam speciem. Quanto enim minor est distinctio, tanto acquiritur facilius: quemadmodum cõtrariò, maior distinctio (nempe generica vel specifica) est difficilor.

Terminus a quo specie motus non variat.

CAPVT VIII.

An motus distinguatur a suo termino ad quem est.

NOn est verò dubitandum vlla ratione, quin motus à termino suo ad quem alius sit ac distinguatur, vt minimum secundum rationem: cum motus rationem habeat rei successiuæ, sitque motus omnis quatenus motus, res successiua, non autem terminus ad quem: cum sit secundum suum esse res permanens, etiam si successiuè fiat atque producatur in subiecto. Verum de reali distinctione quæstio solet agitari, an motus res aliqua diuersa sit, & realiter secũdum suum esse differens a termino ad quem est. quibusdam realem distinctionem ponentibus, quibusdam negantibus, & ratione tantum distingui asserentibus. Iuxta quorum sententiam dicendum est, quod substantialis ipsa forma quæ in generatione acquiritur in generato, vt a mouente in motum producta, quatenus per eam ens potentia,

actu fit, si ipsa generatio : forma verò quæ deperditur, sit ipsa corruptio & maior continuo acquisita quantitas, augmentatio: minor, diminutio. Frustra enim (vt ipsi aiunt) rerum pluralitas absque necessitate ponitur. Neque tamen admittunt, in eisdem prædicamentis ponendos esse motus, in quibus termini ponuntur, tametsi secundum rem sunt idem: quoniam diuersa ratio prædicamentorum ordines etiam variat.

CAPVT. IX.

De motu in comparatione ad adiectionem & passionem, & de vocabulis motum significantibus.

Similis quoque de motu & actione & passione quæstio fieri solet, num realis sit ponenda distinctio inter actionem & passionem, & motum, an secundum rem coincidere dicenda sint, sola variantia ratione? Et huic quoque quæstioni contrariæ adhibentur responsiones, alteris priorem alteris posteriorem sententiam approbantibus. Sunt enim qui motum dicunt, non nisi secundum rationem differre ab actione & passione. Verum in his atque similibus, vbi de reali distinctione mouetur quæstio, non multum est anxiè perquirendum, cum vtraque pars suam plerũque habeat probabilitatem, & suis rationibus ambæ sententiæ plerũque muniãtur. Neque ad verum Philosophiæ finem (qui est deũ in creaturis cognoscere, agnitumque collaudare) huiusmodi perplexæ & steriles quæstiones multum admodum videntur habere momenti. Illud autem aduertẽdum est, quod motus non est in mouente, tametsi afficiatur à mouente: sed est in ipso mobili, sicut & terminus ad quem in mobili tantum est, non in mouente. Neque fingi debet vnus motus in mouente quo moueat, & alius in mobili, quo ipsum moueatur. Sed quemadmodum (iuxta Aristotelem) eadẽ est via à Thebis ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas: sic motus vnus est, quo agens mouet extrinsecè, & intrinsecè mouetur mobile. Est enim motus, medium quoddam, & veluti quædam via inter actionem & passionem. Vbi rursum notandum, ratione huius coniunctionis distinguendas esse iuxta te exempli gratia generare, corrumpere, generari, corrumpi, calefacere, calefieri generatio, corruptio, calefactio, dealbatio doctrinatio, atque id genus alia, motum vel actionem aut passionẽ significare solita. Si enim motus significant, nõ collocãtur sub actione vel passione. Si vero actiones & passiones cum motu coexistẽtes significãt, sub actione aut passione constituentur. Est enim generatio, corruptio, augmẽtatio, diminutio, dealbatio, doctrinatio quædã actiua, id est, actio: quædam passiua, id est passio: quædã neutra, id est, motus ipse, qui neq; actio neq; passio est, sed inter vtrunq; mediat. Vocabula autem illa quæ motus significant aut actiones passionésve immanentes animæ (cuiusmodi sunt intellectio, visio, volitio, auditio, ac similla) prẽter supradictas tres acceptiones, accipiũt etiam quartam. Est enim visio actiua, qua obiectum agit in sensum: est visio passiua, qua sensus ab obiecto patitur: est visio motus, id est alteratio ipsa visus: & est visio quarta, quædam neutra qualitas (vt dici solet) tertię speciei qualitatis, quæ motus visionis solet assignari terminis, soletq; ad disiunctionem, actus videndi seu visio neutra nominari. De his vero latius pertractare, non arbitror præsentis esse negocij.

Nota attẽtè

Motus est in mobili tantum.

Aristot. 3. physicorum

Triplex significatio dictionum motus designantiũ.

Quadruplex significatio.

CAPVT X.

De motus continuitate, & quid ad eam requiratur

His vero præmissis, consequenti ordine de quibusdam motui accidentibus est determinandum. Et primũ quidem, de motus ipsius continuitate, ad sciendum, quis motus continuus sit aut non continuus. Est ergo aduertendum, quod ad motum continuum requiruntur, continua formæ acquisitio vel deperditio, mobile continuum, & temporis continuatio, ita vt nulla sit in motu temporis, interruptio: quod si horum aliquod defuerit, non potest esse motus continuus. Non autem requiritur mouentis continuitas, quia succedentibus absque interruptione temporis diuersis mouentibus eiusdem rationis, continuus effectus producitur. Neque item requiritur continuitas termini à quo, quoniam continuo motu prius à calore, post à tempote, ad frigus mouetur mobile. Medium quoque non oportet esse continuum, Vnus enim motus secundũ locum est, qui per cõtigua tantum fit. Non tamen sufficiunt, consequenter se habentia,

Tractantur ista ab Ari. 5. li.

Est enim differentia inter continua, contigua, & consequenter se habentia.

Cõtinua " *Cõtigua* "

Vnde continua sunt, quorũ vltima sunt vnum: ita vt quod est finis vnius sit alterius verum initium. Cõtigua sunt, quorum vltima non sunt quidem vnum, sunt tamen simul. Simul autem sunt, quæ se inuicem tangunt: vt duæ lineæ diuisę, quæ se inuicem tangunt in finientibus punctis, sunt contiguæ & non continuæ. Similiter duo ligna diuisa, se inuicem in extremitatibus proxime tangentia, contigua sunt, non continua. Continua vero sunt, duæ partes integrales vnius lineæ, adinuicem proximæ, & vnius totius integralis, ligni duæ medietates sibi inuicem proximæ: Consequẽter vero se habent, quorum vltima non sunt vnum, neque etiam simul: inter quæ tamen nullum medium est aliud eiusdem rationis. Vt duæ domus inter quas est spatium intermedium, nulla tamen alia domus, consequenter se habenti quas tamen manifestum est neque continuas esse, neque contiguas. Continuæ autem domus essent, si vnum haberent eundémque parietem, qui huius esset finis & illius principium. Contiguæ verò, si diuersos quidem parietes, tamen se inuicem contingentes.

Cõsequẽter se habentia. "

CAPVT XI.

De *motus tarditate, velocitate, atque frequentia, déque causa tarditatis aut velocitatis in motibus.*

Motus tardus & velox.

TArdus motus est, quo maiori tempore minus acquiritur vel deperditur. vt tarde calefit aqua, si magno tempore parum caloris acquirat: tarde augmentatur siue crescit arbor, si in prolixo tempore parum acquirat maioris quantitatis: tarde discit discipulus, si in multo tempore, scientiæ atque doctrinæ paulum assequitur: velox motus est, qui minori tempore multum acquirit aut perdit: quemadmodum in aqua breui tempore vehementer calefacta, & in discipulo industrio ac diligenti breui tempore multam scientiam assecuto. Vbi diligenter attendenda est differentia, quæ est inter motum velocem & motum frequentem. Frequentia enim, interruptionem & discontinuitatem significat motus: longe vero aliud, velocitas.

Vnde tarditas in motu.

Procedit autem hæc traditas in motu, aliquando ex defectu virtutis mouentis. Ignis enim modicus, nequit velociter calefacere: & doctor piger atque ineptus, nequit discipulos *tu.* cito ad doctrinam adducere. Nonnunquam vero, ex resistẽtia contrarij. Nequit enim etiã magnus & validus ignis, hominem multum frigidum cito calefacere: neque præceptor industrius & diligens, hebetem & obtusum pigrumq; discipulum, cito in scientia erudire, aut petulantem cito moribus probis instituere. Aliquando, ex resistẽtia medij. Lapis enim licet grauis, non potest cito per aquam mouere, sicut per aerem: nec pluuia potest velociter descendere, ob resistentiam aeris. In voluntarijs autem, præter causas supra dictas, voluntas etiam sua libertate causa esse potest tarditatis aut velocitatis motus. Homo enim nullum habens impedimentum velociter vel tarde mouendi siue agẽdi quippiam, potest tamen pro sua voluntate vel tarde vel velociter agere. Et primum mouens, quod est super omnia mouentia deus in sæcula benedictus, cum neque virtute deficiat, neque vlla resistentia aut inconuenientia impediri possit, quædam tamen velocius, quædam tardius mouet, pro suo beneplacito, cui sine resistentia atque contradictione obediunt vniuersa.

CAPVT XII.

De *vniformitate & difformitate motus.*

Moueri vniformiter & difformiter

ATtenditur autem etiam vniformitas vel difformitas in motu, secundum considerationem partium ipsius mobilis. Illud mobile quod iuxta omnes partes suas æqualiter atque similiter secundum velocitatem aut tarditatem mouetur, vt totus homo æque velociter in omnibus membris calefactus moueri dicitur vniformiter. Illud vero quod nõ secundum omnes partes æqualiter, sed secundum diuersas partes diuersimode mouetur, secundum aliam velocius, secundũ aliam tardius (vt homo citius in manibus quàm in pedibus calefactus,, aut in eisdem membris nõ æqualiter calefactus) difformiter moueri dicitur.

Prouenit autem hæc difformitas in motú, aliquando ex parte virtutis ipsius agentis, quæ tam vicina nõ est vni parti sicuti alteri. Aliquando ex parte mobilis, quia nimirum vna

Universidad de Deusto
Biblioteca

pars est magis indisposita ad susceptionem actiuitatis, quàm alia. Notandum autem est, quod secundum locum difformiter mouetur omne corpus circulariter motum, etiam cœlestes orbes. Sæpe enim velocius mouẽtur partes supremæ, quàm quæ sunt circa centrũ aut mediũ: quoniam illæ lõgiùs distantes magnum spacium pertranseunt, cum istę proximiores in æquali tempore, animam circulationem absoluant. Id quod in rota figuli manifeste demõstrari potest: vbi partes quæ axi proximę sunt, prorsus æquali tempore suam minimam circulationem complent, quo partes extremę à medio longissime distantes, suum illum multo maiorem absoluunt ambitum. Ita quę non æqualiter secundum omnes partes accipiunt incrementum, difformiter augeri dicuntur. Et modo quodam etiam illi qui non secũdum corpus & animam æqualiter proficiunt (vt pote qui corpore crescunt: & animę profectũ nullum in virtutibus aut moribus accipiũt) dici possunt difformiter proficere atque augescere: quanquã non est postremus iste sermo proprius, eo quòd ex partibus integrantibus mobilis, nõ essentialibus proprie fieri debeat consideratio vniformitatis aut difformitatis.

CAPVT .XIII:

De *motu regulari & irregulari.*

Quis motus regularis & irregularis.

INsuper poni solet in motu regularitas & irregularitas, quę non attenduntur secundum partes mobilis, sed magis secundum tempus in quo fit motus. Si enim mobile toto tẽpore moueatur similiter siue æqualiter, secundum velocitatem & tarditatem in principio medio & fine, dicitur motus regularis. Vnde cœlum regulariter, licet difformiter, mouetur. Sic qui nunc velox est in disciplinarum aut virtutum profectu, cras tardior, irregulariter proficit, quoniam non similiter continuat. Procedit autem hæc irregularitas potissimum ex virtute mouente, quæ augetur vel minuitur. Quod enim mouetur naturaliter, in ipso motus sui initio tardius, in medio velocius, in fine velocissime mouetur, propter continuo aduenientem impetum, qui formam substantialem adiuuat in mouendo, atque etiam ob loci naturalis approximationem. Quemadmodum enim vnaquęque res ad suum locum naturalem desiderat, vbicunque extra ipsum fuerit

Arist. 8. lib. phys.

posita, ita quo fuerit erit vicinior, magis naturaliter desiderat, atque ad ipsum fertur, tenditque vehementius. In iis autem quæ mouentur violenter ab extrinseco motus in principio præceps est & velocior, sed continuo fit remissior virtute impressa continuo debilitata.

In motibus verò qui secundũ sensum sunt, aut etiam nõ nunquam secundum rationem, vt in motu progressiuo & similibus, principium est quidem vtcunque velox, medium velocius, finis tardior atque deficiens. Quod ex parte instrumentorum est, quæ in principio nondum sunt satis disposita ad expeditè motum peragendum, sed per continuam exercitationem rectius disponuntur: quemadmodum de vocis prolatione euidenter docet experientia. Tandem tamen, propter debilitatem si diutius perduret continuus motus, instrumenta motus flaccescunt, & velut deficiunt: quemadmodum in vocalibus instrumentis experimur post longam locutionem, siue cantationem prolixiorem: inque cruribus & neruis, post diuturnam ambulationem.

Notandum verò est, quod primũ agens ac mouẽs, tametsi totam cœlorum machinam difformiter admodũ moueat, faciens spheras difformibus atque diuersis motibus aliã quidem citius aliam velocius suum cursum absoluere, mouet tamen eam ab initio vsque ad finem, motu regularissimo & ordinatissimo, eandem semper in motu regulam seruans atq; custodiens. Neque enim ab initio seculi, citius aliquãdo aut tardius primum mobile motum est, aut mouebitur vnquam, quam nũc moueatur: neque item aliorum orbium quisquam, siue motus proprios, siue raptus ipsius motum consideremus.

Attente nota.

Et est id quidem supra modũ admirabile, in tanta difformitate motuum corporum cœlestium, perpetuo regularitatẽ huiusmodi seruari posse, eiusque palã attestatur gloriam, qui in ea sapientia secundum quam cõdidit vniuersa, regit etiam mouet atque gubernat, qui est in secula benedictus, Amen.

CAPVT XIIII.

De *motu naturali & violento, & quomodo in singulis motuum generibus hæc inueniantur.*

„ Quid nã „ turalis „ motus.

MOtuum insuper quidam sunt rebus naturales, quidam violenti.

Est autem motus ille rei naturalis, qui est secundum

naturam rei, & ei est conueniens, vt igni, moueri sursum, & rare fieri, nisi fortè condensari ipsum amplius quam conuenit, contingat. Hi enim motus conueniunt naturæ vel formæ ignis.

Quis violentus

Motus violentus vel contra naturam est, qui rei secũdũ « suam naturam non conuenit neque est secundũ naturã rei, « sed ab extrinseco mouente imprimitur, forma contranitẽte. « Vt motus ignis deorsum, & eius cõdensatio vel compressio, « motus lapidis sursum, aut aquæ siue terræ nimia rarefactio. « Repugnat siquidem naturæ ignis, & formæ eius, motus deorsum & nimia condensatio, quemamodum aquæ & terræ, motus sursum aut nimia rarefactio, atque ita in cæteris.

Vbi notandum est, materiam sicut est ad omnẽ formam indeterminata, ita & ad omnes accidentales dispositiones esse indifferentem, si in sua generalitate considererur. Verum quatenus per formam limitatum esse participat, illa ei etiam dicuntur secundum naturam, quæ ipsi conueniunt sub forma quam habet. Et illa dicuntur ei esse contra naruram, etiã ex parte materiæ, quæ ipsam à suo esse quod habet participatum nata sunt repellere.

Arist. in 5. lib. phy.

Notandum vero, in omnibus motuum generibus inueniri motus aliquos naturales, alios violentos. Generationes enim quædam naturales sunt, vt florum in æstate, & corruptiones eorum in hyeme. Quædam violentæ, & generationes florum vel folliorum in hyeme, ab aliquo accidente: & corruptiones subitæ florum in æstate ante defectum naturalem, ob vehementem æstum solis aut aliud quodlibet accidens malum superueniens. Ita sunt partus tempestiui & partus abortiui. Ita quædam naturaliter fit augmentatio, quædam violenter: vt augmentatio subita vel nimia pueri: vel tritici intempestiua augmentatio, ob abundantiam pluuiæ. Ita in diminutione virium, ita & in alterationibus dicẽdum: Imo quædam sanatio est naturalis, quædam violenta. vt quæ sit ab aliquo extrinseco per violẽtiam ratione cuiuslibet accidentis. Quanquam enim sanitas semper sit naturæ cõueniens, potest tamen motus per quem ipsa introducitur esse violentus, quando non per media naturæ conuenientia, sed magis per accidens introducitur, cum violentia agentis forma contranitente.

Item & sanatio quæ fit in diebus criticis naturalis est, quæ verò dies criticos præuenit aut subsequitur innaturalis, vt ait Aristoteles.

CAPVT. XV.

Quomodo adinuicem debeant motus vel comparari vel non comparari.

Tractat hæc Arist. 7. li. Physic.

NOn est autem quilibet motus cuilibet motui comparabilis, secundum supra determinatas proprietates vel accidentia. Motus enim rectus & circularis, secundum velocitatem, vel tarditatem non debent, comparari. Vt enim in genere quolibet recta sit comparatio, oportet eam fieri secundum speciem specialissimam. Non enim dicitur vnum alio magis coloratum, aut quale, sed magis calidũ vel magis albũ. Oportet item, vt fiat comparatio in aliquo quod vtrique comparatorum vniuoce & secundum eandem rationem cõueniat. Non enim dicitur homo magis sapiens, quam brutũ, neque brutum melius sentiens quam lapis, cum in vtraque comparatione, ea quæ comparantur, non conueniãt in eo in quo fit comparatio. Neque rursum medicina magis sana dicitur, aut minus, quam homo: neque potio ipsa, magis quam vrina aut homo. Quamuis enim quod libet horum sanũ dicitur, nempe homo, potio & vrina, fit tamen hoc ratione atq; consideratione diuersa. homo enim sanus dicitur, vt habens in se sanitatem. vrina, vt significatiua sanitatis: potio, vt effectiua eiusdem. Vt ergo omnino recta sit comparatio, sumendi sunt duo motus eiusdem speciei, eiusdemque rationis qui secundum aliquod prædictorum accidentium comparentur. Quẽadmodũ (exempli gratia) hic motus rectus illo recto est velocior aut tardior, regularior aut irregularior, vniformior aut difformior, & hic circularis, illo: hæc alteratio, illa: hic motus localis, illo, atque ita in cæteris.

CAPVT XVI.

De motuum contrarietate.

Arist. 5. physico. Qui motus contrary.

MOtus ex terminis contrariis, non sunt necessario contrarij, vt patet de motu qui est ab albedine ad rubedinem, & de nigredine ad eandem rubedinem, qui sunt eiusdem speciei specialissimæ. Qui autem sunt ad terminos cõtrarios, sunt contrarij, etiam si non sint ex cõtrariis terminis.

Ab eodem enim medio termino motus sursum & deorsum, contrarij. Et dealbatio quæ est à rubedine, contrariatur denigrationi quæ ab eadem tendit rubedine. Illi tamen motus sunt maximè contrarij, qui sunt à contrariis terminis ad cõtrarios terminos: vt qui est ab albedine ad nigredinem, illi qui est à nigredine ad albedinem, maxime est contrarius, & magis quàm ille qui à media tantum est qualitate.

Arist. circa finem. 5. li. physic.

Sumitur etiam contrarietas motum accidentaliter, secũdum naturale & violentum: ita vt generatio naturalis dicatur contraria simili generationi in specie violenter. Sed hæc non est specifica & essentialis contrarietas, cum naturale esse & violentum non varient speciem motus, neque etiam cætera supra posita accidentia. Opponitur præterea motus etiã quieti, sumendo quietem semper motui oppositam. Vt motus à loco aliquo opponitur quieti in loco illo: nõ autem motus ad locum aliquem contrariatur quieti in eodem loco, quemadmodum habet Aristoteles. 5. libro physicorũ. Non est tamen hæc oppositio contrariorum, sed priuatiue oppositorũ.

Quid quies.

„ Quies enim, nihil aliud est, quam priuatio motus, atque ab „ eo cessatio, in subiecto apto nato. Quemadmodum autẽ supra motus quidam dicti sunt naturales, aliqui violenti, & de quiete possumus distinguere. Lapis enim, in suo loco naturali quiescit quieti naturali: extra verò eum, quiescit violenter.

CAAPVT XVII.

De *iis quæ mouentur, quomodo quædam per se, quædam per accidens moueantur.*

SVpereſt nunc, posteaquam de motus natura & proprietatibus diximus, de mouentibus etiam & motis determinationem subiungere. Ac primum quidem est aduertendum, quemadmodum inter ea quæ mouentur quædam tantum secundum partem mouentur, vt cum solam manum agitamus: quædam verò secundum ipsum totum, vt cum corpus vniuersum agitatur, siue saltu, siue ambulatione, siue alio quolibet modo. Rursum, quædam per se mouentur, vt totus ipse homo ambulans de loco in locum: quædam verò per accidens mouentur alterius gratia, nimirum quæ in eo sunt quod per se mouetur. Idque rursũ dupliciter, vel sicut partes in toto, vt manus per accidens ad totius corporis motum: &

Aristo. 7. physic. & 5

qui naui vehuntur gratia nauis cui insunt pariter mouẽtur, sed per accidẽs: vel sicut accidẽtia, quæ rebus insunt quę mouentur, maxime corpralia, quæ per accidens moueri dicuntur admotum sui subiecti: quẽadmodum ex Aristotele vulgo adduci solet, Motis nobis, mouentur omnia quæ in nobis sunt. Cõplectitur autem Aristoteles hæc vnica hac diuisione, quinto physicorum.

Dictũ Arij 2. lib. Topicorum.

Eorum quæ mutantur, aliud per accidens mutatur, aliud ex eo quia aliquid huius mutatur, aliud ex eo quia ipsum primo mouetur.

Cuius sensus ex precedentibus & subsequentibus satis patet. Primę partis exempla sunt, dum musicus dicitur ambulare, sanare. &c. Est siquidem motus deambulationis musicę extraneus & per accidens, quemadmodum & reliqui. Secundæ exemplum est, dum homo dicitur sanari, quia oculus, manus, pes aut caput sanatur: motus enim toti homini attribuitur, qui tantum parti conuenit. Tertiæ exemplum est, vt homo ambulat, ægrotus sanatur, dum ratione totius corporis pristinæ valetudini restituitur. hinc & similis diuisio mouentis ab Aristotele colligitur, hæc videlicet,

Aliud per accidens mouet, aliud parte, aliud per se primo.

Quæ ex præcedente facile patet cum exemplis, si ea quæ rei mobili seu motæ attributa sunt, mouenti applicentur. Similis quoque diuisio ab Aristotele de termino à quo motus procedit, & ad quem tendit datur.

Terminorum à quo & ad quem, alius est per accidens, alius ratione partis, alius per se primo.

Vt si quis simul ambulet & sanetur, loco à quo recedit, aut ad quẽ tendit, impertinens & per accidens est motus ad sanitatem. similiter sanatio febris, pars est, si conferatur ad sanitatem in genere, respectu verò sanitatis febri oppositæ, habet terminum per se primo. Ad hunc enim terminum per se primo motus tendit, quæ est sanatio à febri.

CAPVT XVIII.

Quomodo aliter partes integrantes in toto moueantur quàm accidentia in subiectis.

IN hoc tamen partes ab accidentibus sunt diuersę, quod corporis partes, totius motus aliquam partem in se habét, cuius comparatione quodammodo per se mouentur, sicut per accidens mouentur comparatione ad motũ totius. Quémadmodum enim totus motus in toto corpore est, sic partes motus in partibus sunt corporis totius? quemadmodum de alijs corporalibus accidentibus est manifestum. Accidentia verò nihil in se motus habent, sed extrinsece prorsus ad motum subiecti moueri dicuntur.

Arist. 4. physi in materia de loco.

Proinde, quæ secundo hoc modo per accidens mouentur, magis per accidẽs & magis improprie moueri dicũtur, quàm quæ modo priori. Nam quę priori modo per accidens moueri dicuntur, simul etiam per se secundum alium motũ moueri possunt: quemadmodum is qui in naui ambulat, ratione ambulationis quam à naui non habét, per se mouetur: ratione verò vectionis, per accidens. Sic cum inter ambulandum quis agitat manum eámq; in sublime tollit, manus illa quatenus ambulatione vna cum toto corpore de loco fertur in locum, per accidens mouetur: secundum verò illum agitationis motum, per se rectè moueri dicuntur. Nunquam verò id in accidentibus vsuenire potest, quæ per se moueri nõ possunt, sed per accidens & extrinsece tantum.

CAPVT XIX.

Quomodo rerum essentiæ nullo modo dicendæ sint moueri, neque Deus inexistens omnibus.

ESsentiæ autem rerum quæ mouentur, nullo modo moueri dicendæ sunt, neq; etiam spiritualia accidentia, quæ creaturæ rationali secundum rationem insunt.

Vnde cum homo mouetur secundum corpus totum, anima tamen ob hoc moueri non dicitur, neque ipsa eius humanitas, neque vllus interior animæ actus.

Ex quo patet, tametsi in omnibus rebus Deus existat, nulla tamen ratione debere illum dici moueri ad motum rerum quibus inest: Cum rebus ipse insit, non per modum accidentis, neque per modum partis integrantis, imò neque per modum partis essentialis (cum ipse ille nullius sit pars cõpositi,

neque esse possit) sed inest omnibus per suam essentiam, ineffabili modo, præsentiamq; & potentiam quasi dator essentiæ & existentiæ rerum, eiusque custos & sustentator, in omnibus mouentibus & motis ipse existens atque inhabitãs, prorsus immutabilis.

CAPVT XX.

Regula generalis pro ijs, quæ motu physico mouentur.

DE rebus autem naturalibus quę per se mouentur physico & naturali motu, dari solet hæc generalis regula, Omne quod mouetur, ab alio necesse est moueri. Quod vt veritatem habeat intelligendum est, vel de mouente extrinseco, vt in ijs quæ mouentur violenter, vel de principio motus intrinseco, quod est forma substantialis rei. Agens enim naturale, non potest seipsum primo mouere, id est, totaliter & secundum vtranque partem essentialem: neque item primo, id est, secundum vtramque essentialem partem moueri: sed altera semper est per se mouens & agẽs, forma: altera per se mota atque patiens nempe materia. Dictum est autem signanter de ijs quæ mouentur motu physico, & de mouentibus rebus naturalibus, quoniã anima, quæ res naturalis: non est, seipsam primo mouere potest, quia seipsam in actu facit, & ad intetellectionem atque volitionem per se mouet, neq; hic opus est diuersitatem moti atque mouentis, sed eadem anima & mouet seipsam, & à seipsa mouetur.

Hanc conclusionẽ ponit & demõstrat Aristo. initio 7 libri physi.

CAPVT XXI.

De mouentibus subordinatis & non subordinatis.

QVoties verò ad aliquod mobile plura contingit cõcurrere simul mouentia, talis inter ea debet esse subordinatio, quod mouens proximum mobili mouet in virtute mouẽtis prioris quod à re mota est elõgatius, vt cũ lapis mouetur à baculo, & hic à manu, & minus à corde, baculus est mouẽs proximum moto, & ideo est minus principale in illo motu: cor & est ibi primũ in mouẽdo & principalius, quãuis remotius. Vnde patet deũ (eo quod sit primus in omni motu, in cuius virtute mouent alia omnia secũdaria mouentia) esse principalissimum in mouẽdo, eumq; omnis motus in hic inferioribus causam primariã atq; prẽcipuã assignari debere, quãtumuis secũdaria alia agẽtia ad eundẽ effectũ videantur

Quis ordo debeat esse pluribus mouentibus cõcurrentibus

concurrere. Notandū verò huiuſmodi ſubordinationē mouentium eſſe duplicem: quandam eſſentialē, vbi ſcilicet agēs proximū nō poteſt niſi per virtutem pariter mouētis prioris ſuum motū efficere, vt homo pater non poteſt ſine cæleſtiū & Dei cōcurſu filiū generare. Ideo hęc ſunt eſſentialiter ſubordinata: homo pater, cęleſtia corpora, deus. In his autē ſic eſſentialiter ſubordinatis, nō poteſt proceſſus eſſe in infinitū: alioqui, motus naturales eſſēt indeterminati. Quod enim ab infinitis pēderet, nō haberet determinatā cauſalitatē. Sequere tur quoq; poſitio infiniti actu ſecūdū multitudinē, cū neceſſe ſit cauſas ſic eſſentialiter ſubordinatas ſimul exiſtere. Quędā verò mouentia, ſunt ſubordinata accidentaliter: vt pater, auus, tritauus, &c. quādo ſcilicet mouens immediatū non requirit coexiſtentiā vel cōcurſum mouētis prioris mediati, vt efficiat vel moueat: quēadmodū pater, vt filiū generet, nihil opus habet neq; coexiſtētia neq; concurſu aui patris ſui, neque attaui, neq; triataui. Sunt tamen hæc mouentia quodammodo ſubordinata, quatenus mouēs vltimū (id eſt, pater generās) virtutē accepit à ſuo patre, atq; hic rurſum à priore, illēq; iterum à ſuo patre, atque ita conſequenter procedendo.

probat hāc concluſionē Ariſtote. 7. phyſi.

Verum in his mouentibus, nihil prohiberet ponere infinitum: vt ſi mundus poneretur fuiſſe æternus, & ab æterno homines aliquos fuiſſe, hoc modo infinitę eſſent rerum naturalium cauſę, & mouētia infinita. Ex his enim neq; tollitur rebus determinata cauſalitas, eo quod mouētiū huiuſmodi nō requiritur coexiſtentia, neq; infinitum actu ſequitur, ſed ſucceſſione tantum: quod non eſt inconueniens admittere.

CAPVT XXII.

De multiplici proportione & comparatione mouentis ad mobile.

QVoniam autem mouere aliud, perfectionem habet: moueri autem ſecundum ſuam rationē, habet imperfectionem, conſtat mouens, quatenus huiuſmodi, eſſe motō dignius, & mouens mobili ſupraponi ſecūdum relationem. Vt autem mouens moueat mobile, oportet ipſum fortius eſſe mobili, & quaſi dominium habere ſupra reſiſtentiā mobilis. Iuxta igitur proportionem virtutis mouentis ſupra mobilis reſiſtentiam vel indiſpoſitionem contingit mobile velocius tardius vel vniformius vel difformius vel regularius

moueri vel non moueri. Non enim fit actio, niſi à proportione maioris inæqualitatis. A proportione autem minoris inæqualitatis non fit actio, quemadmodum vulgata habet philoſophorum ſententia. Cuius dicti eſt hic intellectus: Agēs nō poſſe agere in paſſum, niſi virtute ſuperet ipſius reſiſtentiam, & potentia ſit inæquale ſecundum exceſſum. Id verò quod eſt minoris virtutis & potentiæ, non poſſe agere in id quod eſt maioris virtutis & maioris reſiſtētiæ. Ignis enim ſi ſit virtute potentior ad calefaciendum, quam ad reſiſtendum aqua tunc aget ignis, & patietur aqua. Si econtrario dominetur aqua, patietur ignis, & iuxta ampliorem reſiſtentiā paſsi plus aut minus mouebit agens. Ex quibus ſolent deduci ſeptem proportionum regulæ ab Ariſtotele poſitæ in ſeptimo Phyſicorum libro, quas hic quoque ſubnectimus.

Maxima philoſophica.

CAPVT XXIII.

Ponuntur ſeptem regulæ, quas vocant regulas proportionum.

PRIMA REGVLA.

Si aliquod mouens moueat aliquod mobile, aliquanto tempore, & aliquanto ſpatio, eadem virtus mouens mouebit mobilis medietatem, per duplum ſpatium, in æquali tempore

Ponuntur hæ regulæ ab Ariſt. in fine 7. phyſicorum.

Qualis enim eſt proportio totius virtutis motiuæ ad totā reſiſtentiam mobilis, non æqualis eſt totius virtutis illius motiuæ ad medietatē reſiſtentiæ mobilis, ſed dupla eſt porportio. Vnde cum (iuxta principium ſuprapoſitum) ſecundum proportionem maioris aut ſuperantis inæqualitatis fiat actio ſequitur eandem virtutem mouentem, mobilis illius medietatem duplo velocius mouere, quod facit, quando in æquali tempore per duplum ſpatium ipſam mouet,

SECVNDA REGVLA,

Si aliquod mouens moueat aliquod mobile, aliquanto tempore, & aliquanto ſpatio, idem mouēs mouebit mobilis medietatem per idem ſpatium in medio tempore.

Ratio est eadē quæ supra posita est propter proportionē virtutis actiuę, quę dupla est respectu medietatis ipsius mobilis.

TERTIA REGVLA.

Si potentia aliqua mouens moueat aliquod mobile, aliquanto tempore, & aliquanto spatio, eadem potentia mouebit idem mobile per medium spatiū, in medio tempore.

QVARTA REGVLA.

Si aliquod mouens moueat aliquod mobile, aliquanto tempore & aliquanto spatio, media uirtus mouens mouebit medium mobilie per idem spatiū, in æquali tempore.

Harum duarum regularum eadem est ratio: quoniam videlicet, qualis est proportio mouentis ad mobile, in comparatione ad totum tempus & ad totum spatium, talis est mouentis ad mobile in comparatione ad medium tempus pariter & medietatem spatij: & qualis est proportio totius mouētis ad totum mobile, æqualis & eadem est, medietatis ad medietatem, in comparatione ad idem tempus & idem spacium.

QVINTA REGVLA.

Si aliqua virtus mouens mouet aliquod mobile, aliquanto tempore, & aliquanto spatio, non est necesse eandem mouere, duplum mobile per mediū spatium in eodem tempore, aut per idem spatium in duplo tempore.

SEXTA REGVLA.

Si aliqua virtus mouens moueat aliquod mobile, aliquanto tempore, & aliquanto spatio, non est necesse medietatem virtutis mouere idem mobile per medium spatium, in æquali tempore: vel per idem spatium in duplo tempore.

Harum duarum regularum ratio est, quia à proportione minoris inæqualitatis, non fit actio. Non est autem necesse, ipsum mouens habere dominium, & superioritatem, & inæqualitatem vincentem ac superantē, super duplū mobile. Neque medietatem virtutis mouētis necesse est maiorē inęqualitatem & superioritatem habere, supra ipsum totum mobile.

SEPTIMA REGVLA.

Si plures virtutes motiuæ moueant aliqua mobilia, aliquanto tempore, & aliquanto spatio, virtus ex illis virtutibus motiuis collecta, mouebit mobile ex illis collectum per idem spatium, & æquali tempore.

Ratio autem est, similitudo proportionis.

CAPVT XXIIII.

Prædictis adiiciuntur aliæ duæ regulæ.

HI Sautem regulis ab Aristotele sic positis superaddi possent aliæ duæ, octaua & nona. Octaua regula, Si aliquod mouens moueat aliquod mobile, aliquanto tempore, & aliquauto spatio. duplum mouens mouebit duplū mobile, per idem spatium in æquali tempore: aut per duplum spatium, in duplo tempore. Nona regula, Si aliquod mouēs mouet aliquod mobile, aliquanto tempore, & aliquanto spatio, duplum mouens mouebit idem mobile, per duplum spatium in æquali tēpore, aut per idem spatium in dimidio tēpore. Harū duarū regularū rationes facile patēt ex prędictis. ✣ Et notandum quod hæ suprapositæ regulæ, tametsi peculiariter de mouentibus & mobilibus secundum locū datæ videantur, possunt tamen similiter aptari etiam ad alias species motus, ad augmentationem, diminutionem, & alterationem: quemadmodū docet Aristoteles, in hunc modū, Si augmentans, diminuens, aut alterás, augmētat aliquid aut minuit aut alterat aliquanto tempore, aliquanta quantitate, aut qualitate, idem augmentat, minuit, aut alterat dimidium, dupla quantitare, aut qualitate, in eodem tempore, aut dimidia dimidio tempore, atque ita per singulas regulas discurrendo.

CAPVT XXV.

Quid per mouens & mobile intelligatur in proposito

ADuertendum autem est, cum in his regulis de mouente & moto duplo vel æquali loquimur, non velle nos sermonem facere de quantitate molis. Sicut enim non est necesse si homo certæ quantitatis aliquid possit, idcirco alium mole & quantitate duplo maiorem duplum posse: cum frequenter soleat in exiguo corpore virtus regnare maior. Sed de virtute sermo debet accipi, ita vt per medium mouens intelligatur virtus ipsa, atque potentia mouentis: per mobile, virtus resistendi: per medium mouens medietas virtutis motiuæ: per medium mobile, medietas resistentiæ ipsius mobilis: per duplum mobile, dupla resistentia: per duplum mouēs dupla virtus motiua.

CAPVT. XXVI.

Exemplo monstratur in igne, omnium regularum suprapositarum veritas.

VOlumus autem in igne alterante atque calefaciente aquam, per singulas regulas, quod dictum est exemplo declarare. Ponatur ergo virtus alteratiua siue calefactiua ignis octo graduū, & resistentia mobilis, scilicet aquæ in sex tantum gradibus. Iuxta primam regulam, si virtus motiua vt octo ipsius ignis, alteret aquam habentem resistentiam vt sex, tempore horæ vnius, ad calorem duorum graduum: ergo eadem virtus motiua ignis, medium mobile, id est, aquam habentem mediam resistentiam, scilicet trium graduum, alterabit ad duplam caliditatē, videlicet quatuor graduū, in æquali tempore. Et iuxta secundam regulam eadem virtus motiua ignis, dimidium mobile, aquam dimidiæ resistētiæ, alterabit ad eandem calliditatem, in dimidio tēpore. Et iuxta tertiam regulam, eadem virtus motiua alterabit eandam aquā ad dimidiam caliditatem, in dimidio tempore. Et iuxta quartā, media virtus motiua ignis (quæ est vt quatuor) alterabit aquam dimidiæ resistentiæ, vt tria, ad eandē caliditatē duorum graduum, in æquali tempore. Et secundum quintam regulam, non est necesse, si virtus mouens ignis vt quatuor, aquā habētem resistentiam vt tria, alteret ad caliditatem quatuor, vt ob

hoc eadem virtus motiua aquam duplam resistentiam habentem vt sex, alteret ad mediam caliditatem in æquali tempore, aut ad eādem caliditatem quatuor, in duplo tempore. Neque iuxta sextam, necesse est, vt media virtus actiua vt duo, alteret aquam eandem resistentiam vt tria habentem, ad dimidiam caliditatem in æquali tempore, aut ad eandem caliditatem in duplo tempore. Denique iuxta septimam regulā, si tres ignes (quorum quilibet est sex graduum) sigillatim calefaciat aquam resistentiam habentem vt quatuor, ad caliditatem trium graduum in certo tempore, necesse est ignes illos tres simul iunctos, aquam illam ex tribus collectā alterare ad eandem caliditatem, in æquali tempore. Iuxta octauam quoque & nonam regulas, si ignis virtutis actiuæ trium graduum, aquam resistentiam habentem duorum certo tempore alteret ad caliditatem gradus vnius, necesse est ergo vt virtus motiua sex graduum aquam habentem resistentiā vt quatuor, alteret ad caliditatem æqualem. æquali tempore, vel caliditatem duplam duplo tempore: & ignis ille vt sex, duplæ virtutis, aquam dimidiæ resistentiæ, id est, vnius gradus alterabit ad duplam caliditatem, id est, duorum graduum, in æquali tempore, aut ad caliditatem eandem vnius gradus, in dimidio tempore. Similiter practicari potest & in alijs motibus. Nobis vno exemplo rem monstaasse sufficiat.

CAPVT XXVII.

Mouens secundum proportionem, ad mobile mouere debet, & quemadmodum Deus in mouendo potentissimus est atque libertimus.

EX his ergo omnibus manifestum euadit, quemad modum semper mouens moueat, secundum proportionem virtutis motiuæ ad resistentiam eius quod mouetur. Patet etiam, quandocunque mobili est aliqua resistentia quæ ipsum mouens impediat aut detineat, non posse moueri tale mobile à suo mouente in instanti. Vbi verò virtus actiua nullam patitur à mobili resistentiam, potest suum effectum in instanti efficere, quemadmodum est in illuminatione solis. ¦Omnipotens ergo Deus, cuius infinitæ

virtuti nihil potest contrauenire, cui nulla prorsus creatura potest resistere, cuius virtus in infinitū superat omnē creatā resistentiam, quæcunq; vult potest in instanti moueri, sicuti vult, & quocunque libuerit genere motus, siue generare siue corrumpere, siue alterare, siue augmētare, siue diminuere siue secundum locum mouere. Neque ante deum differētia est in multo vel breui tempore, in omnibus quæcunq; voluerit. Cui insuper, quoniam nulla illi resistentia est in mouendo, nullus etiam labor fatigationem, laborem, aut molestiam adducit omnia mouenti. Non mouet tamen omnia, neque agit in instāti, neque subito: quoniam in mouēdo est liberrimus, in arbitrio & potestate habēs sic vel sic mouere. Ipse verò à nullo mouēri potest, qui prius aliquod mouēs nō habet. Imo neque ipse se potest mouere, qui nihil potest quod ante non habuit acquirere, neq; perdere quicquam quod ante habuisset. Huic itaq; & primo, & summo, & generalissimo, ac proinde efficacissimo mouenti, soli deo, sit laus, honor, gloria, & benedictio, ab omni mutabili creatura in ęterna sęcula, Amē

Finit considerationis Phisicæ liber tertius.

PSALMVS LAVDIS ET CONFESSIONIS, OMNIPOTENTI, VNIVERSALI AC PRIMO, RERVM omnium motori immobili.

D

Omine, quis similis erit tibi? ne tacete labia, cōfessionem & laudem ne continete super eo.
Super cœlorum altitudinem residet in arce celsitudinis atq; fortitudinis suæ: ab æterno triūphat in ea glorioſus ab initio.
Priusquam cælum formaretur & orbis, tu eras ante omnia: in teipso perfectus & beatissimus, in plenitudine tua.
Tu semper immutabilis moues omnia, generas, corrumpis, augmentas, ac minuis, alteras, & rotas, mouesq; omnia.
Tu vero ingenerabilis es, & incorruptibilis: augmētari nesciens aut minui.
Neque alterari tu potes, qui non variaris accidentarijs re-

bus: apud quem nulla est transmutatio, neque vicissitudinaria obumbratio,
Loco non moueris qui imples omnia neque vt hominū, sunt itinera gressuum tuorum.
Incommutato loco accedis & recedis, quo & vnde volueris: non est hoc datum crassitiei filiorum hominum.
Præuales omnibus in fortitudine tua super excelsa: proque tuo placito rotas agitásque omnia.
Non est neque moles neque virtus in omni creatura, quę obstaculum præbere qneat actioni tuæ: super immensa enim virtute absque ptoportione excedis vniuersa.
Homines & iumenta tu perducis ad augmenta congrua: arbores quoque, & ligna, plantas, & omnia viuentia super terram.
Suis quæque staturis tu perficis ea iuxta conditionē generis sui: mensuram tu tenes omnium descriptam in officina glorię tuę.
Ipse autem augmētum nescis, neque immutationem pateris: nihil accescit neque decrescit in æternum plenissiimę plenitudini tuę.
Qui pro tuo placito omnia facis altera, nequis ipse alter fieri: potentia, sapientia, & omnis tua perfectio non immutabitur in seculum sæculi.
Magne deus, princeps regum terrę, dominator omnium in virtute tua: quis te agnoscet aut collaudabit pro dignitate sic glorioſe immutabilem?
Ecce qui seruiunt tibi, astantes perpetuo conspectui tuo, non sunt stabiles omnimodis.
Corporea vero creatura vniuersa, mille est rationibus vix momento stabilis: mutationibus ac volutationibus in eis perturbantur omnia.
Sol & luna cursu suo regulari volutata semper sic in instabilitate permanent miro modo stabilia.
Quæ vero his subiecta esse voluisti, cum seipsis quoq; sunt in suis motionibus prorsus irregularia.
Tu vero deus in eadem semper tua stabilitate fixus permanens, cunctis mutabilibus pręsides, ipse immutabilis.
A te vero cum omnis exeat motus, donęsque moueri omnibus, in te nullus tamen valet ingredi.

Immutabilis, potentissime deus, dominator omnium: tibi omnis tua factura canit gloriam.
Mirabilis tu & vere miranda opera tua: obstupescet in eis anima mea cum intenderit in illis aciem mentis suæ.
Exultabit cor meum domine in cunctis operibus magnificentiæ tuę: lingua quoque mea laudem meditabitur gloriæ tuæ.
Benedictus deus dominus vniuersæ creaturæ: ita fiat, ita fiat, deus potentissime.
Gloria patri, & filio, & spiritui sancto.
Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

FINIT PSALMVS.

LIBER QVARTVS CONSIDERATIONIS PHYSICÆ, DE INFINITO, LOCO, vacuo, & tempore.

PREFATIO.

Hier. 23.

VT clarificetur in agnitis creaturarũ suarũ conditionibus dominus deus noster, qui solus essentia sua infinitus cælum & terrã & omnia sua immensitate implens, neq; loco tamen capitur, neq; tẽpore: atq; vt patenter clareat quãto interuallo omnem naturaliũ rerũ ordinẽ post se creator ipse relinquat (quæ vniuersa loco & tẽpore, angustis nimiũ mensuris secundum eius dispositionem sunt coarctata atque constricta) in animo est nobis, post motus vtriusq; descriptam naturam, etiam illud deo donante explicare, quomodo in rebus finitum vel infinitũ aut inueniatur, aut ab eis excludatur: post quæ, loci & oppositi vacui erit cõsideratio. Extremam sibi partem, tempus occupabit. Sũt enim & hæc ad plenam rerum naturalium considerationem non minus quam motus, vt tractentur, necessaria.

CAPVT I.

Quomodo possit infinitum multipliciter intelligi, & specialiter de infinito atque finito, secundum essentiam.

PRimum quidem illud est aduertendũ, dupliciter dici & considerari infinitũ atque finitum: nempe vel secundũ essentiam, vel secundum quantitatem. Ac rursum, secundum essentiam infinitum intelligi potest, vel secundum rationem materiæ, vel secundum rationem formæ. Est enim materia ex se & per se suo modo infinita, quatenus ex sua natura nullam habet formã intrinsecam, per quam finiatur, efficiaturque ens in actu. Ex parte verò formæ sub qua est, finita est, quatenus per illam eius indifferentia stringitur, ac veluti terminatur. Formæ quoque materiales, consideratione quadam ad materiam, infinitæ ex se dici possunt. Et quodammodo omnis forma creata ex se infinita est, quatenus nõ est ex se ad aliquam particuliarem ac singularem materiã determinata. Non tamen simpliciter forma est infinita dicenda sicut simpliciter est materia infinita: quoniam formæ etiã separatæ habent essentiam finitam, per esse particulare & distinctum, ac proinde simpliciter finitæ dici debent, non autem infinitæ, nisi secundum quid, aliquo modo scilicet, & cõsideratione prædita ad materiam. Vnica est forma separata, actus scilicet simplicissimus, omnipotẽs atque æterna diuina substantia, in qua nulla est determinatio essentiæ per aliquod esse particulare aduenies, sed est deus essentia sua infinitus & indeterminatus, plena omnino, perfecta, illimitata, infinita, & interminata essentia. Cætera vero omnia & materialia & spiritualia, sunt sua essentia finita, & particulari aliquo esse contracta, limitata atque terminata. Illæ tamen formæ quæ in materia sunt, magis sunt finitæ illis quæ sunt à materia separatæ,

Infinitum secundum essentiam.

Deus forma infinita.

CAPVT II.

Differentia inter infinitum secundum rationem materiæ, & secundum rationem formæ.

NOtanda vero est solerter ac diligenter inter dupli cem hanc infinitatem diuersitas: quoniam prior quæ secundum materiam est, ea nimirum quæ in ordine

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad formam in recipiendo eam cõsideratur, ab imperfectione est. Materia enim perficitur, eo ipso quo finitur. Infinitas vero quę attenditur ac sumitur secundum formam, perfectionis est. Formæ enim separatæ & per materiam infinitæ, siue non finitæ ac limitatę, sunt perfectiores corporalibus formis, quę per materiam certam sunt finitæ, terminatæ & limitatæ.

¶ Vnde sicut summa dei perfectio est, quod sit forma sua essentia infinita, ita summa est materiæ imperfectio, quod ex se sit ad susp iciendum infinita, nullã in se formam qua finiatur habens intrinsecã. Illic enim, id est, in dei infinitate, plenitudo totius esse significatur: hic vero, id est, in infinitate materiæ, egestas omnis esse exprimitur.

CAPVT III.

De infinito secundum quantitatem duplicem, deque infinito actu & potentia.

Infinitum quantitate.

COnsideratur autem alio modo infinitum secundum quantitatem, aut continuam, id est, secundum longitudinem, latitudinem, profunditatem: quæ solent dimensiones rerum nominari. Et quandoque quidem secundum harum dimensionum aliquam tantum consideratur infinitum, nimirum vel longitudine sola, vel latitudine sola: quandoque vero secundum omnes has tres dimensiones simul sumptas, atque id propriissimè & plenissimæ infinitum dicitur. Aut secundum quantitatem discretam sumitur infinitum, id est, secundum numerum & multitudinem.

Arist. pulchre hæc omnia de infinito tractat. 3. lib. physic.

Iterum, infinitum aliquod potentia intelligitur, aliud actu. Potentia infinitum intelligimus, quando continua appositione vel diuisione secundum proportionales partes, non peruenitur ad vltimam appositionem, aut vltimam diuisionem. Verbi gratia, Numerus est appositione & potentia infinitus, quia quantum libet sit magnus, semper vnius vnitatis adiunctione potest fieri maior. Quodlibet item corpus cõtinuum, infinitum est diuisione atque potentia: quia diuidendo nunquam peruenitur ad vltimam diuisionem. Omne siquidem cõtinuum, diuisibile est in semper diuisibilia. cum ex indiuisibilibus partibus non possit totum aliquod componi neque conflari diuisibile. Nec enim potest diuisibile, ex indiuisibilibus vt suis partibus cõponi. Indiuisibile enim additum indiuisibili, non facit ipsum maius.

Hanc conclusionem pulchre demonstrat Aristo. in principio. 6 lib. physic.

Sumenda est autem hæc diuisio infinita, secundum partes proportionales. Si enim linea diuidatur in tres tantum, aut etiam in mille partes eiusdem alicuius certæ quantitatis, non euadet in infinitum ista diuisio, quæ secundum certæ alicuius quantitatis partes sumitur. In diuidendo verò secũdum partes proportionales, nunquam erit dabilis vltima quãtumlibet paruæ lineæ diuisio. Tunc autem dicitur fieri diuisio secundum partes proportionales, quando sicut totum lignum in duas partes diuiditur, ita pars rursus in suas partes, & iterum illarum partium pars aliqua in suas partes, & sic in infinitum: quomodo procedendo, nunquam peruenireturad vltimam diuisionem.

CAPVT IIII.

Ponitur definitio infiniti actus.

CÆterum, actu infinitum ab Aristotele definitur, hoc pacto.

Hanc definitionẽ ponit. Arist. 3. lib. physic.

Infinitum id est, cuius semper aliquid extra ratione quantitatis accipi potest.

Hoc est, cuius quantitas tota non capi nec assignari potest, sed quantumcumque capias vel assignes de ipsius quantitate, adhuc semper vltra manet, nec tota potest quantitas assignari. Illud enim corpus esset actu infinitum magnitudine, cuius quantitas sumpta secundum partes certæ quantitatis, non est pertransibilis. sed quotcunque partes sumantur, restat semper adhuc infinita sumenda quantitas. Ab infinito enim quantumlibet demat ur, semper manet infinitum. Vnde infinito nihil est maius, sicut indiuisibili nihil minus.

Et quemadmodũ indiuisibile nulla adiectione potest fieri maius, sic infinitum nulla ablatione fieri potest minus. Idque intelligendo de infinito ex omni parte, id est, secundũ omnem dimensionem. Alioqui constat maius esse infinitum quod secundum corpulentiam esset infinitum, quã quod sola longitudine vel latitudine esset infinitum. Proportionabiliter intelligi debet, secundum numerũ infinitũ. Infinitum autem successione, non est propriè infinitum in actu, sed magis in potentia: Vt tempus infinitum, vel motus infinitus. Nõ enim contingit infinitas partes simul accipere, sed tantũ vnã actu, cæteras potentia. Vnde relinquitur, infinitum actu du-

pliciter dici, magnitudine videlicet & numero.

CAPVT V.

Quomodo infinitum definiri possit, esse autem actu non possit.

Definitio quid nominis.

QVanquam verò definitum est ab Aristotele actu infinitum, nemo tamē existimet consequi, tale aliquod corpus esse in rerum natura, aut tale aliquod requirat sibi demonstrari, vt cernat oculis. Sunt enim definitiones quædam, quibus non tam quid res aliqua sit, quam quid nomen significet, explicatur: quemadmodum cum in consequentibus definiemus vacuum, non rem aliquam qualis sit definientes, sed nominis tantum significationem explicantes. Non posse autem dari corpus aliquod actu infinitum, multiplex ratio probat. Omne enim corpus physicum, habet naturam finitam: formam quidem per materiam, & materiam finitam per formam. Formam autem determinatam, consequuntur accidentia determinata Quare & finita sua quantitas cuilibet rei est, & naturali formæ disconueniens esset quantitas infinita. Item omni corpori conuenit secundum locum motus. Huiusmodi autem corpus si ponatur, quod actu sit infinitum, neque recto motu, neque circulariter agitari posset. Non quidem motu recto, quoniam omne quod mouetur motu recto, oportet locum habere extra se, quem non impleat, ad quem per motum tendit vt acquirat. Quod verò actu infinitum esset, non haberet vllum extra se locum. Occuparet enim omnia, & non posset infinitum loco concludi, ad quem vel quo moueretur. Neque iterum motu circulari moueri poterit, quoniam in tali motu oportet partes variari loco, ita vt vbi nunc sit hæc pars, debeat venire pars alia subsequens: quod fieri non posset in infinita partium multitudine. Inter enim quaslibet partes debebet esse infinita distantia, protrahendo à centro illius corporis lineas duas. Illæ enim absque dubio in infinitam distantiam euaderent. Infinita enim distantia pertransiri non potest. Præterea, species quantitatis sumuntur secundum numerum: vt bicubitum, tricubitum, & cætera. Nulla autem species numeri potest esse infinita.

Conclusionem hanc probat Ari. 3. li. Physic.

CAPVT VI.

Non posse esse multitudine infinitum.

PORrò infinitum esse actu secundum multitudinem, itidē est impossibile. Impossibile est enim, esse speciē numeri infinitā. Omnes enim & finitæ sunt, & per vnitatem adiectam semper augeri possunt. Infinitum autem nō potest fieri maius. Quanquam igitur potentia sint infinitę species numeri, nulla tamen earum est infinita. Sic enim infinita essent in certo aliquo & determinato numero, quod apertam videtur includere cōtradictionem. Imò neque infinitę sunt numeri species actu, sed solum potentia: sicut etiam infinitę sunt species figurarum secundum potentiam, nulla tamen earum est infinita: id quod eis procedit à numero, quoniam species figurarum sumuntur secundum species numerorum: vt triāgulare, quadrangulare, quinquangulare, &c. Cæterum dē successione infinito, non videtur naturę repugnans vt esse possit. Nam si semper fuisset motus, esset semper futurus, esset motus hoc modo, id est successione infinitus, & tempus infinitum, verum huiusmodi successione infinitum, non est infinitum nisi potentia.

CAPVT VII.

Inchoatur determinatio loci, & octo modi præmittuntur inexistendi.

POst hæc verò de loco subnectamus determinationem. Nam variè admodum antiqui philosophati sunt de natura & conditione loci, quibusdam dicentibus materiam esse locum: alijs formam rei esse eius locum, vel materiæ alijs ponentibus corpus quoddam infinitum quod in se omnia susciperet, non cedendo aduenientibus alijs, quod penetratiue susciperet omnia, absque cessione vel suarum partium diuisione, in quo putabant omnia moueri, ipsum verò non moueri. Hęc verò sigillatim non intendimus refellere, sed simpliciter tantum rei veritatem de loco & eius natura manifestare. Ac primum quidem præmittendum erit, quot modis aliud esse dicatur in alio. Ponit autem Aristoteles modos inexistendi, octo numero.

Aristo. tractat ista de loco. 4. phy sico.

Primo enim pars integrans, est in toto. Secundo, totū in cūctis partibus cōsistit, ex quibus est cōpositum. Tertio, species in genere continetur: quoniam genus capit & ambit,

„ *Octo modi essendi in alio*

intra se omnes suas species. Quarto, genus vt essentia est in specie. Sic etiam definitio est in definita specie. Quinto, forma in materia, & accidens in subiecto. Inter quæ tamen est distinctio, quoniam accidens cum subiecto nihil vnum componit, sed forma cum materia rem naturalem atque singularem substantiam componit. Sexto, effectus in causa, vt calor secundum virtutem est in sole Septimo, rex in regno, idque per potentiam & authoritatem, vel per maiestatem præsentiæ suæ. Octauo, aliquid est in loco. Et hic modus est, quem (cæteris omissis) latius necesse habemus pertractare.

CAPVT VIII.

De *duplici superficie, concaua & conuexa, & vtra locus dicatur.*

Quid locus. EST autem locus, extremum corporis talis quo aliud continetur: ipsa (inquam) superficies extrema corporis continentis, proxima superficiei exteriori corporis contenti. Et solet vocari superficies concaua. Vt interior superficies cœli lunę, & concaua, quę immediate continet ignem, est ignis locus: & concaua superficies aeris, est locus aquæ. Conuexa autem superficies, non est locus: quoniam secundū ipsam corpus non continet, sed potius secundum ipsam cōtinetur. Duplex est autem superficies, altera concaua, mediante qua corpus ipsum alia continet in se localiter, & est superficies interior. Altera conuexa, qua corpus continetur ab alio, & ipsa exterior, quę à circundante alio corpore circundatur. Prior est locus, non secunda. Secundum priorem corpora localiter continent: secundum alteram potius continētur. Ex quibus patet, locum non esse neque partem compositi, neque accidens, neq; aliquid omnino locati, sed est locantis vel continentis accidens ultimum, terminus, & extremū. Non omne tamen extremum, sed illud quod est coniunctum locato, & mediante quo locatum continetur à locante. Est autem locans, id quod secundum locum continet aliud: & locatum id quod secundum locum ab alio continetur.

superficies duplex.

CAPVT IX.

Definitio loci, & definitionis declaratio.

Definitio loci ex Arist. LOCVS, *est finis continentis immobilis, primus.*

Quæ solet hisce quoque verbis eundem sensum habentibus assignari,

Locus est extremum continentis corporis, immobile primum.

Quarum definitionū hic est sensus, Locus est superficies concaua, corporis continentis locatum, proxima locato & adæquata, per se immobilis, vnde & de loco proprio dari cō stat tantum, siquidem is proprie locus dicitur. Vbi extremū, vel finis excludit à definitione omnem superficiem præter vltimam. Infinitæ siquidem in corpore locante sunt superficies, inter conuexam & concauam mediæ, quarum tamen nulla est proprie locus, sed sola concaua vltima. Quod verò adiicitur, corporis continentis, prohibet ne superficies exterior vel conuexa primi cœli dicatur eius locus. Primum, id est, immediatum, excludit substantialem partem extremā ipsius corporis, simul accipiēdo superficiem concauam. Huiusmodi enim pars extrema locantis corporis, tametsi aliquando locus dicatur vulgari cōsuetudine, quemadmodum pera locus dicitur pecuniæ eius quæ inest, propriè tamen nō dicitur locus: cum locus sit accidens, & superficies. Excluditur autem huiusmodi pars corporis à definitione loci (vt dicere cœperamus) quia non est prima, id est, immediata secundum se locato, ita vt simul sit cū superficie vltima & cōuexa corporis contenti. Semper enim locus qui est superficies concaua continentis, est simul cum superficie conuexa corporis immediate cōtenti: quemadmodum superficies cōcaua cœli martis, & conuexa cœli solis: rursumque superficies concaua cœli solis, & conuexa cœli veneris: atque ita in alijs. Particula primum, quoque dici potest idē quod suo locato vni adæquatum, & ita soli proprio loco conuenit. Ex quibus patet, materiam non esse locum formæ, cum materia superficies nulla sit: imò verò formam nullum locum habere nisi per accidens, cum per se quantitatē superficiei (secundum quam res in loco continetur) non habeat. Formæ enim tam substantiales quam accidentales, non sunt in loco, nisi per accidens, ratione subiecti vel compositi cui insunt.

CAPVT X.

De loco proprio & communi, & loci proprietatibus.

Diuiditur autem locus, in proprium & communem.

Locus proprius & cõmunis.

Locus proprius alicui locato dicitur, quãdo cuilibet parti loci respondet aliquid ipsius locati.

Vt locus igni proprius, est extremum cœli lunaris: & vnicuique rei, locus eius adæquatus, proprius est.

Locus communis est, quando aliquæ partes loci sunt, quibus ipsius certi locati nulla pars earum respondet.

Vt tota superficies templi, est locus communis singulorũ hominum: & concauum lunæ, omnium mixtorum est locus communis. In comparatione tamen ad superficiem extremã aeris totius, quo impletur continentia templi, dicitur locus proprius & adæquatus: similiter & concauum lunæ, in cõparatione ad superficiem ignis immediate adhærentis, dicitur locus proprius ipsius ignis. Ad maiorem noticiam loci, eiusdémque naturæ, ponit Aristoteles proprietates quasdam: quæ illi veluti per se notæ conuenire conceduntur. quæ sunt numero quatuor.

Prima est, Locus continet id cuius locus est, & nihil est ipsius rei.

Quorum verborum hic est sensus, locus continet locatũ, & nihil est ipsi rei locatæ, intrinsece inhærens, neq; vt pars, neque vt accidens.

Secunda est, primus locus, neque minor est, neq; maior.

Id est, locus proprius est æqualis suo locato, quantum ad superficiem conuexam ipsius corporis loco contenti.

Tertia est, locus non relinquitur ab vnoquoque, & separabilis est.

Id est, locus nunquam omni locato priuatur, ita vt sine corpore contento maneat: & est à locato suo separabilis, ita vt successiue alia & alia corpora contineat.

Quarta est, omnis locus differentias has habet, supra inquam ac infra, & corporum vnumquodque, proprios ad locos suapte natura fertur, sursum ac deorsum pergendo: & in eisdem manet.

Id est, omnis locus est sursum aut deorsum: & omnia corpora generabilia & corruptibilia (cœli enim non mouentur nisi circulariter) ad suum proprium locum naturalem sursum aut deorsum moueri nata sunt, & in eisdem quiescere, & conseruari.

CAPVT XI.

De loco naturali & violento.

Locus naturalis & violentus.

Locus autem naturalis dicitur alicui, qui à natura rei est determinatus & assignatus, in quo bene est ei, & conseruari natus est: ad quem proinde naturali desiderio semper sollicitat, ita vt quoties extra eum esse contingat, violentè quiescat. Sic igni locus naturalis est, sub cœli immediato concauo: aeri, sub igne, aquæ, sub aere: terræ, sub aqua. Naturali enim dispositione atque ordinatione, id quod est omnium leuissimum, summum sibi vendicat locum: quemadmodum id quod est grauissimum, locum requirit omnium infimum. Mixtis verò corporibus, locus est naturalis, secundum conditionem eius elementi quod dominatur in eorum complexionibus. Locus autem violentus est, in quo rei non est bene, & à quo dum potest, recedere nititur.

CAPVT XII.

Quare res suum appetant locum naturalem, & quæ sit huius desiderij causa.

Quæstio de naturali desiderio rerũ naturaliũ ad sua naturalia loca.

Volentes autem quęnam causa sit motus huis rerum naturalium ad sua naturalia loca perquirere, de terra quæstionem proponimus, ob quid siue cuius commodi aut vtilitatis gratia, extra locum naturalem posita, deorsum festinet, & non impedita semper cadat. Et quidẽ si de partibus terræ loquimur, satis cõstat, illis esse melius in totius terræ globo, quã in aere aut sub luna. Verũ respicientes totum globũ terræ, quærimus in quo malè erit toti terræ,

si poni intelligatur in aëre, non super neque intra aquas. An ab aquis aliquid suscipit terra, quo melius seruetur? Quod est igitur hoc desiderium, vt desideret tota terra aërem relinquere, & ad aquas pergere, cum nihil videatur aqua illi donare vnde seruetur, præ aëre in quo ipsum suspensum imaginamur? Hanc autem quæstionem (omissis diuersis diuersorum sententijs, quas super hac re sunt commentati) ita nos dissoluendum putamus, dicentes totum vniuersum ab optimo ordinatissimoque conditore fuisse cõditum sub certo numero, pondere, & mensura, in quo omnia creata quasi vestigium in se ferunt benedictæ summæque trinitatis, atq; in his sicut creata sunt, ita in eisdem conseruari atque gubernari. Quoniam igitur dixit ígni, vt sub luna acciperet primum locum, aëri secundum dedit, tertium aquæ, quartum terræ: quoniam dicit piscibus vt in aquis locum sumerent, volatilia iussit eleuari altius in aëre, metallis quoniam terræ viscera deputauit, oleum super aquam posuit: ex hoc dei mãdato formæ rerũ (quæ operatrices sæpius dictæ sunt omniũ operationum rebus conuenientiũ) incessanti conatu ad hoc tendunt, vt illic res sint, vbi à deo creatore suo locum acceperunt: non tam ratione sui commodi, quam ratione diuini præcepti aut constituti perficiendi. Sicut enim voluntarius homo voluntarie mouet se ad dei implendum mandatum. ita res naturales a suis formis per deum aguntur naturaliter, ad implendam sanctissimam ipsius voluntatem. Omnia siquidem ingenuo conatu seruiunt & obediunt ei. Ipse præceptum eis ponit, & illa non prætereunt. Ascendentes enim montes & descendentes in loca præstituta campi, terminum quem præposuit deus non transgrediuntur, neque cõuertuntur operire terram: cuius etiã verbo cõgregatæ sunt velut in vtre aquæ maris, positæ in thesauris abyssi.

Gene. 8.

Psal. 118.
Psal. 148.
Psal. 103.

Psal. 32.

¶ Igitur non est arbitrandum, res naturales locum quærere naturalem ob sua commoda, tanquã a locante corpore quippiam recipiant, sed ob dei potissimum benedictam voluntatem adimplendam, illic sibi melius esse existimant, vbi deus ea magis vult locari. Qua in re vtinam naturalia agenda sequantur creaturæ rationales. vt ea semper magis exoptent, quæ sui creatoris voluntati magis sunt placita.

CAPVT XIII.

¶ Quomodo secundum quantitatem res naturales locum occupent, & de impossibilitate penetrationis dimensionum.

AD loci autem perfectam considerationem exigitur, vt de occupatione quoque & repelentia aliquid dicamus: quoniam loco conuenit, occupari atque repleri. Est ergo attendendum quod sicut color rebus natura datur, vt per ipsum res existant coloratæ, vnde consequitur, vt sint etiam visibiles: ita data est rebus quantitas, vt secundum ipsam sint res quantæ primum, ex quo deinde consequitur diuisibilitas. Sicut enim quæque res quanta est, sic est diuisibilis: nempe si per se quanta, per se erit diuisibilis: si per accidens, ratione coextensionis, per accidens erit diuisibilis tantum: & quod longitudine vel latitudine quantum, sic solum est diuisibile. Super hæc tamen superficies rebus conueniunt, vt contineant inuicem & contineantur: corporea quoque quãtitas vel corpulentia, vt res secundum eam occupare possint atque replere, Nam & lineæ simul in se inuicem esse possunt & superficies. Quippe superficies concaua continentis corporis, & superficies conuexa contenti, semper sunt simul in inuicem. Sola corpulẽtia sic suum sibi locum occupat, vt aliã corpulentiam simul eodem in loco nequaquam admittat. Atque hoc videlicet & occupare, sic implere locum, vt simul ab alia corpulentia impleri non possit, nisi dum illo cedente aliud adueniat. Hoc autem si contingeret, nempe duas corpulentias simul eundem locum adæquatè replere, penetrationem diceremus fieri dimensionum, dimensionum (inquã) corporearum, quam sic abhorret natura, & damnant Philosophi, æquè constanter atque vacui positionem. In vtroque enim horum peccatum in naturam admittit, qui vel vacui vacuitatem vel penetrationem dimensionum corporearũ quomodocunque constituit. Vtrunque siquidem extrmum falsum est, & secundum naturam impossibile. Media autem veritas est, omnem locum ab aliqua corpulentia occupari, vt nihil sit vacuum: & eadem cedẽte vel expulsa succedere aliam, vt non habeatur corporearũ penetratio dimẽsionũ. Cæterũ, de dimensionibus lõgitudinis & latitudinis, vt iam diximus nullum est inconueniens, eas simul esse aut se penetrare.

Penetratio dimensionũ & vacuum æq; sunt impossibilia.

CAPVT, XIIII.

Quomodo in loco esse intelligantur, quæ quantitatem non habent.

QVomodo igitur in loco sunt, que actui patent, clarum est omnibus. Ea vero quæ nō sunt quāta, quomodo in loco esse posint, aut debeāt, intellectu videtur dificilius: præcipuè quod dixerimus in hoc datam esse rebus quantitatem, vt locum occupent, & contineantur à loco. Qua in re est aduertendū, tribus modis aliqua esse in loco. Primo quidem, vt circunscribēte, ad eum modum quo cœlum inferius est in superficie concaua superioris cœli, & quælibet res corporalis à suo loco circūscribitur, quia eius vna pars huic parti, altera alteri respondet. Secundo definitiue, quando res loco non circunscribitur, ita vt diuersæ partes locati diuersis partibus loci respondeant: secundum tamen certū quendam terminum in eo includitur, vt nō sit extra ipsum. Sic anima rationalis est definitiuè in corpore, & angeli in loco. Vno tamen gradu superant angeli animam rationalem: quoniā anima non longiorē habet locū, quā sit ipsius corporis quātitas. Angelus verò longiorem & ampliorem, quam etiam corpus quod interdum assumit. Tertio autem modo longe diuerso à prioribus, deus est in loco, non vtique circunscriptus iusta partium dimensionem correspondentium. Nō definitus etiā neque certis conclusus limitibus, sed superexcedenter: quia cum omnem locum repleat, non tamen suo loco coangustatur, sed in infinitum pertransit immensus. In primo gradu sunt primum omnia corpora, & deinde omnia accidentia corporalia, quæ sunt materiæ coextensa: imo & formæ substantiales omnes, præter rationalem animam quæ sola non coextenditur materiæ. Sicut autem dicitur anima rationalis esse in corpore, quia ipsum viuificat (ita vt in arefacto mēbro non sit vt in loco, quod non viuificat) sic dicuntur substantiæ spirituales non quantitate corporea esse in loco, sed magis secundū virtutem & potestatem. Quousque enim earum virtus funditur & efficacia, eatenus locus eis est assignā dus. Et quæ sic sunt in loco potius continere quam contineri sunt dicenda. Illa autem quæ primo modo, contineri simpliciter loco, non ipsum continere dicuntur. Atque hinc est

Tribus modis res sunt in loco.

quod deus omnipotēs cum in omnibus existat, nullo tamen continetur, sed magis ipse continet omnia omnibus inexistens: vt verum sit & indubitatum quod per prophetam dicitur, Cœlum & terrā ego impleo, dicit dominus omnipotēs.

CAPVT XV.

De occupatione & replentia, & de variis replendi modis.

OMne autem quod occupat, occupando replet. At non contra fit versio. Multa enim fœlicissime replent, quæ non occupant. Spiritualia enim & non quanta replent sua loca, sed non occupant: quoniam alia non excludunt, nec ipsa quidem corpora. Replere enim ocupando, imperfectissimus est replendi modus. Quæ res vt clarius intelligatur. ponendi sunt aliquot replentum modi.

Primus est corporum, quę corpulenta sunt, & locū quem replent simul ab alio nō permittunt repleri. Et hęc quia occupando quodammodo impediunt pleniorem replentiam, dum alia non admittunt, idcirco imperfecte replent.

Secundus est gradus eorum quę per se quanta nō sunt, sed per accidens sunt coextensa quantitati. Vt formę corporales & accidentia cętera corporalia. Horum cum sint plurima simul, constat ipsa fœlicius quàm ptiora replere, quoniam se mutuo non impediunt, nec obstat alterum alteri.

Tertius modus est, quo anima rationalis replet materiam vel corpus proprium, dum in ipso est. Quę profecto excellentius replet alijs formis, quoniam singulas corporis partes tota replet. Cæterę vero, habent partes suas partibus corporis respondentes.

Quartus gradus est animę separatę & spiritualium substantiarum, quę positam excedunt animam in corpore, eo quod sit quodammodo quanta, quanuis non coextensa corpori. Nam finitur eius vis & replentia, quantitate corporis in quo hospitatur. Non sic est dum separata per se existit, neque in spiritibus, qui nullos terminos secum deferunt. Quoniam tamen horum replentia alicubi finem capit, nimirum vbi definit prędentia virtutis eorum, ideo non optime replent. Supremus gradus est eius quod replet absque termino, & proprio, & alieno, cuius virtus non potest vsquam

aliquando finem capere, cuius tota virtus similiter toti præsto est loco, & singulis partibus: quod proinde summe replet, & omnia replet intime atq; penitissime, vt nihil nõ cõtineat in sese, imò verò vt ipsum semper contineat & cõcludat in se omnia, & à nullo concludatur. Ipsum est vnicũ ens, summum primum bonum, Deus verus & vnus, cui est honor soli & omnis gloria nunc, in æternum & vltra. Amen.

CAPVT XVI.

De *vacuo & eius descriptione.*

Tota hæc materia vacui ab Ari. tractaturdiligenter 4. libro Physicorum.

POst loci autem considerationem congruo ordine subiungi debet vacui determinatio. Est enim vacuum loco oppositum, & oppositorum semper recte iuxtà ponitur determinatio. Vacuum ergo antiqui varijs modis assignabãt. Quidam arbitrati sunt, extra cœlum esse quoddam infinitũ vacuum. Alij dixerunt vacuum corporibus immersum, propter augmentationem seruandam & diminutionem. Prima, rudis est opinio. Secunda, in ijs quæ de generatione cõscritem veritatem, omnino nullum debet poni vacuum. Proinde definitionem non habet, qua rei natura explicaretur. Quod enim neque est neque esse potest, definiri nequit, tali vtique definitione, quæ rei explicaret naturam. Cæterum, nominis definitione vel interpretatione, sic definitur,

Definitio vacui.

Vacuum est locus si corpore careat.

Id est, vacuum dicitur superficies concaua, nullũ corpus continens aut in se concludens. Vt si concauo lunæ permanente, Deus destruat omnem substantiam elementorum, ad nihilum redigendo, esset concauum lunæ vacuũ: & pera sive aliud quodlibet continens, si non impleret eius continẽtiam aer, neque aliud quippiam, sed intelligatur prorsus nihil in illa superficie contineri, esset locus eiusmodi vacuus. In præcedente autem definitione, cum vacuum dicitur locus corpore priuatus, aduertendum est, locum non accipi proprie. Nam sic falsum esset vacuum esse locum, cũ sit vacui & loci proprie accepti repugnantia: sed locus pro superficie ipsa qualibet concaua accipitur, qui potens est per suam continentiam locare aliquid, etiam si actu nullum habeat locatum. Quomodo enim locum intelligimus superficiem cõtinentem: ita vacuum, superficiem continere potentem, id est concauam, sed nihil actu continentem, intelligimus.

CAPVT XVII.

Vacuum iuxta naturam non posse existere, pluribus probatur experientijs.

QVanquam autẽ vulgato sermone, loca vel vasa dicere soleant homines vacua, in quibus tantum aer inest aut ventus, nullum tamen secundum veritatem potest in natura vacuum inueniri. Nullus est enim quantumlibet paruus locus, qui corpore careat cõtento. Atque ad hoc vniuersę creaturæ naturaliter laborant, etiam cum suæ proprię naturæ quodã dispendio, atq; velut nocumento, vt nullo modo permittant vacuum fieri: facientes & quæ contra naturam propriam videntur sponte sua, & quæ secundum naturam sunt propriam dimittentes. Nam ad impediendum vacuum, leuia deorsum mouentur. Vt dum foditur puteus profundissimus, etiam vsque ad terræ medium, sequitur aer, vt impediat vacui positionem. Aquam insuper contingit, prædicta ratione, sursum ascendere, & deorsum nihil impeditam non descendere, à fluxu cessare, omni etiam remoto obstaculo.

Experiẽtiæ, quibus mõstratur, non posse vacuũ existere.

Ad probandum autem quod natura abhorreat positionẽ vacui, plura adduci possunt experimenta. Primũ enim, aqua in vase non cõgelabitur, etiam in frigidissimo loco si sit ita obstructum, vt nullus omnino posset aer ingredi: quod si cogatur congelari, vas dirumpetur. Si enim fieret congelatio, & nullus ingrederetur aer, oporteret esse vacuum: quoniam in congelatione constringitur aqua, & aliquid loci ptioris necesse est ipsam relinquere. quem oportet suppleri per aduentum aeris. Loquimur autem de vase pleno aqua. Nã vbi aliquid aeris est, poterit aer propter vacui impeditionẽ subtilior effici atque rarescere, vt modica fiat aquæ congelatio sine nocumento vitri. Rursum, sume clepsydram qua irrigatur hortus, si supraponas pollicem illi foramini quod in

Universidad de Deusto Biblioteca

ſummo eſt,non egredietur aqua, niſi forte modiciſsime per maiora ſubtus foramina,vt ſimul poſsit aliquid aeris introire. Iterum ſume vas pleniſsimum vino, aqua, oleo, obſtructum penitus deſuper,non fluit liquor, etiam patefacto trāſitu,niſi deſuper,aeri aditus itidem prębeatur. Præterea,in fontibus id ipſum pērſpicuum eſt,in quibus continuo fluxu aqua ſurſum agitatur,ne vacuum alicuibi in canalibus relinquatur.quod ad oculū clariſsime patet, ſi duo ſtramina perpendiculariter coniungantur. Sic enim plerunque & ſupra domorum faſtigia ſcandit aqua,ne vacui hiatum aeris attractu,non ſubſequente aqua,contingat euenire. Quæ etiā patent in attractu vini per ſtramineum culmum, abſque quo nec duplo fortiore tractu quicquam conſequeretur. Poſtremo foliis vndique concluſus non poterit lateribus diſtendi, quāntumuis labores illud efficere, niſi diſrūpatur, vt habeat aer ingreſſum.Igitur certiſsimum eſt experientijs,vacuū naturaliter non poſſe exiſtere:quoniam ſic vniuerſa rerum natura abhorret à vacuo,atque præcauet,vt grauia ſurſum,leuia deorſum moueantur:vt non ſit vſquam vel minimus hiatus, aut diſcontinuitas vniuerſi.

CAPVT XVIII.

Quod motus iſti qui contra naturam videntur, ſint ſecundum naturam.

IN quo contuendus eſt ordo vniuerſæ creaturæ pulcherrimus,& mira atque benigniſsima Dei circa creaturarū impulſus diſpenſatio. Deus ſiquidem optimus naturæ inſtitutor, & prouidiſsimus director, ſicuti rebus ſingulis inſtinctus donauit particulares, quibus ſingula creata ſuas perfectiones peculiariter ſibi conuenientibus motibus quærunt, atque congruis operationibus operantur: ita vnum dedit omnibus deſiderium, vt ſuper omnia totius vniuerſi quærant perfectionem, idque (ſi opus erit) etiam ſuo detrimento:ob quam naturalem inclinationem, aperte videmus & aerem naturaliter deſcendere,& aquam ſurſum ſcandere,eámque nullo impedimento detentam, tamen permanere ſurſum. Quæ omnia à formis rerum naturalibus, ſecundum illam generalem inclinationē fieri naturaliter creduntur. Quanquam enim motus ille grauium ſurſum & leuium deorſum repugnet materiæ & formæ rerum,ſecundum ſuas particulares inclinationes quas habent,cōueniēs tamen eſt naturæ & formæ, propter vacui impeditionem, ſecundum generalem quam habent ad perfectionem totius vniuerſi inclinationem. Vnde ſi ab his motibus detinerentur,grauia deorſum violenter permanerent,& leuia ſurſum. Generalis quippe inclinatio & vniuerſalis, non immeritò præponderat particulari inclinationi. Quem conatum ſi homo velit intueri,non ſuam quæret voluntatem ſupremæ vnquam, imò nec ſuperiori vlli voluntati anteponere: fietque vt facile dicat(iuxta ſaluatoris exemplum) Non mea voluntas,ſed tua fiat: non quod ego volo, nec quod mihi bonum videtur,ac placitum,ſed quod tu ordinator & legiſlator domine Deus noſter decreueris,id ſuper omnia volo ego quoque habere placitum & gratum.

Nota attente. Luce.22. Matt.26.

CAPVT XIX.

De tempore & eius definitione.

ABſoluta nunc motus, infiniti, loci, atque vacui determinatione,ſupereſt poſtremo loco, vt de tempore ſuo ordine pertractemus, eiuſque naturam quantum poterimus explicemus. Tempus itaque definit Ariſtoteles hoc modo.

Definitio Ariſt. temporis.

Tempus eſt numerus motus,per ipſum prius posterius ve.

Quibus verbis ſignatur,tempus eſſe quantitatem cōtinuā, & menſuram,qua motus numeratur,id eſt, menſuratur ſecūdum partes ſucceſsionis. Menſuramus enim motus durationem,dum dicimus eum tot horis,vel annis, vel menſibus,vel ſeculis duraſſe.Nam motus quantus,per ſe non eſt,neque cōtinuus,niſi ratione temporis. Quanquam autem motus duplices habeat partes,ſcilicet ſecundum extenſionē mobilis,& ſecundū ſucceſsionē: ſolæ tamen illæ quę ſumūtur ſecūdum prius & poſterius,menſurantur tēpore,non illę quæ ſecundū extenſionē ſubiectam accipiuntur. Nam hæ potius ſecundū extenſionem permanētis quātitatis,menſurantur. Atque ideo dicitur tēpus numerare vel menſurare motum,ſecūdū partes nō quaſlibet,ſed eas quæ ſumūtur ſecūdū prius atq; poſterius

hoc est, secundum successionem, non secundum extensionẽ.

Et notandum, cum dicitur ab Aristotele, tempus esse numerus, non debere numerum accipi pro quantitate discreta propria significatione (tempus enim est cõtinua quantitas) sed pro numero numerato. Quemadmodum cum numerantur duodecim tribus Israel, secũdum duodecim Patriarchas, ipsi duodecim Patriarchæ sunt quidam numerus, id est, numerus numeratus, numeratus (inquam) vero numero, qui est quantitas discreta. Numerus enim sunt, quatenus secundum eos numerantur duodecim tribus ab ipsis progenitæ, dicendo: tribus Iuda, tribus Leui, tribus Isachar, & ita deinceps. Sed numeratus numerus sunt, quia numero verè & propriè dicto (id est, duodenario) numerantur.

CAPVT XX.

Quomodo vnum est tempus, quo mensurantur omnia temporalia.

Sententia Aristo. in fine. 4. lib. Physicorũ.

QVod autem dicitur, tempus mensurare motum secundum partes successionis, primarioresp icit motum primi mobilis: cuius solius est mensura intrinseca, & adequata mensurato. Omnes verò reliqui motus, in tempore fiunt, & tempore mensurantur, vt mensura extrinseca & excedente. Vnum siquidem est tempus, quo mensurantur omnia temporalia extrinsece, per applicationem eius scilicet ad modum, vel rem temporalem. Quemadmodum (declarationis gratia) quantitas quæ in vlna est, solam ipsam vlnam intrinsecè mensurat: omnia verò reliqua, per applicationem mensurat extrinsece. Ita tempus (quod consequitur motum primi mobilis, & summi & regularissimi, & vniuersalissimi) est mensura intrinseca illius motus, quoniam in ipso est, & ipsi motui æquatur: ita vt principium temporis simul fuerit cum principio motus, & finis vnius sit futurus cum fine alterius, & duratio atque continuatio motus cum temporis continuatione atque duratione. Cætera verò omnia mensurantur per applicationem ad hunc primum motum, non quidem realem, sed per hoc quod anima applicat motui inferiores ad illum primum motum.

CAPVT XXI.

An essentiale sit hoc tempori, quod mensura est primi mobilis.

NOtandum vero, non esse hoc tempori essentiale, vt huius sit primi mobilis quod nunc est primum mobile. Si enim Deus faceret aliud cœlum mobile vniuersalius atque mensuram generaliorem, aut aliud mobile prius isto cœlo quod nunc est primum mobile, iam tempus non esset amplius in hoc cœlo quod nunc est primum mobile, sed numerus illius alterius primi motus esset tempus: & cuius ante erat tempus mensura intrinseca, iam fieret mensura extrinseca. Tempus enim vocamus mensuram primam & vniuersalissimam, & accipimus secundum motum primum & vniuersalissimum. Vnumquodque enim mensuratur, primo sui generis. Ex quo vlterius consequi videtur si nullum aliud esset mobile nisi rota figuli, iam mensuram motus illius fore tempus, ita verè sicut nunc tempus dicitur esse primi cœli moti. Esset enim (illa facta hypotesi) primi motus numerus, quo oporteret omnia mensurari. Item quod ante motum cœli fuit tempus, in mutatione angelicarum cogitationum & volitionum, prout secundum prius & posterius sumuntur: non secundum eas quæ simul erant, in diuersis, vel in eodem.

Concluditur præterea, quod quemlibet motum consequitur aliqua mensura temporis, & quatenus successiua eiusdem genetis, cuius est tempus nunc primi cœli moti. Quæ tamen omnia non dicuntur tempora. Neque enim nisi vnũ dicimus tempus, propterea quod tempus significat mensurã talem, quæ sit vniuersalis & generalis omniũ motuum. Similiter quoque de æuiternis dicendum erit.

CAPVT XXII.

De triplici mensura, tempore, æuiternitate, & æternitate, & de earum differentia.

TRiplicem verò inuenimus (partim naturali eruditione, partim diuina illuminatione) durationis mensuram. *Æternitas.* Illud enim esse quod transmutationi non subiacet, neque etiam transmutationem patitur secum (cuiusmodi est solum esse Dei) est æternum, imò ipsa æternitas.

Illud verò esse quod est intransmutabile secundũ se, conpatiens tamen transmutationem aliquã, siue secundũ locum,

vt cœlestia corpora, siue secundum effectiones, vt angelicæ substantiæ est æuiternũ, id est, mensuratur æuo: quod est mẽsura deficiens ab æternitate, quia non est mensurari penitus immutabilis, sicut æternitas: excedẽs verò & superans nobilitate temporis mensuram, quoniã mensurat tam secundũ id in quo est intransmutabilis, tempus vero mensurat rem secũdum id in quo est mutabilis. Vnde cœli & spiritus secundum suum esse sunt æuiterni, & eorum mensuratur æuo, temporaliter tamen cœli mouentur, & angeli tẽporaliter temporalia intelligunt. Et quia tam vicinum est æuum æternitati, ideo æuiterna dicuntur quodã modo (hoc est participatione) æterna, quantum ad ea secundum quę sunt intransmutabilia. Vnde dicuntur cœli stare in æternum, & angeli secundũ cognitionem diuini verbi in qua sunt confirmati dicuntur viuere æternaliter, & spirituum damnatio atque ignis dicũtur æterna. Solus tamen Deus, per se ac proprie dici debet æternus. Cætera autẽ, participatione solũ æterna sunt, proprieq; æuiterna nuncupanda. Insuper attendenda est in tribus his mensuris etiam ista distinctio, & quidem vt præcipua: quoniam tempus non totũ simul est, sed est in continua partium successione. Æuiternitas vero & æternitas, totæ simul sunt, nescientes successionem. In hoc tamen æuiternitatẽ superat æternitas, quod nec successionem aliquã cõpatitur secum, cum æuiternitas pariter successionem permittat. Atque hæc sane est mensurarum distinctio atque separatio. Mensurata vero sic ab inuicem distinguũtur, quoniam temporalia principium habent & finem in tempore. Aeternum autẽ, nec principium nec finem sui potest, habere. Aeuiternum autem, alterum habere potest, vt cœli & angeli, principium habent, finem autem nõ habebunt. Quare si poneretur motus fuisse ab æterno, totus quidem motus nõ esset temporalis, sed quælibet circulatio assignata esset temporalis. Porrò de æternitate constat non nisi vnicã esse, & ab ipso Deo nõ distingui mensuram: sicut nec ipsum esse diuinum quod æternitas mensurat, à deo distinguitur. Aeuum tamen distinguitur ab æuiterno, quoniam esse creaturæ omnis, ab ipso ente distinguitur: quod de tempore in ordine ad rẽ temporalem etiam apertius est atque manifestius. Quemadmodum autem diximus, tempus esse numerum primi motus, & mobilis primi

mensuram intrinsecam: ita verisimiliter dici potest, vnicum esse æuum, quod primum æuiternum mensurat intrinsece, scilicet primum angelum: cætera vero extrinsece, quæcunq; præter ipsum æuiterna sunt.

CAPVT XXIII.

Quòd successionem impedire durationem, quomodo occupatio impedit replentiam.

occupatio, impedit replentiam.

EX dictis liquet, successionem quæ in tempore est & non in alijs mensuris, sic impedire durationem rei, sicut occupatio quantitatis, declarata est impedire replentiam. Nam corpus, locum aliquem occupãdo impedit, quo minus ab alio simul repleatur: sicq; impedit, replẽtiã, corporeæ quãtitati annexã occupatio. Vnde & illa quæ longius recedunt ab occupatione, magis & perfectius replent, ijs quæ magis sunt occupationi subdita. Lumen enim maxime replet, quoniã replendo non impedit id quod replet, quo minus ab alio pariter repleatur. Faciamus enim (declarationis gratia) duos esse soles ex aduerso sibi oppositos, alterum in oriente, alterum in occidente: & alterum quidem (vt sit distinctio) luminis aurei, alterum luminis argentei æque splendidi: nihil dubium: quin vtriusque solis lumen totum sit repleturus aerem. Vnde illa quæ longius recedunt ab occupatione vt spirituales substantiæ, quæ nec extensionem quidem admittunt adhuc melius replent. Vnde possunt angeli totos illos orbes cœlestes quos mouent replere, iuxta virtutem à domino eis datam. Et Deus qui longissime recedit ab occupatione, maxime ac fœlicissime replet, iuxta illud propheticum: Cœlum & terram ego impleo dicit dominus. Ad eundem sanè modum, illa in quibus plus est successionis minorem habent durationem: quæ verò amplius recedunt à successione, vt omnia æuiterna, magis durant temporalibus. Id verò quod in infinitum omnem successionem effugit atque excludit, in infinitum super omnia durabile est, totum suum esse simul habens, & totam durationem suam in æternitate præsentem tenens ac possidens, eodem modo sicut temporalia suum instans præsens habent. Vnde fit, vt Deo nihil nisi esse conueniat. Fuisse autem & fore, nõ in illo sunt, quanquam balbuties nostra (quę æternitatem nequit attingere) sic de Deo vt de temporalibus subinde loqui solet,

successio impedit durationem.

quod & alibi contingit, vbicunque de illo magnum quippiã loqui volumus. Quia enim de Deo prout volumus, propter infirmitatẽ loqui non possumus, eiusmodi sermonibus nos est necesse de Deo loquentes vti, quos ex nostris rebus inuenire possumus. Nihil enim condignum illius magnificentiæ valemus exprimere, qui est super omnia, & ante omnia inuisibilis, ineffabilis, in sua æternitate intransmutabili semper benedictus, Amen.

CAPVT XXIIII.

De temporis proprietatibus.

QVemadmodum loco prius sunt quædam proprietates attributæ, ita tempori quinque subiiciuntur eius naturæ declarativæ. quarum prima est hæc,

Tempus quodammodo datur minimum, & quodammodo non datur.

Id est, tempora vt subiacent numero, & numerantur, dãtur minima, sicut numerus minimus, vt duo tempora. non enim est numerus binario minor, secundum partes successiuas non datur minimum tempus, quantumuis enim paruo tempore dato, secundũ partes proportionales (de quo prius dictum est) in infinitum est diuisibile, quemadmodum & linea quæuis. Secunda proprietas est.

Tempus dicitur multum ac paucum, longum & breue: velox autem aut tardum non dicitur,

Tempus enim vt numeratur est paucum aut multum, vt vnum tempus, duo, tria, quatuor, quinque tempora, & ita deinceps: vt verò quantitas cõtinua est, longum est aut breue idque secundũ successus partes, sicut quantitas continua permanens (qualia sunt linea, superficies, corpus) secundum extensas partes. quod verò nec velox, nec tardum sit, probat Aristo. quia nec numerus vllus, nec vlla quantitas continua talis dicitur. Sequitur tertia proprietas, hæc scilicet,

Est etiam idem tempus simul vbique,

Id est, idem tempus vniuersale numero, mensurat omnia quæ tempore mensurabilia sunt, vbicunque locorũ fuerint,

ita vt non sit singulis suum tempus attribuendum. Quid sit tempus vniuersale, & quomodo sit mensura, prius dictũ est. Sequitur quarta,

Vt motus idem ac vnus, iterum atque iterum esse potest, sic & tempus idem vnumque esse potest.

Hoc est, sicut semper redit motus idem nomine cum præterito ipsius cœli, ita redit tempus idem nomine cum præterito, exempli gratia, sicut cœlum nunc mouetur ex oriente in occidẽtem, eodem modo vt heri, ita & nunc dies est vt heri, quia nunc mouetur sol à primo puncto cancri, vt anno præcedente, nunc quoque ver est vt anno præterito. Similiter dicendum est de æstate, autumno, hyeme, anno, &c. Sequitur quinta proprietas, hæc,

Non solum tempore motum, sed etiam tempus motu metimur.

Hoc est, vti duratio motus mensuratur tẽpore, ita & tempus motus duratione mensuratur atque cognoscitur. exempli causa, colligimus motum cœli tam diu durasse aut tantã cœli partẽ circumuolutã esse, quia vna hora transit, aut dies vnus, aut mensis, aut annus. Et e diuerso cognoscimus nos, vna, duabus, aut tribus horis studuisse, quia cœlum huc vel illuc vsque volutum seu motum est, aut ipse sol. Sic de mense, hebdomada, anno & quouis tempore dicendum est. Atque ita huic libro finẽ imponimus, nostro more Psalmo in ipsum creatorem tendentes.

Finit liber quartus.

PSALMVS INFINITO, INSCRIPTO, ÆTERNO, & INTRANSMVTABILI DOMINO.

DEVS quis similis assignabitur tibi: aut quis stabit cõtra te, vt conferatur tibi?

Veniat, vt stet contra tuam gloriosam magnitudinem. veniat è cœlo, aut desuper cœlum, de terra ascendat, aut de profundis maris.

Tu solus infinitus, incircumscriptus, indefinitus crederis: & confessionis labijs affirmaris.
Omne quod creasti Deus, finisti pariter: stringens proprias quibusque rebus essentias, atque operationum virtutes.
Multa quidem & magna fecisti potentissime Deus mirabilia tua: sed nihil infinitum essentia, aut virtute, simile tibi.
Et quanquá benignissimus es creator omnium: attamé creaturarum tuarum nullam tibi parem constituisti.
Neq; verò est hoc de tua impotentia, insipientia aut malitia domine Deus: qui es sapiẽtissimus, optimus, & suauissimus.
Omnia quæcunq; voluit Deus noster, fecit in cœlo & in terra, & in maris nouissimis.
Gloriam tamen suam sibi seruauit: nec alteri totam eandem tradere aut volet aliquando, aut poterit.
O quam es dilectus domine: & quam amabilis, plenitudo vniuersæ bonitatis.
Si sic pulchra sunt nobis atque suauia, quæ finita sunt, si sic nos parua miramur,
Tu, qui es super omnia infinita pulchritudo, infinita gloria atque suauitas: ò quam es super omnia mirabilis, & super cuncta desiderabilis.
Spatiosi sunt cœlorum orbes, & ampli in omni dimensione sua: & quasi infinita nobis stellarum multitudo æstimatur.
Tu verò mensuras altitudinem cœli & stellarum multitudinem tu numeras.
Singulis tu nomina vocas: singulis singulas dispensasti virtutes ab initio.
Stant hæc omnia, & quæ sub ipsis sunt, legem quam tu descripsisti eis conseruantia, in solicitudine sempiterna.
Tu autẽ nullo conclusus loco, nec orientis initium, nec occidentis terminũ admittens, in infinitũ pertransis immẽsior.
Omnem imples locum, omnibus intimus, omnibus præsentissimus, omnibus penitissimus.
Atq; neq; à tempore initium vt esses sumpsisti: nec finem tibi imponet temporis finis.
Super omne tempus æternitas tua, æterne Deus: omne tempus includens, sicut includitur punctulum in cœli magnitudine.
Tibi præteritum omne & futurum, præsens corã est absque

vllo fluxu: sicuti nobis adsunt sola præsentia.
Nil tibi præteritum in obliuionem veniet, fluxu durationis tuæ: neque futurum aliquid est ante te absconditum.
Quæ præterita sunt atque futura, simul omnia nuda sunt & apperta oculis tuis: qui contueris abyssos, & intima terræ viscera illuminas.
Ergo Domine Deus, quis alius sic aptus atque conueniens, qui accipiat iudicium super filios hominum, aut spirituales nequitias?
Lætentur gentes, exultent pauperes in Deo saluatore suo adueniente in iudicium, pro mansuetis terræ.
Non iuxta erroneam visionem oculorum arguet: neque iuxta aurium fallacem auditum iudicabit iudicia.
Testis est ipse omnium quæ facta sunt ab initio: quoniam in cunctis presens omnia nouit, omnia conspicit, omnia memoria firmissima tenet.
Timere gentes Deum excelsum: & in magna humilitate semper seruite illi.
Gloria patri, & filio, & spiritui sancto,
Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in secula seculorum, Amen.

FINIT PSALMVS:

LIBER QVINTVS CONSIDERATIONIS PHYSICÆ, DE GENERATIONE ET CORRVPTIONE rerum naturalium.

PRAEFATIO.

D Omine Deus omnipotẽs, pater filius & spiritussanctus, vt multitudinem ac plenitudinẽ suę maiestatis filiis hominum demoestraret, horum visibilium quædam fecit nulli obnoxia corruptioni, itemque generationis nescientia propagationem. Huiusmodi sunt cœlestia corpora & astra: quę perpetuo stabilia per sese, generatione non multiplicantur, neque posteritatẽ relinquunt, Alia vero corruptioni sub-

iecit, quæ proinde si perpetuari debeant, opus habent generatione: Vt quæ in se perdurare non possunt sempiterna multiplicatione atque propagatione speciem suam vt minimum conseruent. Et est sane opus hoc Dei, attente considerantibus admirabile cum continua sit indiuiduorum corruptio, & fuerit ab initio: non defecisse tamen vsque modo, ex his speciebus aliquam, quæ ad totius vniuersi sunt complementum ab optimo conditore destinatæ: neque in posterum aliquando defecturam, vsque dum ipse iubeat, cuius verbo primum instituta sunt omnia. Rursum, inter hæc quædam simplicia elementa creauit, quædam verò imo plurima ex his commiscuit. Quæ omnia si sobriè fuerint cognita, quo ordine, quibusve fiant rationibus, credo non parũ diuinæ magnificentiæ gloriam ex eis manifestandam. Volumus ergo sequentis libri processu, de harum rerum generationibus & corruptionibus, latius aliquantulum ad omnipotentis gloriã pertractare.

CAPVT I.

☞ *Quomodo generatio & corruptio ab aliis motus speciebus distingantur.*

PRimum quidem indubitatum est, generationem & corruptionem motus esse species. Vnde ad earum plenius cognoscendam naturam, expediens fuerit ante omnia, duas has species aliis quæ ex æquo sub motu locantur, distinguere: augmentatione dico, diminutione, alteratione, ac loci mutatione. Itaque (omissis variis veterum sententiis) sic breuiter species motus veniunt separendæ. Quoniam generatio est, quæ nullo subiecto sensibili (hoc est, nulla completa substantia) eodem permanente ante & post, rem secundum formam substantialem nouam constituit. Vt cum ex aqua fit aër, & ex ligno ignis, nulla completa res eadem manet ante & post, sed per generationem noua res & noua acquiritur substantia, scilicet, aer & ignis. Dicitur autem substantiam completam nullam permanere eandem, ob materiam que eadem penitus manet ante & post, verum ipsa non est completa substantia, sed substantia tantum potentia est & incompleta, substantiæque pars altera, magis quam ipsa substantia. Alteratio autem propriè dicta, subiecto sensibilis (quod est substantia completa) eodem permanente ante

Differentia generationis ab alteratione ex Arist. lib. 1. de generatione.

& post, rem tantum secundum qualitates variat & alterat. Nam ante & post calefactionem, idem homo permanet secundum substantiam, sed de frigore transit in calorem.

☞ Augmentatio verò & diminutio differunt à prædictis, primum quidem ex termino ad quem sunt quoniam hæ ad quantitatem, illæ vero ad substantiã tendunt, aut qualitatem.

✠ Secundo, etiam differunt ex modo transmutationis. In generatione enim & corruptione non manet eadem substantia ante & post: In augmentatione verò & diminutione, salua eadem substantia, sola variatur quantitas. In alteratione res eadem substantialiter manens, locum non necessario mutat. In augmentatione autem & diminutione, substantia eadem manens, nunc maiorem nunc minorem necessario occupat locum. De quibus omnibus sic generaliter prælibatis, per ordinem erit dicendum latius, singula particularius tractãdo. Colligitur ex verbis Arist. hæc generationis definitio.

Generatio est cum totum mutatur, nec sensibile quicquam vt subiectum idem permanet. vel hæc, Generatio est mutatio huius totius, in hoc totum, nullo sensibili subiecto permanente eodem.

Hoc est, generatio substantialis est motus, quo mediante ex vna substãtia generatur alia, itavt nulla substãtia que prius erat, in ipso generato maneat. Vt patuit in hoc eodem capite. Alteratio secundum Aristot. sic definitur.

Alteratio est, quando sensibile subiectum permanens, in suis mutatur affectibus, qui aut contrarii, aut inter contrarios medii sunt.

Hoc est, alteratio propriè dicta, est motus, quo mediante substantia acquirit aut perdit qualitates tertię speciei, ipsa substantia integra permanente. Dicitur aut Arist. in 7. physicorum alterationem solum esse inter qualitates sensibiles.

CAPVT II.

De augmentatione & diminutione proprie dictis.

Tractantur ista & quæ sequuntur apud Arist. 1. lib. de generatio.

AVgmentatio larga significatione solet accipi, vt significet etiam eam, quæ fit per appositionem solam alterius corporis, vel per subingressum intra partes alterius, etiam si si id quod aduenit, non cõuertatur in substantiã eius cui additur. Sic dicitur aqua augeri per terræ commixtionem, & lana per aeris intra partes ingressum. Aliquando autem magis propriè dicitur augmentatio, quando id quod apponitur est eiusdem speciei, vel fit eiusdem speciei, cum eo cui apponitur. Vt multum vini, per modicæ aquæ appositionem augetur: & ignis adiectione lignorum, hę tamen non sunt propriæ augmentationes de quibus hic loqui intendimus,

Nam secundum physicam considerationem nostro proposito conuenientem, proprie augmentatio & diminutio in solis viuentibus inuenitur, quæ alimento vtuntur: & quod sic augetur secundum omnes partes suas similiter augetur: & quod minuitur, secundum omnes partes suas similiter minuitur. Quare homo præciso pede, nõ dicitur diminutus aut decreuisse hoc modo, sed potius mutilatus

CAPVT. III.

Quæ sit augmentationis causa, & eius in nutritione differentia

ESt autem anima vegetatiua in vegetantibus huius augmentationis vel diminutionis principium, vtens pro instrumento calore naturali, qui imprincipio tantæ est virtutis, vt posit non solum alimentum in substantiam vertere eius quod nutritur vel alitur, & intertenere in priori quantitate, sed etiam potens est vt singulas partes vniformiter augmentet, maiorem quantitatem inducendo. Quitandem calor debilitatus, & quasi longo labore fatigatus atdecidat. Postremo & ipse decrescens, nequit vltra substantiæ suam quantitatem intertenere: & tunc substantia decrescit eius defectu. Nutrire tamen non desinit, & alimentum vertere in substantiam, donec (ob nimiam impuritatẽ & nimis diutinam commistionem cum materia adueniente) caloris huius virtus opprimitur, & naturæ virtus deficit: quando necesse est ipsam substantiam deficere. Omne siquidem

viuens, quoad viuit nutriri oportet: augeri, non item, neque minui. Et iuxta huius caloris atque virtutis nutritiuæ qualitatem, res vel multum, vel diu, vel parum augetur vel minuitur. Patet ergo ex prædictis, alimento adueniente fieri augmentationem, sicut & nutritionem. Differentia tamen est inter augmentationem & nutritionem: quoniam nutritio est quædã partialis generatio, nẽpe conuersio nutrimenti in substãtiã nutriti, atque mutatio secundum formam substantialẽ. Augmentatio autem est, sola maioris quantitatis acquisitio. Atque hoc ipsum voluit Aristoteles, cum diceret, ex eodem fieri generationem, nutritionem, & augmentationem. Caro enim vt est caro, nutrit: quatenus vero est quanta, auget. Substantia enim carnis, est nutritionis materia: sed quãtitas, augmentationis. Quatenus vero materia, nutrimenti aduenientis formam priorem perdit, & formam substantialem secundum speciem nutriti nouam acquirit partialis quædam est generatio. *Arist.* *Dictum*

CAPVT IIII.

Quemadmodum fiat augmentatio atque diminutio.

VAna igitur patent eorum somnia, qui ex aliquo separato putant fieri augmentationem, aut ex incorporeo. Nam illud si indiuisibile feurit & non quantum, non facit aliquid maius suo aduentu. Cum indiuisibile additum indiuisibili, siue etiam diuisibili, non faciat maius illud cui accedit. Neque etiam per solam extensionem aut rarefactionẽ fieri dicenda est. Alioqui nullus videtur vsus, aut vt minimũ nulla necessitas, adhibendi alimenti: quod tamen in hoc indubie sumitur, vt quod caloris actione deperditur, nutrimẽti adhibitione restauretur.

Fit igitur augmentatio (vt ante dictum est) ex alimento quanto adueniente: quod est quidem ante nutritionem illi quod ex ipso nutritur & augetur dissimile, sed vegetãs anima caloris ministerio assimilat illud sibi, vt fiat ex eo nutritio & augmentatio. Sic enim fit nutritio & augmentatio ex cibo, actu quidem contrario vt fiat actio: & potentia simili, vt fiat conuersio in nutriti substantiam. Contrariorum enim proprium est, ad inuicem agere & pati. Nec agit simile in sibi simile. Vnde fit, vt quod augetur, ex primum dissimili & postmodum assimilato. augeatur & nutriatur.

CAPVT V.

Soluitur dubitatio, de modo augmentationis atque diminutionis.

Quæstio. VErum de ipso hoc augmentationis ac diminutionis modo, dubitet forsan aliquis, quonam pacto fieri possit hæc augmentatio atque diminutio, vt non admittatur neque vacui positio neque dimensionum penetratio: quorũ vtrumque est naturæ prorsus repugnans, & omnino impossibile. Nam si augmentatio (vt modo diximus) fiat per aduentum alicuius quanti, quod intra partes eius quod augetur suscipitur, in plenone recipiatur an in vacuo? Et si quidem in pleno dicatur recipi, quomodo non est ibi dimensionũ penetratio? Si vero in vacuo dicas, admitti videtur positio vacui. Similiter & de diminutione quæstio formari potest, dum aufertur quantum de partibus eius quod minuitur: partes illæ decedentes, an plenum relinquant, an vacuum? Si plenum, quomodo non ergo postquam abscederent erat dimensionũ penetratio? si vero vacuum relinquant, quomodo non admittitur vacui positio?

solutio, Huic vero dubitationi facile satis respondebimus, dicentes, alimentum adueniens in pleno suscipi: pleno vtique, non per aliud cum quo simul penetratiue susciperetur, sed pleno ipso alimento quod suscipitur. In diminutione autem, partes quæ resoluũtur, è pleno decedunt: ex pleno vtique, non alio corpore, vt sic dimensionum prius fuisse dicamus penetrationem, sed ipso quod subtrahitur. Atque hoc pacto, neq; vacui positionem, neque dimensionum penetrationẽ requirit prædicto modo posita augmentatio vel diminutio.

Est autem similis hæc quæstio qualis fieri solet de motu locali: quo dum corpus de loco in locũ fertur, quæri similiter potest, dum locum deserit, an plenum relinquat, an vacuum: & dum in locum intrat, an in plenum, an in vacuũ suscipiatur. Sed ex dictis facilius est solutio etiam huius quęstionis.

Et quemadmodum cum in locum corpus ingreditur, partes aeris suscipientis ad ingressum corporis abinuicem elõgantur, & veluti scinduntur, rursumque egrediente corpore simul concluduntur, ne remaneat vacuum: ita in proposito, dum partes alimenti aduenium, dicendũ videtur, quod partes corporis cui aduenit alimentum, abinuicem (licet imperceptibili modo) distenduntur, vt id quod aduenit intra se suscipiant. In diminutione autem dum resoluuntur partes aliquæ, eæ quæ circumiacent mox se cocludunt & velut conuiscantur. Cuius rei veritatem probãt, infantum inuenumq; magis inflata, senum vero & decrepitorum contracta velut conuiscata corpora.

CAPVT VI.

Quid sit dicendum augeri.

ILlud autem dicitur augeri, quod idem manet ante & post augmentationem: non id quod post augmentationem habetur. Cibus enim aduenies, vt quantus, auget. Illud vero quod ante erat & post manet per adiectionem partium aduenientium augetur, non hoc totum quod post augmentationem factam habebitur, cum huic toti: nulla facta sit quantitatis additio. Augetur enim, cui adiicitur maior quantitas. Cibus vero quãtus, & partes cibi aduenientes corpori, quod augetur, dicuntur augere, sicut in alteratione subiectum cui aduenit qualitas ipsa subiecto aduenies alterare. Ipsum vero aggregatum ex subiecto & qualitate, neque alterare dicitur, neque alterari. *Aristo.*

CAPVT VII.

Ponuntur proprietates augmentationis & diminutionis.

EX prædictis vero colliguntur sequentes hæ proprietates, seu conditiones augmentationis. *Conditiones augmẽtationis ex Aristotele;*

Prima est, Quod augetur, augetur aduenientе aliquo corporeo: & quod minuitur, minuitur aliquo subtracto corporeo. Secunda, Quòd augetur, manet idem ante & post augmentationem. Tertia Eius quod augetur vel minuitur, quælibet pars augetur vel minuitur. Quarta, Augmentatio & diminutio fiũt absque positione vacui. Quinta, Aug-

mentatio & diminutio fiunt absque penetratione dimẽsionum. Sexta est, Augmentatio partim fit per additionẽ dissimilis, & per additionem similis.

In quarum proprietatum recta intelligentia, tota vis est augmentationis & diminutionis collocata.

Illud tamen aduertendum est, quod in tertia proprietate dicitur, id quod augetur secundum omnes suas partes augeri, intelligi debere non de omnibus partibus, etiam minimis & imperceptibilibus, sed de partibus notabilis alicuius quãtitatis. Quemadmodum dum infans totus augmentũ sumit, videmus omnia membra perceptibilia, à capite ad vngues vsque, proportionabiliter augeri, nisi forte in aliqua vspiam parte praua sit dispositio, particularem mẽbri illius augmentationẽ impediens. Hac enim ratione fieri poterit, vt non æqualis fiat partium augmentatio. Vnde fieri nonnunquam videmus, vt manus habeant aliqui non æqualis longitudinis aut pedibus inæqualibus claudicent (etiam qui à natiuitate æqualia crura acceperant) eo quod in corporis augmentatione pars altera praue disposita non potuerit cum membris cæteris iustam accipere augmentationem.

CAPVT VIII.

De quatuor modis se tangentium.

Ex Aristot. plures modi tangẽdi.

Quoniam autem generatio & corruptio non fiunt sine actione & passione: agens vero & patiens vt agãt & patiantur se debent tangere, idcirco de his quoque nobis erit dicendum. Tangentium autem plures sunt modi. Vnus, eorum qui habent diuersas magnitudines, & diuersis locis sitas quarum vltima simul sunt: sed non agunt neque patiuntur, neutrum ab alio. Et secundum hunc modum tangunt se cœlestia corpora, nec in se inuicem agentia, nec ab inuicem patientia. Verum proposito modus iste non conuenit cum generationi atque corruptioni nihil conducat.

Alius modus est, eorum quæ habent diuersas magnitudines contiguas, & agit quidem alterum in alterum, sed nõ est actio mutua passi in agens. Atque hoc modo se tangunt cœlum lunæ & orbis ignis. Agit enim & influit cœlum lunæ in sphæram ignis: sed non econtrario, cum non sint cœlestia corpora vllius impressionis ab his inferioribus susceptiua.

Tertius modus est, eorum quæ habent diuersas magnitudines contiguas, inter quæ etiam mutua est actio: vt ignis & aer. Estque hic modus omnium proprijssimus, & maximè physicus, generationi quoque corruptioni & alterationi accõmodatissimus.

Quartus modus est, quando agens & passum vel non habent magnitudines, vel non coniunctas seu contiguas, virtus tamen agentis in passum transit. Sic sol agit & tangit virtuali contactu hæc infima in quæ agit & corpus tangit animam, & molestia seu tristitia dicitur tãgere hominem. Et hic modus sufficit ad actionem, tametsi rarius sit in huiusmodi mutua actio. Quod igitur dici solet, Omne agens in agendo repatitur: non habet Veritatem, nisi in iis quæ tertio modo (contactu scilicet physico) mutua actione, & contrarietate agunt & patiuntur adinuicem.

Et est aduertendum, quod illa quæ in materia communicant, adinuicem agunt & patiuntur, id est, quæ materiam habent similiter susceptiuam actionis, vel impressionis ab agente, hæc nata sunt ab inuicem pati. Quippe materia est passionis principium, sicut forma actionis. Illa vero quę materiam vel omnino non habent, Vt spirituales substantię, vel non habent susceptiuam impressionem extrinsecarum, vt cœlestia corpora respectu inferiorum, in his non inuenitur mutua actio & passio. Formæ enim cœlestium corporum, vtpote perfectissimæ in agendo, suam materiam in qua insunt sic perficiunt, solidissimisque qualitatibus stabiliunt, vt alienarum impressionum, non sit vllo pacto susceptiua. Alienarum dicimus, hoc est, inferiorum. Nam verisimile est, cœlum supremũ & immobile influere in omnes inferiores cœlorum orbes.

CAPVT IX.

Quomodo agens aliquo modo simili debeat esse passo, & aliquo modo dissimile.

ILlud autem quod ad actionem est aduertendum omnino simile non posse agere in sibi omnino simile. Aqua enim calida, non potest agere aliquid in lapidem penitus eiusdem caloris: sed si sit minus calidus quam aqua, calefiet adhuc ab ea: sin magis, tepefiet ab ea donec assimiletur caliditati eius. Rursum, omnino dissimile non potest agere in omnino sibi dissimile: quemadmodum in cœlestia hæc inferiora propter omnimodam dissimilitudinem agere nequeunt. Idcirco homo in brutum docendo non potest agere, quia brutum non est nec in potentia simile homini, secundum disciplinam atque scientiam.

Ad agendum enim & patiendum hanc opportet inter agens & patiens esse similitudinem, vt tale sit patiens in potentia, quale est agens in actu. Omne enim agens in agendo assimilat sibi passum, vt tale fiat ipsum patiens, quale actu est ipsum quod agit. Idque vel formaliter, vel secundum virtutem. Sol enim in calefaciendo, non calefactũ in caloris forma assimilat, quam non habet: sed assimilat sibi calefactum ipsi imprimendo id cuius virtutem effectiuam in se habet. Quanquam enim sol in se formaliter calorem no habeat, id est, accidentariam illam qualitatem quæ dicitur calor (cum sit vna primarum qualitatum, quarum cœlestia nullo pacto sunt susceptibilia) est tamen calidus secundum virtutem, quatenus in se virtutem habet & efficaciam producendi in inferioribus calorem, quomodo etiam aromaticæ species multæ secundũ virtutem tantum calidæ nominantur.

CAPVT X.

De *quatuor elementis, & actione eorum adinuicem.*

REstat nunc, vt de mutua actione elementorum specialius disseramus. Pro cuius intelligentia primum est aduertendum, quædam esse corporalia simplicia, quædam verò ex simplicibus commixta, de quibus dicetur posterius. Nunc autem de simplicibus primum dicendum.

Corpus simplex.

Sunt autem corpora simplicia quæ non componuntur ex aliis prioribus aut simplicioribus corporibus, quanquam habent materiam &

formam, partes ipsa constituentes.

Horum sunt quædam ingenerabilia & incorruptibilia, eo quòd qualitatum actiuarum non sint susceptiua, vt cœlestia corpora. Alia sunt generatione & corruptione, & alteratione transmutabilia. Hæc sunt nimirum quatuor elementa, quæ cum ex nullis simplicioribus componantur, ex ipsis tamen componuntur omnia cætera, quæ in his inferioribus mundi partibus gignuntur, idque per mutuam actionem & passionem eorum adinuicem. Principium autem huius actionis & passionis est a quatuor qualitatibus tangibilibus, à quibus est omnis actio corporalis: quæ proinde qualitates primæ solent nominari.

Quæ sunt calor, frigus, humiditas, & siccitas.

Suntautem aliæ tangibiles qualitates, quæ actiuæ non sunt grossum, subtile, durum, molle, lubricum, aridum: hæ enim sunt secundæ qualitates, tangibiles quidem, sed per se non actiuæ, quanquam ad actionem aut passionem possint esse bonæ dispositiones. Secundæ autem qualitates rectè hæ dicentur, ad primas illas quatuor possunt reduci: vt subtile ad humidum, & grossum ad siccum. Idque propterea quod sicut humidum est bene repletiuum, ita etiam subtile: & sicut siccum minus, ita & grossum. Similiter de lubrico & arido dici potest.

CAPVT XXI.

De *quatuor combinationibus primarum qualitatum, & distinctione elementorum.*

EX his igitur qualitatibus, omnis procedit actionis omnisque generationis & corruptionis initium. Sunt enim adinuicem contrariæ hæ qualitates, & continua pugna res in interitum cogunt, atque deducunt, nouaque generari faciunt. Et iuxta combinationes, quatuor innouuntur elementa. Caliditas siquidem & siccitas, igni: humiditas & calor aeri: aquæ frigidum & humidum: terræ denique siccum & frigidum conueniunt. Reliquas verò duas combinationes (scilicet calidum & frigidum, humidum & siccum) quoniam impossibiles sunt, ob contrarietatem, con-

Respondet ista lib. 2. Aristo. de generatio

stat non constituere aliud à prædictis elementum. Ex vna autem sola qualitate, non sumitur aliquod elemẽtum. Vnumquodque enim elementum duas habet qualitatum harum primarum & actiuarum, atque earundem alteram in excellentia, alteram in mediocritate temperatam. Quippe ignis summe calidus est & temperate siccus: terra summe sicca & temperate frigida: aqua summe frigida & temperate humida: aer summe humidus, & temperate calidus, quanquam id sensos non ita indicat, neque experitur. Propter enim influxus certos cœlestium corporum, & propter aptam habitationem animalium, sicut est aqua, non suo naturali loco relicta in quo erat ab initio condita, ita & aer non est in sua naturali dispositione relictus. Non enim conueniret in tanta humiditate hominis respirãtioni, propter quem claret facta esse & elemẽta, & mixta omnia. Attamen præter rationem, etiam experientia fluxus aeris satis testatur, quod diximus de humiditatis in aere præcellentia (quantum ad naturam eius attinet) verum esse & indubitatum: quoniam multo se facilius rei diffundit & spargit, quam aqua, & magis replet: quæ duo humiditati posterius appropriari dicemus. Relinquitur ergo, non nisi quatuor esse elementa.

CAPVT. XII.

De *elementis symbolizantibus, & non symbolizantibus.*

INter hæc elementa, quædam adinuicem communicant in altero qualitatum, vt ignis & aer in calore quem habet ignis summe, & aer moderate: ignis & terra, in sicco: aer & aqua, in humido: aqua & terra, in frigido. Et hæc elementa vocantur Græca appellatione symbolizantia, id est, communicantia, seu ad inuicem conuenientia.

Quædam secundum Vtranque qualitatum contrariantur vt ignis & aqua, aer & terra. Igni enim calor & siccitas: atq; frigidum & humidum conueniunt. Iterum aeri calidum & humidum, terræ frigidũ & siccum appropriata sunt, hæc sunt quæ non symbolizant, id est, in nulla qualitate communicant siue conueniunt. De his autem quæ symbolizant, dicit Aristoteles, faciliorem esse transitum ab vno in alterum, quam in non symbolizantibus. Vt facilius est ex igne aerẽ fieri, quam aquam. Solo enim humido superante fit aer. Citã

etiam & facilis est generatio aquæ ex aere, cum solo frigido superante calidum gignatur aqua. In altera enim qualitate erat cõuenientia. At verò vt ex igne fiat aqua, oportet & calidum vinci à frigido, & siccum ab humido. In vtraque enim qualitate est contrarietas,

CAPVT XIII.

De *proportione qualitatum primarum & elementorum adinuicem.*

EX his quatuor qualitatibus sunt duę maximę actiuæ, cãliditas atque frigiditas: propter quod ignis & aqua (in quibus hæ qualitates dominãtur) elementa sunt præ cæteris magis actiua. In virtute autem resistendi, minus etiam cęteris (siccitate dico & humiditate) valẽt. Vnde aer & terra maiorem habent resistendi virtutem, quàm ignis & aqua. Quomodo enim hæc in agẽdo atq; pugnando præcellunt, sic illa in resistẽdo. Et est profecto admirabilis hæc harmonia, à natura cõditore Deo ordinatissime disposita, vt quę magis sunt actiua minus resistant, citiusque patientur: quæ vero minus agunt, magis resistant, neq; ita facile patiãtur. Alioqui subito oporteret totũ vniuersum ab ignis sphæra absorberi, si sic inferiora haberent cætera elemẽta in resistendo, quẽadmodũ in agendo ea superat & excellit. Sed & illud operæ precium fuerit in hac elementorũ differentia cõsiderare, quod superius semper excedit quantitate proximũ sibi inferius elemẽtum, proportione decupla: ita vt infimi elemẽti à supremo secundum magnitudinem distantia sit, secundum proportionem millecuplam. Ignis enim sphæra, quæ sub lunæ concauo à Philosophis ponitur immediata, milies maior est globo terræ. Nam ex vno pugillo terræ, decem fiunt pugilli aquæ: ex vno vero pugillo aquæ, decem aeris: ex vno autem pugillo aeris, decem ignis. Ex vno ergo terræ pugillo, constat per multiplicationem arithmeticam, fieri mille pugillos ignis, cẽtum aeris, decem aquæ: tametsi non plus materiæ habeat tãtus ignis sub millecupla quantitate, quàm tantilla terra sub simpla quantitate. Horum simplicium corporum seu elementorum conditiones ponit sex Aristoteles.

Prima est, Vnunquodque elementum inuenitur

non ſimplex ſed mixtũ & licet ſit quale ſimplex, non tamen eſt illi idem.

Cuius cauſa ex prius dictis patet: non enim hominis naturæ elementum omnino ſimplex conuenit, cui omnia tam ex ſunt creata.

Secunda eſt, ignis eſt ſumme calidus, vt glacies ſumme frigida, atque ob id ex hiſce ſic ſumptis nil generari poteſt.

Ratio eſt, quia generatio mixti non fit, niſi cõtrarijs qualitatibus primis ad concordiam quandam & contemperamentum redactis. Tertia eſt.

Duorum elementorum locus eſt ſurſum, & duorum deorſum.

Aer enim & ignis ſurſum ſunt, aqua vero & terra deorſum. Quarta eſt,

Duo elementa extrema, ſunt ſimpliciora mediis elementis. Quinta eſt, Vti ignis iuxta vtranque qualitatem aquæ aduerſatur, ita & aer terræ.

Iſtud qualitatum primarum combinatione patet. Sequitur ſexta,

Elementorum vnumquodque habet tantum vnam primam qualitatem in ſummo, & alteram citra ſummum.

Ignis in ſummo habet calorem, & citra ſummũ ſiccitatem aer humiditatem in ſummo, & citra, caliditatem: aqua frigiditatem in ſummo, & humiditatem minus terra ſiccitatẽ excellenter, frigus verò minimè excellenter.

CAPVT XIIII.

De mixtis corporibus & mixtione.

EX his quatuor ſimplicibus elementis, diuerſæ conſurgunt rerum ſpecies iuxta varias horum ſimplicium elementorum, ad inuicem commixtiones. Quicquid enim inter corpora, non eſt vel cœlum, vel elementum, eſt ex elementis mixtum. De mixtione igitur & his quę miſcentur, id eſt, mixtilibus & quæ per mixtionem generantur (quę mixta vocari ſolent) erit dicendum, ſi plena debeat haberi generationum cognitio.

Mixtio itaque eſt, mixtibilium alteratorum & contemperatorum vnio.

Quando enim elementa (quæ mixtibilia diximus) altera ta & contẽpetata, ad mediocritatem & certã proportionem mutua actione & paſsione redacta, cõcurrũt ſimul ad vnius alicuius corporis cõpoſitionem, mixtio fieri dicitur: proprie accepto vocabulo. Non ignoramus tamen aliquando vocabulum mixtionis improprie accipi, vt dicantur commiſceri aliqua, quorum tamen vtrunque ſuam ſpeciem ſeruat, vt aer commiſcetur terræ, vel lanæ, vel aqua pani, quando intra partes eius ſubintrat per poros. Aliquando etiam propriùs dicitur aqua vino miſceri: quando aqua infunditur vino, & vertitur vinum in aquę ſpeciem. Neque tamen hęc proprie mixtio eſt dicenda. Siquidem in mixtione, neceſſe eſt mixtibilia eſſe æqualis virtutis, vt rediganturad contemperamentum mediũ, nec debet vnum mixtibilũ penitus dominari. Si enim in hominis mixtione totaliter ignis dominaretur, iam oporteret alia elemẽta in ignẽ verti. Agens enim habẽs dominiũ ſupra paſſum, ſibi ipſum aſsimilat. ſicq; nihil aliud quàm ignis eſſet totus homo. Ad hæc, oportet in mixtione, quamlibet partem ipſius mixti eſſe mixtam: quemadmodum in augmentatione diximus, quamlibet partem eius quod augetur debere augeri. Ex quibus ſatis eſt manifeſtum, non eſſe proprie dictã mixtionem, cum aqua vino ſic miſcetur, vt in eius ſpeciem atque naturã tranſeat: cum hic mixtibilia neq; ſimplicia ſint, neq; virtutis ęqualis, neq; oporteat partem quamlibet vini commixti cum aqua mixtam eſſe. ſed partes tantum vicinas quibus infunditur.

Hæc de mixtione tradit Ariſto. 2. li. de ge.

CAPVT XV.

Quamodo in corporibus mixtis remaneant vel non remaneant ſimplicia & qualitates eorum.

GRandis verò eſt inter philoſophos atq; medicos ſuper hac re altercatio, num in mixtis corporibus elemẽta ſe-

cundũ suas formas permaneãt, an alio aliquo modo: quibusdam dicentibus, ea formaliter manere. sed tamen per formã totius cohiberi, ne separetur vnam quodq; in suum locũ. Qui sibi experientiã assumũt, ex eo quod admoto igne ad ligna quædã ligni pars redditur igni, quædã aeri: egreditur etiam humor quidam atq; aqueus vapor, licet ob ignis voracitatem id nõ semper percipiatur, terrę quoq; cineres relinquuntur. Vnde secundũ facié apparet, coniuncta ibi & colligata fuisse (non secundũ virtutem solã, sed etiam secundũ formã) elementa. Actionẽ verò mutuã, dicunt impediri à forma totius cõpositi, & quoniam ad mediocritatẽ sunt redacta. Atque ex hac radice posuerunt Empedocles & Anaxagoras, omnia esse in omnibus, & per congregationem & segregationem omnia generari atque corrumpi. Hinc quoque illorum manarunt sententiæ, qui principia rerum litem & amicitiam assignarunt: de quibus non est nunc dicendum per singula. Illi enim abierunt viam vniuersæ carnis, & nos è vestigio eos subsequimur. Si eos quiete Deus optimus dignatus est sempiterna (Quis enim nouit consilia eius, aut quis conspexit in libro signato iudicia eorum præter agnum qui occisus est?) si inquam, piissimus Deus, eorum iusit vel corpora, vel mentes quiescere, nos illos non impugnemus, nec sit nobis gloria cum eorum vmbris digladiari. Quod enim ad sententias antiquorum istorum attinet, verisimile est, obscurioribus verbis eos nonnulla indicare subinde voluisse, quæ si à nobis rectè intelligerentur, forsitan non penitus nobis viderentur improbanda: quæ tamen nunc prima facie, dum non intelliguntur, velut absurda ridentur, ac velut philosophis indigna abiiciuntur. Nos verò quæ veritati consentanea nouimus, & sacratissimæ nostræ fidei non dissona, absque illorum vel inuidia vel iniuria, diligenter commemoremus. Ergo (vt illuc reuertamur vnde digressi sumus) qui sic ponunt elemẽta in mixtis remanere, etiam in suis formis, omnia violenta faciunt, ignis enim violenter in loco humanorum corporum detinetur At verò deus naturæ dulcis opifex est: & sicut attingẽs à fine vsque ad finem fortiter, ita cuncta disponens suauiter. Alij proinde melius posuerunt, non quidem formas elementorũ, sed tantum eorũ qualitates in mixtis remanere, ad inuicem temperatas: dicentes,

Pium iudicium de veterum Philosophorum sententijs.

sapien. 8.

ob contemperationem qualitatũ mutua actione & passione factam, non extingui subito corpora. Vbi tamẽ aliquã eorũ contigerit deficere, vel excedere extra debitam proportionẽ necessario iam rem corrũpi. Id quod experientia testatur, super excrescente in homine siue calore, vt in pestiferis & febricitantibus: frigido, vt in senibus, humido, vt in hydropiscis: sicco, vt in phthisicis. In quibus omnibus fieri oportebit morbos varios atque etiã corruptionẽ, nisi statim per formã substantialẽ prospiciatur, vt restituantur in suã proportionẽ naturalẽ qualitates illæ actiuæ. Ponit autẽ hæc sentẽtia, etiã cõtrarias qualitates in eodẽ subiecto, & secundũ eandẽ partẽ subiecti, sed cõtemperatas adinuicem. Quæ sanẽ opinio nõ est penitus improbanda, imò doctorum orthodoxorum sententiis satis videtur cõsentanea. Dixit enim beatus Gregorius quatuor elemẽtis, tãquã quatuor baiulis hominẽ deportati ad sepulchrum. Alij ponunt neque formas, neque qualitates elementorum in mixtis remanere, sed tantum vnam qualitatẽ, quæ in illarum proportione. & ad inuicem cõtemperatione efficitur per virtutẽ seminis, vel alterius quomodolibet agentis & generantis, cum cõcursu causarum superiorum. Quemadmodum verò qui prioris sententiæ sunt, certã illã qualitatũ primarum proportionem, vocant cõplexionem, vel cõpositionem, ita posterior hæc sententia, qualitatem istã vnicam ex cõtemperatione qualitatũ effectam, cõplexionem vocat. ☙ Et quidem inter duas has opiniones atque sententias nõ tanta est distantia, quanta prima facie videtur. Hanc enim vnã qualitatẽ (vtcunque se res habeat) cõstat, virtute illã qualitatum cõplexionum, & proportionem, vel tẽperatata cõpositionem in se continere. Quapropter superfluum fuerit, hac de re solicitius aut pertinacius digladiari. Similis ferè quæstio est qualis de aqua tepida feruidè solet moueri, & ardẽter disputari: cum sit alioqui frigidior quam vt pro ea feruentius debeat cõtendi. His ergo supersedeates, ad alia transeamus.

CAPVT XVI.

☙ *An ad cuiuslibet mixti generationem, quatuor debeant elementa conuenire.*

Ad quod libet mixtorum. 4. cõcurrant ele

VErisimile est, ad cuiuslibet mixti compositionem quodlibet elementum concurrere, & quamlibet dictarum quatuor qualitatum aliquo modo in quolibet

eorum inueniri. Neque hoc solam secundum diuersas mixtorum partes est accipiendum, sed etiam secũdũ singulas partes. Nam mixtum secundum omnes sui partes tale oportet esse.

Quanquam enim in diuersis partibus diuersa percipiantur dominari elementa, vt in colera ignis dominatur, in flegmate aqua, in sanguine aer, & melancholia terra: non est tamen arbitrandum, solum illud elementum in vno quoque membro reperiri, quod in eo dominatur. Inuenitur enim in cholera aliquid aeris, & aquæ, & terræ: & melancholia aliquid ignis, & aeris, & aquæ atque, ita in cęteris proportionabiliter dicendum.

Et vniuersaliter, quamuis in quolibet mixto corpore sint omnia elementa, & omnes dicta ratione qualitates actiuæ, semper tamen eorum aliquod excellentius dominatur. In quibusdam quidem ignis, vt in superioribus exhalationibus & in flamma, & in hominibus cholericis: quorum idcirco capilli sursum tendunt. In quibusdam aer: vt in sanguineis, & volatilibus, quæ proinde aerem sibi vendicant. In piscibus autem & flegmaticis, aqua: quare & a quis huiusmodi delectatur, & crines habent plerunque leuiter demissos. In aliis terra: vt melancholicis & leporibus, cæterisque terrestribus animalibus, quæ proinde terram natura quærunt: & qui sic sunt homines, terram plerunque despiciunt, ponderosos crines ad terram dejectos habentes. Plerunque etiam plura elementa in eodem hoc videntur dominari, vt vix discerni possit vtrum vtri prævaleat. Difficile enim fuerit vniuersaliter iudicare, quod eorum in quolibet dominetur.

CAPVT XVII.

Monstratur exemplo, in mixtis quodlibet ex quatuor elementa.

Quod si cui videatur non verum esse quod supra diximus, in mixto simul quatuor elementa concurrere, videat ille lignum in aquas iniectum: quod experientia docet ac monstrat, non statim subsidere, etiam si magni sit ponderis, sed supernatare: quod indubie ab ignis atq; aeris est leuitate, quæ virtualiter in ligno includitur, donec tandem contingat consumi, aut deuinci temporis lapsu vim aeris atque ignis, per aquæ fortem actionem: quo facto subsidere poterit lignum. Eadem quoque ratione ligna putridi, quæ igni & sunt & fiunt viciniora, & aeri propinquiora (quemadmodum ipsa frequẽtia & magnitudo pororum indicat) difficilius intra aquam seruantur aut immerguntur. Has autem porositates indicare ignis dominium & inualescentiam, probat Aethna mons igneus, qui locus pumices transmittit multa porositate plenos. Hac eadem de causa, natura lem sibi locum oleum supra aquam accipit: quoniam oleum aerem magis dominantem habet. Aqua autem nostra qua vtimur, multum etiam terræ haber admixtum.

CAPVT XVIII.

Quod elementa quibus vtimur, pura elementa non sint.

Non est autem existimandum, hanc terram quam inhabitamus, quæque herbas & fructas generat ac nutrit, purum terræ elementum esse, sed neque hic aer in quo viuimus & respiramus, purum est elementum, sed potius venturus est quidam, & commixtus atque impurus aeris: neque aquam omnino elementarem, aut ignem habemus: terreũ tamen aliquid, aqueam, aereum, igneum habemus, terram, aquã, aerem, ignem verè non habemus. Siquidem ignis aer, aqua & terta, quæ nobis in vsu sunt, verius elementaria corpora, quam elementa dixerimus. Monstrat hoc ratio, tamesi ab horreat sensus. Elementa enim in sua dispositione naturali, nullã harum positionum in sensu efficerent, quas hęc elemẽtaria efficiunt. Aqua enim si in sua esset puritate sapida nõ esset. Neque aer ille, vt supra ostendimus, esset respirationi aptus. Neque terra nutrire quippiã, aut aqua potare posset. Nos enim mixta corpora, simplicibus nutriri nõ possumus. Cuius etiã signum dant agricole, qui irrigantes hortos, terrã aquæ miscent, & simum rem vtique (vt sic loquar) mixtissimã, terræ iniiciunt, vt plantæ nutriãtur: & multo melius inebriat & fœcundat terram aqua pluuialis, vt pote magis impura, quam fõtalis, que aliquanto est purior. Ipsi quoque coqui & qui lautitias parant cupediarij, sint nobis testimonio, qui ex diuertissimis commixtionibus, & maxime a natura abhorrentibus, sapidissimas conficiunt lautitias. Præterea terra purum elemẽtum, est grauissimum omnium etiã mixtorũ. Hæc autẽ terra nostra quam inhabitamus, multo est plumbo aut viuo argento leuior, & ignea ista flamma quæ pinguedine olei, aut ceræ

Aristotel. sententia lib. 2. de generat.

aut picis sustentari habet, aut lignorum atque similium subministratione, multo aere circunstãte est crassior atque densior, viscoso aut crasso fumo commixta. Elementaribus ergo corporibus, non elementis, vtimur. Idque consultissimè ille disposuit prouidissimus humanarum rerũ gubernator. Nihil enim profuisset creaturas valde bonas creare (plantas, animalia, cæteraque corpora mixta loquor) si non simul & vbi, & quomodo, & a quibus conseruari possent, eadem prouidentia disposuisset. Mira ergo dispensatione, in elongationibus elementorum partibus pura reliquit elementa, vbi nullus est mixtorum locus vtpote circa centrum terræ, & in supremo sphęrę ignis, sicuti attestatur Aristoteles naturæ philosophus. At vero superficies & exteriores elementarium globorum partes, sic voluit esse commixtas, vt mixtis locum præberent commodum, pro sua cuique natura, & vegetantibus vbi pascerentur sua fœcunditate non deesse. Aquo enim condita
Gene. 1. sunt omnia bona, & bona valde, ab eodem expectant vt e-
Psal. 103. scam sumant opportuno tempore. Quare & post complectum cœlorum cursum, vbi cessauerint in mundo viuere & pasci, tam homines, quam cætera viuentia, nouissimo terminato examine, igni cunctis cõsummatis mixtionibus, omnia suo loco & statu elementa reducturus creditur omnipotẽs & optimus Deus, ita demum cum suis beatissimis exercitibus regnaturus in æternum & vltra. Inter quos speramus & nos modo pauperes aliquando computari, quando plenæ erunt laudibus fauces nostræ, quæ nunc vndiquaque médicatis canticis misere torpent, etiam dum maximè vt videntur, laudãt.

CAPVT XIX.

Mouentur circa prædicta aliquod quæstiones: & primum, an possibile sit aliquid simpliciter generari aut corrumpi.

Quæstio prima. De eorum autem quæ hactenus à nobis dicta sunt ca prædicta proponentur: ex quarum solutionibus plenior haberi poterit quorundam antedictorum cognitio, & intelligentia facilior. Sit ergo hæc prima quæstio. An fieri potest vt aliquid simpliciter generetur, aut simpliciter corrumpatur? Nam si aliquid simpliciter generaretur, deberet ex non ente simpliciter generari: cum generatio

sit à non esse ad esse progressio. Ex nõ ente vero simpliciter siue ex nihilo, nihil potest fieri aut generari, quemadmodum habet principium physicum. Similiter quoque de corruptione potest ratio fieri, quoniam si corrumperetur aliquid simpliciter, deberet in non ens simpliciter corrumpi siue in nihilum cum corruptio sit processio ab esse ad non esse. Hoc autem, nempe in nihilum corrumpi, æque videtur physicis absurdum atque ex nihilo aliquid generari: eo quod æque sit creaturæ virtus impotens ad creandum, atque ad annihilandum. Videtur ergo iuxta hanc ratiocinationem, nihil simpliciter generari aut corrumpi posse, secundum naturam.

Solutio ad quæstionẽ ex sententia Arist. 1. de gene.

Pro huius autem quæstionis expeditione sciendum est, quibusdam antiquorum philosophorum tam validam & efficacem visam fuisse suprapositam ratiocinationem, vt ea permoti asseruerint nihil simpliciter generari aut corrumpi, sed omnia alterationibus solis posuerint variari: quas alterationes vocabant generationes secundum quid, propterea quod accidentia & qualitates secundum quę fiunt hę alterationes, non simpliciter formæ, sed formæ secundum quid (id est, formę accidentariæ) nominentur: & potius entia secundum quid, quàm entia simpliciter. eo quod ipsa nõ per se subsistẽtiam habeant, sed per ipsa tantum ea quę subsistunt talia, aut talia denominãtur. Admittebant ergo multa passim generari & corrumpi secundum quid, verum simpliciter aliquid generari aut corrumpi negabant. Hęc autem antiquorũ sententia certam habet falsitatem & omnino fateri oportet multa quotidie simpliciter generari, atque simpliciter corrumpi. Est enim generatio simpliciter dicta, formæ substantialis in materia acquisitio: quemadmodum corruptio, formę alicuius substantialis ex materia est deperdio: generatio vero secundum quid & corruptio secundum quid, formæ accidentalis in subiecto sunt acquisitio & deperditio. Vnde cum res naturales non solum secundum acquisitionem & deperditionem mutantur formarum accidentalium, verum etiam substantialium manifestum est, non solũ generationem & corruptionem secundum quid, verumetiam simpliciter, esse secundum naturam posibilem. Imò vniuersaliter, quandocunq; forma aliqua substantialis in materia qualibet de nouo acquiritur, compositum illud ex materia informata &

forma informante simpliciter dicitur generari: & è contrario, quotiēscunque forma substantialis ex materia aliqua deperditur siue expellitur, compositum ipsum simpliciter dicitur corrumpi. Quemadmodum (exempli gratia) simpliciter generatur ignis, & corrumpitur lignum, cum forma substantialis ligni per virtutem applicati ignis ex materia expellitur atque deperditur, & forma substantialis ignis in eandem introducitur. Qua in re differentia tamen notanda est, inter generationem simpliciter & alterationem, quæ etiam generatio secundum quid nominari potest. In alteratione siquidē alterari dicitur ipsum subiectū, quod de qualitate transit in qualitatem, non ipsum totum ex subiecto & forma aggregatum: in generatione autem & corruptione, non ita generari aut corrumpi dicitur subiectum generationis aut corruptionis, quod est ipsa materia per formam informata, sed totum ipsum cōpositum quòd ex forma & materia informata constituitur. Quemadmodum non ipsa hominis materia, quę ante & post manet eadem, generari dicitur aut corrumpi, sed totus ipse homo ex anima constans & corpore, generari simpliciter, aut corrumpi simpliciter dicitur, cum sua forma in materia acquiritur, aut ex ea pellitur. Ad obiectionem vero suprapositam facile satis adhibetur responsio, si illud prius replicauerimus quod in tractatu primo tetigimus, de conditione atque natura materiæ, quemadmodum ipsa non ens simpliciter dici debeat ac nūcupari. Quia enim materia per se ad omnem formam indifferens, omnino simplex, nullam habet in se formam ex qua componatur, quæ ve ipsam faciat esse in actu, sitque ex se nihil nisi mera potentia: hinc fit, vt ex se non nisi ens in potentia possit nuncupari, non autem ens in actu, quod solum est ens simpliciter. Ens enim in potentia, non est nisi ens secundum quid. Quod autem in actu est per formam aliquam substantialem, quæ pars est sui, id simpliciter ens dici meretur ac debet. Cum ergo ita proponit obiectio, Si generaretur aliquid simpliciter, generaretur ex non ente simpliciter, admittenda est illata hæc conclusio. Non enim est incōueniens, ex non ente simpliciter aliquid fieri seu generari. Ex materia siquidem fiunt ac generantur res naturales omnes, quæ non est ens simpliciter, sed tantum potentia. Quod autem philosophicum dicit principium, ex non ente nihil fieri aut generari: intelligendum est non de simpliciter non ente, sed de omnino non ente, id est, quod neque actu est, neque potentia: quemadmodum in primo libro tradidimus manifestius.

Solutio obiectionis.

CAPVT XX:
Quæstio secunda.

CVm calidi & frigidi, humidi & sicci sint officia contraria, quanam ratione dicta sunt hæc pariter in mixtione debere cōcurrere? Vt clarius dissoluatur quæstio, præmoneri oportet quæ sint harum qualitatum proprię differētię, quęve propria sint diuersa earum officia. Ad calidum enim spectat, separare partes heterogenias, id est, dissimiles & diuersorum generū ab inuicem. Ex virtute enim ignis est, quod in homine ossa à carne, caro à neruis, cor ab hepate, & cæteræ partes diuersarum rationum ab innicem seperantur. id quod & in ligni adustione euadit manifestum, vbi cinis, vapor, fumus, & flamma, ab inuicem calotis virtute separantur, Idē patet quando igne purgantur metalla & separantur partes diuersorum metallorum quę erāt commixtę. Sunt enim rerum duplices partes: quædā sunt eiusdē rationis, vel speciei, vel dispositionis: quemadmodū (exempli gratia) partes diuersę carnis, partes ossis, partes neruorum, partes aquæ omnes, sunt eiusdem rationis. Hę partes homogenię (id est, eiusdem rationis, speciei, vel generis) gręco vocabulo solēt nuncupari. Alię sunt quę sunt diuersarum rationū vel dispositionum, vt caro & os. item cortex & medulla in plantis, folia & radices, & hę partes heterogenię, id est, diuersarum rationum, specierū, aut diuersorum generum nominantur. Nihil tamen nunc specialius perquiremus, an in carne sit aliqua forma substātialis alia à forma ossis, præter rationalem animam: an forte sola differant diuersa dispositione, secundum accidentarias qualitates. Est ergo (vti iam ostendimus) calidi officium, heterogenia in mixto ab inuicem separare, homogenias autem partes simul coniungere. Vtrunque enim facere calidū, probat experientia in igne metalla purgante.

Sunt hæc apud Aristot. lib. 2. de gene. & 4. lib. Meteororum.

Frigidi autem est etiam partes heterogenias ad inuicem

conglutinare & conseruare: vt ossa cum neruis & carne, & eandem vicissim cum ossibus & neruis inuicem compagināre: quemadmodum ad oculum videmus in frigore, multa pariter in glacie conglutinari. Humidum vero bene est terminabile vel formabile, secundum omnem formam quam conuenit rei habere, & agens vult imprimere, faciléque suscipit impressionem ab agente, & est bene terminabile termino alieno. Nam propter fluxūm (cuius causa est humidum) contentum facile se accommodat lateribus continentis: sed male terminatur termino proprio, propter fluxum consequentem. Cæterum fluiditati huic medetur siccum, quod termino alieno ægre se accommodat, nec nisi violenter compactum lateribus continentis se patitur aptari, propterea quod fluxum ignoret. Suo tamen proprio termino siccum est bene terminabile, tenens atque custodiens figuram, & superficiem suam. Harum autem rerum experientiam docent nos figuli, qui volentes materiam luti pro suo libito tractare, & figuras quaslibet inducere, durum ac molle faciunt lutum, & humidum ascisc unt. Volentes vero iam inductum terminum & figuram seruare pulso humido, igne exiccant, vel soli exponunt: vt quod humidi beneficio facile est impressum, sicci beneficio stabiliter seruetur. Quibus præmonitis, dicimus ad quæstionem, agens vel generans egere calido, ad distribuendum singulis partibus sibi conuenientia, id est, ad segregandum heterogenia, ne commisceantur in homine os & caro, caro & nerui: in arbore cortex & medulla, folium & fructus, atque ita in cæteris. Frigido, vt homogenia continuentur, & heterogenia conglutinentur. Humido, vt figura & quantitas & superficies conuenientes inducantur, secundum exigentiam mixti quod generatur. Sicco, vt bene seruetur res in sua figura & termino. Ex harum autem commixtione qualitatum, quas primas vocant physici, secundum certam proportionem, & iuxta diuersarum qualitatum diuersam dominationem, procedunt qualitates aliæ prius enumeratæ, etiam tangibiles, & omnes aliæ sensibiles: vt sunt, color, & lux horum inferiorum (lux enim cœlorum, non est ex primis qualitatibus) sapores omnes, odores, atque sohi. Nō enim daret sonum percussus aer purus.

Solutio quæstionis.

CAPVT XXI.

Quæstio tertia.

SI oportet semper vno corrupto aliud generari, & vno genito aliud corrumpi? Solutio. Materia nequit esse nuda omni forma, quemadmodum primo libro ostendimus. Atque hac de causa, non potest agens vllum hoc efficere, vt forma vna de materia auferatur atque pellatur, nisi adducat aliam quam in materiam imprimat: neque aliter materiæ natura fieri patitur. Rursum, quia plures formæ vltimæ non possunt simul in esse eidem materiæ, oportet etiam vt agēs nouam formam substantialem adducens, aliam pellat priorem, sicque ex consequenti compositum prius & substantiam priorem corrumpat. Atque hinc fit, vt semper ad vnius generationē comitetur alterius corruptio: & econtrario, corruptio vnius alterius, generatio. Constat tamen non esse hoc ob necessariū, vt quoties homo quispiam nascitur, alius intereat eiusdem speciei, id est, alius homo. Satis est, aliam aliquam substantiam periisse, cuius scilicet materiam nunc habet genitus homo: sicut genito igne, oportet non alium ignem corrumpi, sed aliam tantum substant iā ex qua generatur.

Generatio vnius alterius est corruptio Arist. lib. de generatio.

Cum enim materia sit finita, & non possit quicquam materiæ creari virtute materiæ, non est existimandum, crescentibus aboribus & in altum expansis brachiis, hanc omnem materiam similiter gigni vel creari: sed oportet eandē materiam aliunde sumi. Nisi enim eadem materia sic per varias transiret formas, opporteret esse infinitam materiam: cū in infinitum pergant generationes.

CAPVT XXII.

Quæstio quarta.

VNde procedat generationum & corruptionum diuersitas, vt hæc magis hoc tempore aut producantur aut intereant? Solutio, Si cœli omnes immobiles starent, vt post iudicium futurum credimus, nulla haberetur generatio, nulla corruptio: seruarentur tantum res in suo esse, & in stabilitate sua permanerent quod sunt. Motus igitur cœlorum, causa generationis & corruptionis in his inferioribus.

Arist. 2. li. de genera.

Et quidem motus primi cœli mobilis, qui semper in viginti quatuor horis absoluitur, causa videtur sufficiens eius transmutationis, quæ fit secundum diem & noctem. Caterum eius transmutationis quæ fit secundum diuersas annipartes iam producendo, iã corrumpẽdo, causa est motus proprius solis ab occidente in orientem, per circulum zodiacum: quem motum complet vnius anni spatio. Eius enim aduentu omnia germinant, & senes iuuenescunt: eius autem discessu labuntur & occidunt & veterascunt omnia. vnde cum tempus aduentus & tempus discessus sit æquale, vtrunq; secundum sex signa: sequitur etiam tempora generationis & corruptionis æqualia esse.

CAPVT XXIII.

Quæstio quinta.

VNde est quod quædam sic facile generantur, & quod est inter quædam tam facilis transitus, aut tam facilis transmutatio: vt nubis in pluuiam, & pluuiæ iterum in nubem? In aliis vero est difficilis nimis & longa generatio & corruptio, & inter alia difficillima transmutatio? Solutio, Quædam sunt corpora imperfectiora, modicam dispositionem vel proportionem qualitatum sufficientem sibi reputantia, quæ facile generantur, vt vapor ex aqua facile generatur: quoniam nil requirit sibi, præter modicam impressam leuitatem. In aliis verò, vt perfectioribus, oportet multo tẽpore perfici eas quas rerum substantia requirit perfectiuas qualitates & naturales vires, dispositionesque necessarias, ac natiuas complexiones: quæ cum frequenter multæ sint ac variæ, neque ita facile aut ita mox effectibiles, consequitur longiorem temporis tractum ad talium generationem requiri. Id quod Baptista Mantuanus inter Poetas Christianos facile princeps, pulchrè admodum testatus est his versibus. Omne quod excellens opus & sublime futurum est.

Baptista Mãtuanus de beata virgine in lib. Parthenices.

Difficiles ortus habet, incrementaque tarda. Interquæ autem non multa est distantia, & quorum dispositiones necessariæ non multum differunt alterius ab altero, vt inter pluuiam & imbrem, aquam atque vaporem, in his faciliorem quoque oportet esse transitum.

CAPVT XXIIII.

Quæstio Sexta.

SIidem possit semel corruptum reuerti? Solutio. Eadem secundum speciem (etiam si totaliter species deleantur, vt esse in vermibus putredine natis videtur quotidie redire conspicimus) sed numero idem, natura potens non est reducere, sed tantum secundum speciem, vt testatur & Aristoteles. Forma enim semel expulsa, si corruptibilis sit penitus corrumpitur, & iam qua annihilata reuocari non potest. Si verò sit incorruptibilis, cuiusmodi est sola anima rationalis, hanc certe natura vt creare non potuit, neque dare, neque de potentia materiæ educere: ita nec poterit post expulsionem siue emigrationem reducere. Quis enim reducat aut reuocet spiritus corporeis defunctos officiis, qui iam olim emigrantes è suis tabernaculis vias abierunt occultas, locaque incolunt nobis prorsus incognita, vbicũque domino visum id fuerit? Quis rex sic potes, quis ita sapiens philosophus? Quis ita fuit eximius nature perspector aut descriptor, qui potuerit vel charorum suorum, vel suam etiam ipsius animam reuocare, semel Dei nutu de suo tabernaculo eductam? cuius quæso, vel peritissimi medici ad hoc deuenire potuit experientia? Non est qui hoc faciat, non est qui uideat, nõ est (inquã) vsque ad vnum. Imó verò vnum nouimus, Christum Iesum; Dei patris vnigenitum filium, qui viam vitæ & reditum ex mortuis primus ipse inuenit, eamque (vt in Psalmo inscribitur) nobis manifestauit in se credẽtibus: vt quemadmodũ ipse posita anima, cum placuisset, reassumpsit eandem, inque corpus reduxit, sic & nostræ aliquando animæ post longam emigrationem in sua redeant corpora, cum eo pariter in æternitate plenitudine cœlestis gaudij fruituræ. Verum non secũdum naturam hæc virtus, neque sub eius limitibus hæc potestas stringitur, sed naturam omnem excedit & superat, secundum virtutem diuinitatis inhabitantis in eo, quæ illi cũ patre & spiritu sancto est communis, in perpetuis æternitatibus. Cui soli sit plsalmus perpetuus, laus, & iubilatio sempiterna ab omni creatura angelica & humana, nunc in æternum, & vltra, Amen.

Psal. 15.

FINIT LIBER QVINTVS.

PSALMVS CONFESSIONIS IESV PRINCIPI PACIS, PRO assumptis in carne miseriis, ad dignam gratiarum actionem.

Ic impassibile cœlum, tu quid es? narrate elementa quid sitis, aut quæ vestra substantia?

D Vos vero homines commixta atque mendicatim congregata corpora; generationem vestram explicate nobis.

Quid sitis, vnde decisi, ex quibus compacti: in quæ tãdem putatis reuertemini?

Memento domine Deus, quod de limo terræ fecisti nos, & compegisti in nobis quaternas inimicitias irreconciliabiles.

Has tu princeps pacis, miro connectis fœdere, donec terminatis induciis prorumpant in exitum, donec dissoluantur quæ tu continebas.

Hæc omnium nostrum æqua sors, hæc nostra miseranda cõditio, omnes nos quasi aquam dilabi, & in terram volentes nolentes defluere.

Ab elementaribus pendere nos corporibus: quos tu angelicis pene coæquasti spiritibus.

Quid vero nosipsos flemus eiulantes? nonne tuam magis sortem, Iesu bone, commiserari ac deplorare nos oportuit?

Verbum patris patri cœternum de terra non eras: neque de terra sumebas tibi cibum, vt viueres.

Neque fontium aquis potabaris, in aere non respirabas, ignis vsum nesciebas, nec tu, neque pater æternus.

Propter me vero accessisti ad me, quod ego sum tu factus es verbum caro.

Verbum dico coangustatum, & abbreuiatum nimis simile in te elementarem litem suscipiens mecum.

Et mortis legem voluntariè in te ipsum suscepisti, ex ea in nihilum vti computere sceres, si non à dextris tibi astitisset saluator, omnipotens genitor tuus.

Iudæorum fera crudelitas accessit ad miseriam pauperis, nõ sunt passi suam periodum decurrere, atque peragere vitam corporis tui.

In medio robore ac flore corporis tui, Iesu piissime inqui-

inuaserunt animam tuam, tollere eam tibi.

In lignum subuectum, viribus defectum, animam expirare fecerunt te, ò vita beatissima.

Et de ligno depositum, communi tradiderunt omniũ matri: tanquam mortuum à corde, visceribus terræ.

Tu verò vnicus inter mortuos liber: non potuisti quia noluisti, videre corruptionem.

Nec putrefactum est tabernaculũ animę tuę, à fortitudine diuinitatis tuæ, quæ inhabitare non desinebit in eo.

Euge & lætare quicunque diligis dominum: quoniã mortuus à morte surrexit.

Occisus est agnus, & reuixit: proiectus in terrã, & surrexit.

Pro corruptibili seminato in terra corporis grano, immortale recuperauit atque glorificatum.

O fœlix commutatio dexterę excelsi: pro mortali depositio, glorificatum recepit agnus Dei.

Quare tacemus, o homines quæ ad nos hinc portio deducta est immortalitatis nostrę: vitam æternam quam reparauit & repromisit nobis.

Ibitis, ibitis corpora, ibitis dicimus in mortem. & computrefietis ab elementari inimicitia, quę compacta est & habitat in vobis.

Sed nunquid obliuiscetur misereri Deus? aut relinquetur in stercore vita nostra?

Suscitans suscitabis nos domine, in momento, in ictu oculi: in nouissima tuba.

Et surgemus incorrupti, & nos immutabimur: quoscunq; hoc munere donaueris.

Et fiet nobis à te, ò largissime princeps, beata retributio, fœlix commutatio, cum sederis in solio gloriæ tuę, quę est sempiterna.

Benedictio, claritas, & sapientia, & grãtiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in secula.

Et qui occisus est agnus, dignus est his omnibus: quoniam resurgens à morte vitam inuenit, à progenie in progeniem omnibus quærentibus eum in humilitate.

Gloria patri, & filio, & spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & semper: & in secula seculorum. Amen.

Finit Psalmus.

LIBER SEXTVS, DE MIXTORVM IMPERFECTORVM generationibus

PRAEFATIO.

Psal. 48.

VIdit Psalmista, cum in spiritu psalleret Deo ex omni creatura, mirũ in rebus ordinẽ: quod essent quędam ingenerabilia prorsus & incorruptibilia certas leges sibi descriptas inuiolabiliter obseruantia, quas nõ prætergrediãtur in secula seculorũ: ex quibus sunt nimirũ cœlestes spiritus, atq; virtutes, sol, luna, stellę, atq; cœlorum orbes. Sub quibus prospexit quædã nullam habentia determinatã legẽ suę generationis, sed verbo Dei stare tantũ: vt dum ille iusserit, & quãdo iusserit, gignantur & corrũpantur. Si enim dixerit altissimus, statim ignis de cœlo, aut pluuia, aut grãdo, aut ros, aut pruina, aut fulgur, aut tonitru descẽdet. & cũ placuerit illi, statim cessabunt. Nullã enim habent legem determinatam, vt perpetuo existere debeãt. Sunt sub his viuẽtia omnia, quę licet secundũ indiuidua nõ habeãt determinatam subsistentiã, cõstat tamen ea secundũ speciei generationem perpetuã habere stabilitatem. Quæ ob hoc mixta perfectiora dicuntur, eo quod habent generationem & subsistentiam magis determinatã prioribus, quæ facilè subito aut gignuntur, aut totaliter pereũt, atq; ob hoc mixta imperfectiora nũcupantur, de quibus modo præsentem instituimus tractatũ.

CAPVT I.

De tribus aeris regionibus, earúmque dispositionibus diuersis.

Istas tres aeris regiones distinguit Ari. 1. li. Meteororum.

QVoniã autẽ imperfectiora illa mixta corpora in aeris regione pene omnia videntur generari, idcirco de ipsius aeris dispositione atq; diuisione primũ dicẽdũ. Aer itaque vniuersus, in tres regiones, seu partes diuersimode qualificatas, distinguitur, nempe suprem̃am, infimam, & mediam regionem. Prima & suprema quoniam igni est proxima & contigua, circulariter cum ipso igne, ad motũ primi mobilis & aliorum cœlorum rapitur. Estq; perpetuo calida, tum propter vicinitatem cũ igne, tum propter hunc violentũ raptum & motum, qui per se ad calorem faciendũ est sufficiens. In hac autem parte nubes haudquaquã generari possunt, neq; reperiri, neq; cõseruari, tũ ob nimiã ipsius à terra & mari, (vnde nubium eleuari debet materia) distantiã, & nimiã altitudinem ad quã nubes nequeũt pertingere, detentę & remoratę in media regione aeris: tũ propter calorem & motũ circularem, qui impedit nubiũ cõgregationem. Leuãtur tamen ad eam exhalationes calidę & siccæ, quæ ob caloris & leuitatis copiã, facilius quàm nubes densiores, aut vapores earũ materia, possunt ascendere, & minus detineri: quę exhalationes, in aeris hac summa regione varias faciũt apparentias, vt statim dicetur distinctius. Infima autem regio terrę vicina, ob reflexionem radiorũ solis à terra reuerberatorũ, vehemẽtius incalescit. tum etiam propter vapores & exhalationes (quæ calidę sunt naturę) à terra & aqua eleuata. Tertia aeris regio, ea est portio, quę inter summã & infimã interiacet media. Hãc vehementer constat frigidam esse, ex ijs effectibus quos in ea percipimus generari. Ad eã enim non pertingit illa dicta radiorũ solariũ reflexio. Neq; eius ad ignem tanta est vicinitas, neque circulari ipsa rapitur motu. Quę in semetipsa existens frigida, quia & à sphera ignis distat vt ab ipso calor ei nõ veniat, & reflexi à terra solis radij ad ipsam vsque non pertingunt, sicq; inter duo calida velut media cõstituta, inter supremã dico & infimã regionem, suũ hãc ratione frigus vehementius intendens, valde infrigidatur, cõdensatur, inspissatur, ea actione quam naturales per antiperistasin vocant, id est, per contrarij circumpositionem.

CAPVT II.

Quid actio per antiperistasin, & quomodo per talem actionem media aeris regio sit multum frigida.

QVæ res vt cum sequentibus impressionibus clarius conspiciatur præmissum atque præcognitũ oportuit, quæ sit huius actionis quam diximus, virtus atque natura. Cum igitur contingit contrarium à suo contrario ita circundari atque concludi, vt virtus actionis eius non possit foras exire, ob fortem contrarietatem vndequaq; impedientem, tunc necesse est reflexam hanc virtutem in eo à quo emittitur receptam duplicari atque fortificari. Huius

est experientia, quoniam hyeme hominũ interiora multo calent amplius, coquuntur facilius & consumuntur ardentius, quàm æstate media, quando ab interioribus egressus calor non reuerberatur à circunstante aere. At hyeme, à vehemẽter frigido aere circunstante reuerberatus duplicatur in intimis. Idipsum patet in lignis & facibus & candelis. Multo enim est horum flãma viuacior hyeme, quàm æstate. Eadem hæc ratio est, quare qui frigidiora loca habitant, ampliori cibo sint, & maiori egeant nutrimento, ijs qui in calidioribus, cum tamen calidiores ex cutis nigredine existimari possent.

Ari. 2. met. degrandi -

Sic (vt ad propositã rẽ reuertamur) cum media regio aeris frigida, includatur inter summam & infimam calidas regiones, ipsa se fortificat: & tunc magis, quando contraria sunt fortiora. Nam in æstatis medio, cum ista inferior pars aeris sit propter directam radiorum solarium reflexionem calidissima, media portio aeris econtrario efficitur frigidissima. Hyeme verò, quando non est multa contrarietas, minus est frigida. Hæ autem portiones aeris non habent terminos omnino determinatos, sicut nec elementa. Nam per motum cœlestium corporum adductis coniunctionibus frigidis vel aqueis, elementum aquæ crescit, & aer minuitur. Adductis verò coniunctionibus quæ pro aeris faciunt generatione, vt calidis & humidis, minuitur aquæ sphęra, & crescit aeris portio. Hyeme enim, aquæ pluſquam æstate abundant. & æstate plus quam hyeme, crescit aeris terminus. Ita contingit, regionem mediam vno tempore esse maiorem vt in hyeme, vere, & autumno, quam æstate, quando directa & fortissima solarium radiorum reflexio etiam illud ad infimam partẽ trahit, quod alijs anni partibus, cum non ita calor prævalet ad mediam pertinet. Hæc antiperistasis duobus potest modis fieri, quippe per partium contractionem & maiorem compactionem. Et per qualitatis actiuæ à fortiori circunseptę incrementum, reflexis speciebus.

CAPVT III.

De ijs quæ in suprema aeris regione generantur.

Quid vapor, & exhalatio.

PEr influxus verò astrorum, & per calorem solis eleuantur à terra & ab aqueis locis (vt ex mari, fluminibus, paludibus) subtiles & tenues quidam fumi: qui si multum subtiles fuerint, vehementer calidi & sicci, dicuntur exhalationes. Si vero densiores, calidi temperate & humidi, vapores dicuntur. Exhalationes autem hæ cum sine leuiores, facile infimam & mediam regionem penetrantes, ad supremam perueniunt: vbi cum aere circunctæ in quo sunt, & hoc motu vehementer calefactæ, ac propter ignis vicinitatem inflammatæ iuxta materiæ diuersas dispositiones vel vniformiter vel difformiter succensæ, miras exhibent species, nunc draconum, nunc caprarum, nunc lancearum, nunc cãdelarum, vel facum ardentium. Sunt enim plerunque exhalationes viscosæ, & facile propter, siccitatem inflammabiles, quarum partes sæpe cotingit secundum opacitatem vel densitatem difformem non simul succendi, aut simul etiam succensas non similiter ardere atque lucere, vt cum pars anterior, crassior & densior non ita velociter succenditur, aut non ita plenè quam posterior quæ est rarior. Atque iuxta hanc dissimilitudinem, diuersas contingit rerum apparentias videri, quorum complures Aristoteles primo Meteororum libro enumerat. Sæpe autem conspiciuntur tanquam volitantia sydera, quę non sunt æstimanda è firmamento proiecta ad nos cadere, sed fiunt hæc, dum exhalatio inflammata sursum quærens moueri a nube deorsum pellitur, sicut cum pila reuerberatur, à corpore cui obiicitur. In summa etiam regione contingit videri hiatus absque inflammatione, quando non incenditur exhalatio, propter defectum viscositatis, & illuminata in partibus extrinsecis propter earum raritatem, medio autem ob sui opacitatem non illuminato, velut profunditatem inter mediam videre nos existimamus: quæ si magna fuerit, vorago: si non ita magna, hiatus nominatur. Sic autem vorago nobis aut hiatus apparet, quomodo pictorum ars eadem volens effingere, circumiecto lucido colore atque aereo per circuitum, in medio colorem crassum atque obscurũ intermiscet, vt sic vel puteus vel hiatus aliqui appareat, dũ in medio claritatis sese mõstrat obscuritas: atq; huiusmodi impressiones phãtasmata dicũtur. apparẽt enim quod non sunt. Ex dictis igitur facile est parum descriptiones colligere, quippe vt stipulæ ardentes sint exhalatio (quam calidam & siccam diximus) mota ad supremã aeris regionem, & ibidem ignis vicinitate incensa, habens figuram stipularum ardentium. Torris, est exhalatio ad aeris supremã regionem

Quid hiatus.

Quid vorago.

quecta, atque in sola longitudine, siue latitudine ardens. Capra saltans est exhalatio in suprema aeris regione incensa, paulatim & carptim ab vna parte ad alteram flamma discrurente: quod si exhalatio talis veluti scintillas quasdã spuat, scintillæ dicuntur. Stella errans, est exhalatio in suprema aeris regione, secundum longitudinem & latitudinem multas habens partes exiguas, diffusas & incensas, etiam quo ad imaginem referens. Ignis perpendicularis exhalatio est pedicularem figuram exhibens. Ignis fatuus seu candela ardens, est exhalatio ad infimam aeris regionem eleuata, & ibi per antiperistasin incensa, quæ dũ quærit ascendere sursum, à frigore mediæ regionis depellitur, & apparet quasi saltans, loca decliuiora quęrens, vnde & ad aquas ducit sequentem.

CAPVT IIII.

De *generatione cometæ.*

Aristo. 1. li. Mete.

APparent autem interdum in stellarum modum cometæ. Est autem cometa non congregatio multarum stellarum, neque de natura cœlesti, neque quo ad corpus, neque quo ad caudam, sed tota est de natura elementari.

Generatur autem hoc modo, Cum enim virtute solis & aliorum astrorum eleuatur multa nimis materia, calida & sicca, grossa & pinguis, peneque inflammabilis, ab his terrestribus vsque ad summam aeris regionem, vbi circumgyrata ad motum aeris inflammatur æqualiter, & aduenientibus cõtinuò exhalationibus multum diuque nutritur, generatur cometa. Cuius materia si sit in medio, grossior, & in circũstantibus partibus rarior, videtur tanquam crinitus, & vocatur stella comata. Si partes hę longius deorsum protendantur, dicitur caudata. Si vero partes subtiliores fuerint: inferius demissæ, dicitur stella barbata: Fi autem cometa potissimũ autumnali tempore, quoniam nunc & calor est materiã sufficiens eleuare, & caloris temperies facile permittit absque dispositione materiam bene conglobari & conuiscari: quod in æstate non sic permittitur, quando etiam non sic facile grossa exhalatio (propter solis ardorem dissipantem, & mediæ regionis summam frigiditatem) valet ad summam regionem transcendere. Verno autem tempore, non est plerunque calor tantam materiam sufficiens eleuare. Hyeme vero, &

frigus & humidum repugnant. Est autem cometa signum commotionum, bellorum, litium, traditionum, hac potissimũ de causa, quia tempore generationis cometæ dominatur calor, qui corpora animosque hominum ad huiusmodi accendit. Peculiariter Verò principibus dicitur portendere mortẽ, quoniam aer qui tunc crassior est & viscosior ex materia cometæ, principibus delicatis & tenerioribus solet facilius nocere, quam rudibus agricolis. Spirant præterea magna vi venti, ob ariditatatem nimiam, exhalationes siquidem minus viscosas, atque ideo non inflammabiles in ventos abire docet Aristoteles. Vnde & narrat nocte apparente cometa, interdiu ingenti quantitate lapidem vento sublatum, cecidisse. Nicomacho quoque Athenis imperante, cometa apparente, magna ventorum vis circa Corinthum debacchata est. Generatur autem aliquando in septentrione, aliquando in austro, nonnunquam ab occasu æquinoctiali, mouetur autẽ ad motũ Aquilonis exhalationem attrahentis, aut iuxta motum supremæ regionis, ab oriente videlicet in occidentem. Seneca tamen asserit nonnunquam ferri ex septentrione in occidentẽ per meridiem, & ex septentrione in orientem. Quod & se vidisse asserit, cuius causam materiam asignat ipsam qua nutritur, ipsam siquidem flamma incendendo sequitur, vt est in stuppa videre.

CAPVT V.

De *galaxia siue via lactea.*

POetæ meatiuntur currum solis à Phaetonte nouitio ductore malè deductum, combussisse aliquam partem cœli quam hac de re Albam asserebant. Sed vt cætera ferè Poetarum omnia, etiam hoc commentum est, & fabula vana.

Iuxta veritatem autem, sentiendum est aliquam esse partem cœli, in qua multorum astrorum lumen receptum, per refractionem facit albi coloris apparẽtiam: & hæc est galaxia, siue via lactea, quæ tamen non semper apparet, propter nubili aeris interstitium. Aristoteli tamen visum est, galaxiam videri propter receptionem luminis, in exhalatione calida & sicca & rara. Verum nihil prohibet, & sic viam lacteam a nobis demonstrari. Cæterum, galaxia Græca vox est, a nomine gala, quod lac significat, vnde galaxia dicitur quasi lactea via, id est alba, cuius coloris est lac.

Quid circulus lacteus.

Galaxia elem entaris.

CAPVT VI.

De iis quæ in media & infima aeris partibus generantur pluuia grandine, niue, pruina & nebula.

Quæ sequũtur tractat Arist. 2. li. Met.

CVm vero eleuatur à corporibus aqueis, per virtutem caloris solis & aliorum astrorum, vapor qui est calidus & humidus, tanti caloris, vt sufficiat moueri vsque ad mediã regionem aeris, vbi in nubem condensetur, ratione frigoris quod ex sua natura condensat: hoc pacto varia fit imperfectorum mixtorum generatio.

Pluuia.

Si enim nubes illa in aquam resoluatur, incipiatque guttatim decidere, generatur pluuia: cuius guttæ si paruæ fuerint quantitatis, imber dicitur: si magnæ & rariores, labroceræ. Si verò etiã mediocres, pluuia simpliciter vocabitur. tãetsi hoc ipsum nomen secundum generalem acceptionem etiã imbri & labroceræ nonnunquam accommodetur. quod autem dictum est pluuiam in media aeris regione ex nube generari, accipiendum est vt in plurimum, nonnunquã enim & in infima fit (licet in suprema nunquam ob nimium æstum vaporem congelari prohibentẽ) docet enim experientia pluuiam maximis guttis decidentem, non nisi ex infima regione descendere, nam quo ex altiori loco per aerem descendit, eo partes minutiores fiunt, vt in aqua ex eleuato aliquo loco effusa videre, non fuerit admodum difficile. Pluuia rotunda est, quod ea figura ad resistendum apta est aeri, per quem transit. Pluuia quoque salsa est nonnunquam, eoque vapores nonnunquam nimium terrestres leuantur, qui non concocti aquam salsam generant, aut veluti exustam, vt de salsedine maris dicetur. Descendunt quoque ranæ cum pluuia, imo (iuxta Albertum) vituli nec mirum vsque adeo hoc videri debet, cum huiusmodi terrestribus vaporibus sursum leuatis virtute adsint quatuor elementa, ad cuiuslibet misti generationem requisita, & corpora cælestia agẽtia, cum primæ causæ concursu ad hæc sufficientia. Primum pluuiæ signum, sydus volans. Secundum, rubedo matutina. Tertium, querela ranarum. Quartum, acrior morsus pulicum. Quintũ, quando sol solito citius mane apparet. Si vero nubes in media

Grando.

regione postquam fuerit versa in aquam, congeletur a superueniente immodico frigore, & sic descendat, grandinem habemus: quæ tantæ nonnunquã quantitatis reperitur, vt lapides magni ponderis in ea inueniantur concluſi. Quos nõ est existimandũ generari in media aeris regione, sed nimio calore cũ vapore simul sursum tractos fuisse. Cuius rei argumẽtum videri potest, quod lapides eiusmodi in grandineis globis repertos, cõpertum sit pleruncq; igneæ naturę esse, & velut virtute ignem continentes: vnde fit, vt propter inhabitãtem igneam naturã, facilius sequantur solis per calorem trahentis impressionem, Grando rotũda est fere figura, quia est pluuia congelata, & aliquando ingentis magnitudinis: quod fit quia ilico pluuia congelatur, antequam in minutas guttas dispergatur. Ratio de pluuia dicta est, quod nonnunquã animalis specie referat: causa assignatur, dominiũ alicuius astri. tale animal producere nati, in vere & autumno potissimum cadit. Non solet autem grando fieri hyemis tempore, quia tunc media aeris regio non est multum frigida: neq; rursum ita frequẽter media æstate, propter calorem nimium, qui tam crassum vaporem non facile permittit sursum scandere. Videtur enim grando plus materię exigere, quàm pluuia, & frigus multo magis. In vere autem & in autumno solet frequẽtius accidere. Tunc enim & calor est sufficiens eleuãdæ materiæ, & non immodicus vt dissipet eam: est etiam humiditas copiosior maxime in autumno, quo vapores generentur facilius & copiosius. Nihilominus tamen etiam æstate media contingit generari impetuosam grandinem, cum contigerit materiam sufficientem sursum eleuatam esse.

Nix.

Nix vero fit, quando nubes antè congelatur, quã in aquã sit versa: quare & nix compacta, difficilius dissoluitur a sole, quam glacies.

Ros.

At si eleuatur vapor modicus & subtilis, nõ habens sufficientem calorem, vt possit ad mediam regionem tendere, tunc in infima regione per frigus nocturnum ros generatu, quando nubes vertitur in aquam: qui fit maxime verno tempore, quando minor est calor, & frigus nocturnum sufficiens, ad conuertendum modicum & subtilem vaporem in aquam,

Pruina.

Si vero vapor subtilis prius congeletur, quàm in aquã vertitur, habemus pruinam. Fit autem pruina tempore duriori, flante borea potissimum: Ros contra, flante austro.

Caligo. Quod si iuxta terram pendeat sterilis vapor, id est, non " satis humidus, vt ex eo possit aqua generari, neq; satis cali- " dus vt possit sursum eleuari, dicitur nebula vel caligo: quę " solis virtute dissipata præsignat serenitatē diei. Testimoniū enim dat, quod non sufficiat pro reliquis impressionibus va- por eleuatus. Ros autē vt natura calorificus, rorilentas sege- tes collectas putrefacit. calor enim omnis externus putrefa- ctiuus est. Quibus quoque lætalem ventris fluxū generat, ob humorē multum viscosum, nec satis excoctum. vnde pastores nō prius oues educunt, quàm sol suis radijs rorē summis gra minibus herbisq; hęrentē, deuorauerit: Pruina plerunq; fœ tet, ob terrestre admistum, & frigore impediente, non con- sumptū: quare & aqua, ex pruina dissoluta, insaluberrima est & maxime noxia. Pruina descendens serenitatis diei indiciū est: sursum vero vecta, opposīti prænuncia est.

Pruina.

CAPVT VII.

De *fontium & fluuiorum generatione.*

DE fontibus autem & fluuijs non est credendum gene- rari ipsos ex concauitatibus, in quibus aquæ collectæ per pluuiam hyemis tempore reseruarentur, vel fluentes flu- uios facerent vel fontes. Sic enim non esset constans neque stabilis cursus fontium & fluuiorum, sed aliquando possent deficere, euacuato illo receptaculo.

Generatio fontium & fluuiorū ex Arist. sen- tentia.

Igitur hoc pacto intelligenda est. eorum vera generatio. Aer enim qui in poris terræ includitur seque ipsum (cum maxime sit natura fluidus ac subtilis) terræ per poros immi- scet, per nimium frigus (quod in terra abundat) condensatur facillime in aquæ guttulas, quę paulatim in vnum locū des- cendentes, fonti principium præbent aut flumini.

Huius signum est, quia iuxta montes & ex montibus cō- spiciuntur egredi fontes & flumina: & sicut ex magnis mō- tibus magna flumina, & quasi maria quædam, ita ex paruis fontibus modici fontes egrediuntur, & modici velut riuu- li. Non autem in locis planis videntur generari. Cuius est causa, quoniam cum sit mōs à terra eleuatus, potest ex omni parte aer facillime ingredi: & insuper dubium non est mon- tes habere poros & concauitates maiores, quanto sunt soli

viciniores & magis expositi, quam terra in locis planis, intra quam non sic potest aer sese immittere neque immiscere.

Quod si quis incredulus neget tantum aquæ posse cōgre gari, vt tanti fluuij inde generentur, videat quemadmodum humiditatis tempore circiter domorū vitra, aer in aquę gut- tulas versus in vnum confluens, sæpe magnam aquam circū vitra fundat, ita vt etiam in terram defluat copiosius. Atten- dat rursum, quomodo hyemis tempore, ex vapore adhæren- te vnguibus, ratione frigoris, generatur statim aqua. Attēdat nimiam fluxibilitatem aeris & terræ frigus valde condensa- tum: & his omnibus consideratis, desinat esse incredulus, fa- ctus fidelis. Si quis obiiciat, prius dictum est aerem decuplo aquam excedere, & ob id cauernas terræ & montium, tantæ quantitatis aeris capaces non esse: illi respondetur, tantum aerem non contineri simul, sed vno corrupto, alterum mox succedere necessario, ne vacui illi recessus maneant, quod na- tura maxime abhorret, Ad hæc in mōtibus multos cauos re- cessus esse. Magnificet igitur hac in re diuinam magnifi- centiam, quæ sicut pro terræ fœcunditate, pluuias, imbres, grandines, niues, rorem donat atque pruinam, ita de subtus facit scaturire aquas nostris vsibus familiaribus aptas, vt his indeficienter recreati, non deficiamus coram eo (qui nos sic abunde semper consolatur) in vlla gratiarum actione.

CAPVT VIII.

De *maris salsedine, eiusque fluxu & refluxu.*

MAris salsedo generatur, ex permixtione exhalationum adustarum: quę permixtę cum vaporibus, copiosę in ma re patentissimum incidentes ipsum faciunt amarum & sal- sum. Calidum enim adustum, humido permixtum, facit sapo- rem amarum quod patet in lixiuio & vrina. Aquę tamen plu uiales, quę ex mari euaporantur, non sunt amarę: quoniam eleuantur vapores puriores, & alterantur per virtutem cœle- stium. Item flumina, si quę fluunt ex mari immediate, per meatus terræ transeuntia, colantur vt perdant suam amaritu- dinem, & accipiāt dulcedinē, depuratā. Huius etiā signū est, quod aquę maris quę in cereum vas vndequaq; cōclusum per

Arist. in fine 2. lib. Met.

poros ingrediuntur: dulces fiunt: quoniam illa terrestreitas crassior foris manet. Dicunt tamen quidam mare ab initio amarum fuisse creatum: quę sententia priori penitus non repugnat, sed constat pariter, vt & secundum naturalē conditionem amaritudinem habeat suæ salsedinis, & nihilominus idem efficiat amplius, causa quam diximus. De fluxu autem & refluxu maris si causa requiratur, ex luna eā oportet assignari, quæ dominatur humidis. Luna enim ascendēte supra horizontem in quo est mare, ab orientis puncto vsq; ad pūctum meridiei, fluit mare. A puncto autem meridiei ad occasum declinante, refluit. Iterum ea ab occidente ad angulum noctis pergente, fluit: ab angulo noctis, ad orientem, refluit. Quod autem fluxus nunquam eadem hora incipiat, sed quotidie paulo minus vna hora serius, lunæ motui quo ab occidente versus orientem tendit, est adscribendum. inde enim est, quod serius quotidie exoriatur: conficit siquidem proprio motu quotidie, tredecim gradus cum vndecim minutis: & gradus quindecim, horam efficiunt. Quod autem maria aliquando fortius fluant & refluant, quam alio tempore est ex vicinitate lunæ ad maria. Quando enim luna directe respicit mare, existens supra horizōta, multo fortius mouet, quàm quando existens sub horizonte, per reflexionem virtutis tantum operatur eundem effectum. Virtus siquidem tantum reflexa, est minor, & directa debilior. Eodem etiā modo, aliquando mare crescit, aliquando decrescit: nunc cōdensatur, nunc rarefit. In nouilunio siquidem, vtriusq; & solis & lunæ lumen impeditur, ne valeat aerem subtilem seruare: quare ingrossatus in aquam magis tum vertitur: propter quod mare in nouilunio substantialiter crescit. In plenilunio etiam vtriusq; lumen non prohibitū rarefacit aquas maris, & crescunt per rarefactionem, non per substantiam quæ & homines in se facile, si aduertant, experiri poterunt.

CAPVT IX.

De *ventis & eorum generationibus atque diuersitatibus.*

Aristo. quæ sequuntur tracta. 4

VEnti generantur per solis vritutem, euaporata à terra exhalatione calida & sicca, quæ quærēs sursum ascendere, & à frigido obuiante repulsa, secundm diuersos occursus & repulsus, diuersimodè circa terram agitatur & mouetur lateraliter. Qui etiam à regionibus ex quibus flatum conspiciuntur habere, nomina accipiunt, & naturarum suarum conditionem diuersam.

lib. Meteorum.

Ex regione nanque orientis, flat ventus orientalis: qui est iuxta conditionem suæ regionis calidus & siccus, conueniēs cum cholera. æstate, iuuentute, & igne, in qualitatibus naturalibus. Regio occidentalis cum suis ventis est humida & frigida, conueniens cum flagmate, hyeme, senectute, & aqua. Regio septentrionalis, quæ à septem stellis quæ triones nominatæ sunt a poetis, hoc sumpsit vocabulum, habet ventos frigidos & siccos. Qua in re conuenit cum melancholia, autūno ætate decrepita, & vltima senectutæ, atque cum terræ: Ex parte meridionali australes flant venti, calidi & humidi, similes sanguini. veri, aeri, & adolescentiæ. Vocātur autem hi quatuor venti principales, subsolanus, Zephyrus, Boreas, & Auster, qui & alios habēt sibi collaterales hinc & inde: quos nō laboramus nunc curiosius distinguere, vt & nautis sua relinquamus, quibus nos antecellant. Hos roget, quisquis ea volet cognoscere exactius, atque distinctius dignoscere. Generantur autem venti ex sicca exhalatione, sicut pluuia ex humida euaporatione, & a sole generantur qui: etiam eos dispat maiore exortus ardore, resoluens in aerem atque dissicens. Nonnunquam autem cum paribus humidis commixti simul, & eis coniuncti, pluuiam faciunt. In terram quoque possunt resolui, sicut vapor in aquam: verum id & difficilius est, & rarius. Seneca quoque dicit ventum esse aerem motum: asserit & aeri quandam spirandi atque seipsum mouendi vim esse innatam, nimirum cum putandum nō sit, aerem præ cæteris elementis, inertem ab ipso omnium cōditore esse relictum.

CAPVT X.

De *terræ motu.*

QVando autem contingit intra viscera terræ plurimas generari exhalationes in concauitatibus ipsius, per virtutem solis atque astrorum ex materia ipsius terræ, & humiditatis terræ immersæ, si egredi nequeant,

ob nimis compactam terram, & nimiam ventorum grositié, necesse est terræ fieri motum in aliqua parte. Qui si n larum fiat, tremor dicitur: vbi vero eleuatio fit collis in altum, dicitur pulsio. Et hoc terræ motu contingit ciuitates opprimi, & montes generari, & etiam subrui. Neque est mirandũ, tantam habere exhalationem inclusam intra terram, quoniam videmus ex modicis spiritibus in hominibus exitum quærentibus, magnos subinde tremores fieri. Auditur autem aliquãdo sonus multo ante terræ motum, ex concussione exhalationis ad latera terræ, genitus. Cæterum durationem habet iuxta exhalationis magnitudinem, & firmam solidamque terræ compactionem. Singa aliquot futuri terræ motus sunt. primũ, si mare nullo vento spirante subito intumescat. Secundum, si aues solo pauidæ insideant. Tertium, si aquæ in imo puteo turbulentæ sunt.

CAPVT XI.

De *tonitruo & fulmine*

Quid fulmen & tonitruum.

FIt quandoque, vt pariter eleuetur vapor calidus & humidus, atque exhalatio calida & ficca, aritérque ascendant in mediam aetis regionem: vbi quando contingit calidam & siccam exhalationem nube ex dicto vapore genita, velut pelle circundari, propter antiperistasim contrariorum, vehementius exhalatio ipsa incalescit, & exitum hinc inde petens, nubem concutit: quam cũ a parte inferiori, quæ debilior est frãgit, e greditur fulmen, hoc est exhalatio inflammata, vel antegressum per nimiam caloris vim, vel in ipsa concussione (sicut ex concussione lapidum naturæ igneæ, exoriuntur scintillæ) quæ ad terras propulsa, propter suam subtilitatem, corpora rara & peruia absque nocumento citius pertranſiẽs, interiora solet magis densa magisque resistentia plerunque desæuire, ipsa confringendo vel aduréndo. Nam intacta veste, hominẽ cõsumit, & carnibus illæsis, sæpe ossa adurit, gladiũ quoque frangit, vaginam nil lędens. Et hcet secundum tempus prius se nobis coruscatio p lumen manifestet, cõstat tamẽ prius tonitruũ esse, & fulminis coruscationem ex nubiũ concussione (quę tonitruum dicitur) generari. Idque hac de causa, quoniam sicut intellectus omnẽ sensum prævolat, ita visus cætetis sensibus spiritualior anteuertit auditum. Cui rei argumento sunt, qui ligna cędunt in syluis, quos videmus secu rim iam in altum eleuasse ad denuo feriendum, priusquã ad aures nostras primi ictus sonus deuenerit. Quemadmodũ verò in terra, ex coniunctione vaporis cum exhalatione generantur lapides, cæteraque mineralia, ita cõtingit in superioribus quoque, lapidẽ generari ex inclusione diutina exhalationis, & ex eius cõiunctione cũ nube quæ est frigida & aquosa, qui cum fulmine deiectus, cuneus fulminis vocatur. Patet ergo quemadmodum & venturũ & terræ motus & tonitrui atque fulgurationis eadem pene st materia, ipsa videlicet exhalatio. Super terrã enim agitata facit ventum. in terra, terræmotum, in nube autem tonitruum. Aduersus fulmen remedia sunt, loca subterranea, non enim profundius quinque pedibus terram intrat. Secundum est, pellis vituli marini, ex quibus ob id imperatorum tentoria fieri solent. Tertium est, laurea corona, namlaurus fulmine non læditur.

Nota de fulmine.

Visus anticipat auditum.

Arist. 4. lib. Met.

CAPVT XII.

De *halone siue corona.*

PER refractionem autem luminis in nubibus aquosis, contingit diuersas fieri apparentias. Cum enim nubes vniformis & in omnibus partibus æquam raritatem aut densitatem habens directé sub sole, luna, aut astro inuenta fuerit, incidit in eam ab obiecto lucido astro luminosus radius, & nubis occursu refringitur. Prohibetur enim directè vlterius procedere, propter nubis vniformem densitatem: atque ita per extremitates nubis vbique diffunditur: Et per hanc refractionem apparet sub astro magnus circulus, lumine colluſtratus, in modum lucidæ coronæ, qui halon dicitur.

Halon sub sole, luna, & astris.

Fit autem & sub sole, & sub luna, & sub planetis aliis. Sæpius tamen circa lunam, quam circa solem, nam sol feruido suo calore, materiam nubis disgregat, neque diu eam sub se consistere permittit. Luna autem non tantã habet vim dispergendi materiam, quantã sol, & ideo facilius potest apparere sub ea halon. Eadem ratione & circa astra sæpius apparet quam circa solem. Verum id fit cum nubes debilis est & sterilis, vt nec ventum valeat nec pluuiam parere. In nubibus enim aquosis & spisioribus, non videretur astrum, ita

suum lumẽ posse spargerè propter virtutis debilitatem.

CAPVT XIII.

De *generatione Iridis.*

IRIS autem sic generatur, In nube aquosa & vt in imbrẽ soluatur parata, ẽ regione opposita soli aut lunæ, refringuntur radij luminosi solis aut lunæ, eiusque imaginem obscurè & imperfectè exprimunt propter nimiam distantiã, & interiectionem vaporum inter solem & nubem. Et inde apparet in ea nube arcualis figuræ Iris, tribus distincta & adornata coloribus, videlicet puniceo, viridi, & purpureo. Quæ cælorum distinctio inde sumitur, quia radius luminosus quanto longius protenditur, tanto debilior fit, & minus habet luminosæ claritatis, & magis ad obscuritatẽ atque nigredinem tendit: propter quod radius fortior ille qui prius puniceum habebat colorem, debilior factus conuertitur in viridem. Color enim viridis magis ad nigredinem tendit, & obscuritatem, quam puniceus. Ac rursum, idem radius factus debilior, tandem conuertitur in purpureum, qui amplius quã viridis ad obscuritatem accedit. Differunt autem Iris & halon: quia Iris fit ex opposito solis aut sui astri, halon autem directe semper sub astro. Iris etiam propter nimiam distantiam a sole apparet nigrior: halon autem albior & fulgidior, propter breuiorem & fortiorem radij refractionem ratione vicinitatis ipsius ad astrum. Rursum non tantę durationis est halon sub sole, quantæ Iris ex oppositio solis. Quia enim ille soli est propinquior, idcirco citius dissipatur & disgregatur ab eo. Hæc autem longius distat, vnde non ita cito dispergitur, diutiusque valet consistere. Præterea halon semper integer circulus apparet, & verè est. Iris autem nunquam nobis apparet integer circulus aut portio maior semicirculo: sed vel semicirculus, vna extremitate vnã nostri horizontis partem tangens, & altera oppositam, aut est portio minor semicirculo. Notandum autem quod nonnunquam videre cõtingit simul duas Irides, aut interdum (licet rarius) etiam plures. Duæ autem Irides, cum simul apparent, eosdem quidem colores habẽt, sed situ diuerso: ita vt altera habeat puniceũ, viridem, & purpureum: altera autem cõtrario ordine purpureũ, viridem, & puniceum. Et illa quæ apparet debilior, imago est alterius fortioris. Quando autem tres apparere contingit, tertia vsque adeo debilis est vt vix videri queat. Nam tertia cum apparet debet illa fieri ex refractione radiorum se cũdæ, quo valde sunt debilis virtutis. Et habet tertia debilissima semper colores similes primæ & fortissimæ, puniceũ scilicet viridem & purpureũ. Nequ; enim contingit plures duabus simul apparere aut fieri in colorũ positione differentes, sed tertia semper primæ est similis. Sed & hoc notandũ est, quod quãdo sol supra nostrum horizontem magis eleuatur, tanto minor apparet Iris. Atq; ob hoc in meridie, Iris fit quã minima: in ortu verò vel occasu, maxima quæ fieri potest, cõspicitur. Eadem quoq; ratione, in medio æstatis circa solstitium æstiuale, quando prolixiores sunt dies, in meridie non potest omnino apparere. Post verò æquinoctium autumnale, quando sunt dies breuiores, potest per omnes horas diei esse manifestare.

Iris tricolor.

Quomodo simul plures Irides videri contingit.

CAPVT XIIII.

De *Parahelis.*

CÆterum parahelij generantur ad hunc modũ, Cũ enim nubes bene densa & cõtinua regularis & vniformis, fuerit non sub sole, neq; ex opposito, sed ad latus eius propinqua, vt vertatur in pluuia, nondũ tamen versa, in illa sol per suorũ radiorum refractionẽ suam exprimit, formatq; imaginem. sicut suã imaginem effingit sol in ære polito & bene terso. Hęc autẽ imago solis ad eius latus consistẽs, dicitur parahelius, à para, quòd Græcis iuxta significat, & helios, quod solẽ: vt dicatur parahelius, quasi iuxta solẽ. Dictũ est autem nubẽ illam debere esse densam, vt melius refractionẽ faciat continuã, vt integriorem solis susciptiat imaginẽ: regularẽ quoq; & omnino vt magis vniformen veriorẽ & perfectiorem exprimat imaginẽ propinquam etiã verti in pluuiã, vt commodius in ea repræsentetur solis imago, sicut in aqua pellucida, attamen nondum conuersam: quia si conuersa iam esset, partibus discontinuatis non esset apta solis imaginem susciptere neque exprimere.

Parahelius quid.

CAPVT XV.

Differentia parahelij, ab halone & Iride.

DIffert autem parahelius ab halone & Iride, primum quidem ex situ loci: quia neque sub sole fit, vt halon, neque ex oppositio vt Iris. Nam illic quidẽ sol

materiam sua virtute dispergeret, hic verò propter nimiam distantiam refractio esset nimium debilis, quæ non sufficeret ad imaginem solis effingendam. Sed medio modo ad latus constituitur parahelius, vt sol nubis materiã nimia propinquitate dissoluere nequeat, & copiosius ad nubem radij peruenire possint, quę sufficientem faciant refractionem, ad solis imaginem efformandam. Quemadmodũ autem ad latus solis in nube eiusmodi, qualis supra descripta est expirmit Sol suam imaginem, ita potest facere & luna (quãquam cætera astra, ad perfectam talem imaginem & similitudinem omnimodam efformandam non videantur sufficientia) propter quod sub parahelio etiam imago lunæ cõprehendi debet. Contingit autem non solum vnum parahelium, verum etiam plures simul apparere. Testatur enim Plinius, tres simul lunas Cn. Domitio & L. Annio consulibus, apparuisse. Non quod secundum veritatem tres lunę fuerint, sed quia vna vera & duę imagines. Propter similitudinem enim commune habent nomen, quemadmodum hominis imaginem ipsius, cuius imago est nomine, solemus designare. Et in tempore nativitatis saluatoris nostri Dei, feruntur tres simul apparuisse soles, id est, sol vnus verus cũ duobus parahelijs: qui tandem in vnũ coeuntes & conuenientes significabant (vt recte credimus) sanctissimæ trinitatis in vnitate mysterium, quod iam per Christi ortũ erat palam in toto orbe faciendũ, quodque is qui mundo tum nascebatur sol iustitiæ inhabitantem in se haberet plenitudinem totius diuinitatis. Et quod cũ Christo homine & pater & spiritus sanctus vna essent substantia, & vnus Deus, vna lux, vnũ lumen increatũ & æternum, quod est benedictum in secula, Amen.

Hæc sunt mirabilia magna admiranda atque stupenda: quæ solis & astrorum virtute atque efficientia siue in cœlo sursum, siue in terram introrsum, siue super terram deorsum fieri quotidie conspicimus: quædam quidem frequẽtius, alia rarius, iuxta quod naturæ cursus expostulat, & iuxta quod author naturæ Deus voluerit atque mandauerit. Omnia enim hæc, nempe ignis, grando, nix, glacies, spiritus turbinis ac tẽpestatis, cæteraq; quæ suprà tractata fuere, faciunt verbum eius, eiusq; iussa obedienter perficiunt, ad laudem gloriæ eius, qui in sublimibus inhabitans, etiam infima posidet

regit ac moderatur, secundum beneplacitum voluntatis suæ qui in trinitate perfecte vnus, & in vnitate perfecte trinus viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Finit liber sextus.

PSALMVS ADMIRATIONIS MIrabili domino.

Vlta iam diximus, & explicasse videmur nobis plurima: quæ erant occulta naturæ opera forsitan nonnulla patefecimus.

M Terrores ignium qui in supernis apparent explanauimus: hiatus quoque, foueas, & puteorum voragines.

Pluuias, grandinem, niuem, rorem, pruinam, caliginem: hæc omnia descripsimus.

Fontium venas & fluuiorum origines scrutati sumus: maris salsedinem, fluxum atque refluxum considerauimus.

Ventorum qui terram perflant ortũ distinximus: motus quoque & tremores in visceribus terrę.

Tonitruum & fulgurum quibus terrentur homines, exposuimus ortum: halonem & parahelium & irrides signauimus in nubibus desuper.

Hæc omnia tractauimus, & explicasse nonnulla videbimur: tu enim Deus reuelasti nobis opera tua.

Veruntamen quę adhuc occulta sunt nobis, plurima sunt: & parua nimis est portio eorum quæ nouimus, si conferatur ad ea quæ seruantur occultata à nobis.

Quæ cognoscimus sunt pauca nimium, & ea ipsa quæ fortè cognouimus, sunt heu nimium tenuiter à nobis cognita.

Nimium tenuis est & oscura scientia nostra, neque est vel vnum ex cunctis operibus altissimi, quod sit pro dignitate sua nobis cognitum.

Mitto cętera, fontẽ cõsidero qui scaturit de visceribus terrę: quẽ per vmbilicũ suũ resudã lo ebulit ipsa iactu perpetuo.

Quis pro dignitate spectaculũ istud vel modicum contemplari poterit, quis expendere sufficiet ortum aquarũ tantarum, & fluxum perpetuum?

Surge diluculo, accede ad fontẽ, qui est in planitie ista, persta iuxta illum, neque abscedat vsque ad meridiem.

Et cum aduenerit meridies non te auocet ventris cupiditas à cõsideratione tua: perseuera astans tuo spectaculo, vsq; in vesperam & noctem profundam.

Habe intentos semper oculos ad aquam quę ebullit de ore ipsius: attende ad dulcem sonitum, quem aquarum supra petras casus continuus immittit in aures tuas.

Dic mihi vbi sic persteteris, si vlla vnquam hora defuit tibi spectaculum tuum: num vel breuissima morula defectum passus sis aquæ ebullientis?

Aquã quę deprompta erat, non videbas redire iterum in vẽtrẽ fontis, vnde egressus fuerat, in riuulos atq; fluuiolos deriuari conspiciebas per alueolos, super faciem terræ.

Vniuersam aquam istam si tibi placuisset colligere: accepisses certe vasorum plurium plenam amplitudinem, in non multo tempore.

Et quidem parum id forsitan, si diei tantum vnius spatio perduraret fluxus eiusmodi: nunc verò cursus est & impetus fluxionis perpetuus, & indeficiens in plurima secula.

Collectę starent aquæ quę effluxerũt è fonticulo isto minimo, ab initio ortus eius, conspiceretur vtique veluti flumen magnum aquarum copia inundantium.

Fontes enim hi, ecce steterunt in diebus patrum nostrorum ante secula plurima ante annorũm centenarios plurimos, vt scaturiebant, ita ebulliunt & hodie.

Vnde vero tantam tu dicis ò spectator aquarum copiam? & vbi continebantur, priusquam exirent per os fonticuli?

Quod est penu in quo seruatur tanta multitudo aquarum: vt non deficiat fluxus ex eo in tanta tempora?

In montibus affirmabis principium earum: aerem assignabis mihi in materiam.

Vnde verò virtus earum tanta in visceribus terræ: vt ista sic perpetua fiat & indeficiens aquarum generatio?

Dic mihi qui habes intelligentiam & scientiam, si alium habeas quàm Deum authorem horum mirabilium.

Magne magne Deus, contemplor & contemplari non sufficio: in consideratione mea hebescit acies cordis mei.

Si voluero plenam eloqui veritatem super ijs quæ pręconsiderata sunt: dicam tibi in confessione laudis, quoniam tu author es omnium simul horum mirabilium.

De tua fœcunditate scaturiunt fontes aquarum, in te sunt venæ fontium, qui vena es aquarum viuentium.

Sed & cætera omnia quæcunque miratur homo, & non sufficit, abs te vno procedunt, confiteor hoc tibi, ad laudem & gloriam tuam.

Multa diximus, & pauca omnino sunt atque exilia: nõ enim pro dignitate explicare sufficimus maiestatem operum tuorum, quæ sunt mirabilia.

Confitebor tibi domine, & psallã donec fuero: magnus enim tu es, & nimis nimium laudabilis.

Gloria patri, & filio, & spiritui sancto,

Sicut erat in principo, & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.

FINIT PSALMVS.

LIBER SEPTIMVS CONSIDERATIONIS PHYSICÆ de cœlo & mundo.

PRAEFATIO.

POsteaquam in libris superioribus de rerum naturalium principiis & causis, deque motu & aliis quibusdam rerum naturalium accidentibus, nempe infinito, ac finito, loco, Vacuo, & tempore, de rerum quoque naturalium generationibus & corruptionibus, deque metero logicis impressionibus determinauimus, restat vt de totius vniuersi dispositione & partium situ, deque cœlestibus illis orbibus (quæ sunt omnium corporum secundum corporis rationẽ nobilissima) specialius aliqua dicamus: de numero videlicet, ordine, dispositione, virtute, deque motibus eorundẽ, & in hæc inferiora influxibus. Gene. 1.

Peculiariter verò de duobus illis luminaribus, quæ Deus præ cæteris insigniter in temporũ distinctionẽ & rerũ vicissitudinem in cœlis cõstituit, ad hominũ vtilitatẽ (Solem dico & Lunã) deque horũ peculiaribus motibus, quomodo dies, annos atque menses nobis distinguant, generationes adducant atque corruptiones, quomodo nobis plenilunia & nouilunia ab eis cõtingant. Vnde eclipses siue solares siue lunares, vnde solstitia atque æquinoctia, & inuiolabilis iste procedat tẽ-

porum ordo. Vehementer enim ita sobriè cognita ad Dei gloriam profuerint contemplantibus, & ad ea quæ de generationibus & corruptionibus dicta sunt, non parum præstabunt adiumenti. Primum itaque totius mundialis machinæ dispositionem & situm figuraliter describemus, ac deinde, ad cœlestium considerationem transibimus. Præmissis interim aliquot diuisionibus, & definitionibus, hisce atque horum cognitione nonnihil lucis adferentibus.

CAPVT I.

Quædam diuisiones & definitones sequentibus necessariæ.

Eorum quæ natura sunt, alia sunt corpora magnitudinésue, alia corpora ac magitudinem habent, alia principia habentium sunt.

Quæ verba hunc habẽt sensum, eorum quæ in rerum natura existunt, quædam sunt quantitates corporeæ, aut lineę, aut superficies: alia sunt corpora prædicamenti substantiæ, quæ in se vti accidentia habent, huiusmodi quantitates, alia sunt principia substantiæ corporeę, quippe materia & forma, ad huius diuisionis notitiam subduntur definitiones cõtinui, & specierum ipsius, quarum est hæc continui.

Continuum est, quod in diuisibilia semper diuisibile est.

Id est, quantitas continua, permanens est quantitas quæ potest secari in partes proportionales, ita vt nunquam sit peruenire ad partem in alias non diuisibilẽm, nec inconueniens est sic processum esse in infinitum, cum hoc solum potentia & non actu sit: de parte proportionali quid sit prius est dictum. Dictum quoque est prius, quantitatem continuam, ex indiuisibilibus non componi, cuius oppositum sequeretur, si ad partem indiuisibilem deueniretur. Patet hinc excludi tẽpus & numerum, continuum autem cum in tres diuidatur species, rectè singularum definitiones subduntur, quarum est corporis hæc,

Corpus est, quod est diuisibile omni ex parte.

Id est, corporea quantitas, est quantitas longa, lata & profunda, seu quæ mensuratur longitudine, latitudine, & profunditate, seu crassitie, quę tres dimensiones sunt.

Linea est magnitudo quæ ad vnum est diuisibilis.

Id est, linea est quantitas continua permanens, vnica dimensione, scilicet longitudine, potens secari.

Superficies, est ea quæ ad duo est diuisibilis.

Hoc est, superficies est quantitas continua permanens, quę duabus dimensionibus tantum (scilicet longitudine & latitudine) est diuisibilis. Hisce itaque definitis commodum de motu locali corpori quanto attributo, nonnihil dicendũ videtur, qui diuiditur sic.

Motuum localium seu (vt dicit Aristote.) lationum, alius est rectus, alius curuus, alius ex hisce mistus.

Cuius membra, ex iuiectis eorũdum descriptionibus, euadent manifesta.

Motus rectus est, quo sursum itur atque deorsum.

Id est, motus elementorum naturalis, ad locum videlicet naturalem, rectus est, qui per lineam quæ diameter mundi est, fit siue sursum, siue deorsum fit.

Motus sursum dicitur, quo è medio pergitur.

Ist est, motus rectus sursum dicitur, quo è centro terræ tẽditur per rectam lineam.

Motus deorsum dicitur, quo ad medium proficiscitur.

Id est, quo ad centrum terræ per rectam tenditur lineam.

Motus circularis est, qui circa medium fit.

Hoc est motus circularis est, qui fit circa centrum terræ secundum partes æqualiter distantes à centro. Atque horum motuum, soli rectus & circularis simplices dicuntur. eo quòd per lineam simplicem fiunt, videlicet rectam & circularem. Describitur autem linea simplex sic.

Linea simplex est, quæ in omnibus sui partibus vniformis est, secundum rectitudinem aut curuitatem.

Quales sunt linea recta, & circularis. atqui hæc quæ de motu dicta sunt, ipsis simplicibus corporibus esse tãtum applicanda (iuxta Aristoteiis sententiam) nõ vsquequaque fuerit difficile aduertere, quibus præcipue huiusmodi motus cõpetunt. Colligitur tamen ex dictis admodum facile, quis motus rectus, quis curuus, quis sursum, quisue deorsum, atque ita deinceps iuxta vulgi accipiendi modum.

Motus mistus est, qui fit secundum magnitudinem partim rectam, & partim curuam.

Vt motus per arcum & neruum, sic motus venti obliquus imo propemodum cuiuslibet misti motus. Quoniam corporum quædam grauia, quædam leuia, quædam neutra sunt, pretium operæ videtur, horum definitiones subiicere.

Est igitur leue, id quod aptum est é medio ferri.

Id est, quod è centro terræ, aptum est sursum moueri, vt aer, ignis.

Graue est id quod aptum est ad medium ferri.

Hoc est, quod ad centrum terræ tendit ex naturali motu & proprio, vt aqua & terra: porrò hic animaduertendum est, quædam simpliciter leuia esse, vt ignis: simpliciter grauia vt terra: alia tantum respectu alterius, vt aqua si conferatur terræ, leuis est, & non simpliciter, & aer collatus igni, grauis, non tamen simpliciter. Vnde, &c.

Leuissimum dicitur id, quod super omnia collocatur, quæ sursum pergunt.

Qualis est solus ignis.

Grauissimum est id, quod sub his omnibus collocatur, quæ deorsum feruntur.

Vt sola terra, hinc infertur cœlestes orbes, neque graues, neq; leues esse, non enim aut sursum aut deorsum ferri apti sunt, sed solum circulariter, qui motus perfectissimus est, vt & ipsa circulari figura. Quod autem dicitur leuissimum poni super omnia, &c. intelligendũ est inter elementa, ne cœlo ipsi competere putetur.

CAPVT II.

De totius vniuersi dispositione, & ordine omnium quæ sunt in eo,

VNiuersitas mundi, atque mũdus vniuersus, simplicibus constat atque mixtis corporibus.

Simplicia corpora sunt, quæ motus secũdum naturam principium habent.

Id est, quibus motus simplex secundum naturam propriã nõ ab alijs participatam competit. Huiusmodi sunt quatuor elementa.

Composita sunt quæ mouentur ad nutum simplicis dominantis.

Qualia sunt omnia mista corpora. Simpliciũ sunt quædã, quę nullã suscipiunt primarũ qualitatũ, nec proinde secundarum, quę ex primarũ certa proportione consurgunt. Hæc sunt cœlestia corpora, quę nec grauia nec leuia sunt (alioqui enim sursum mouerentur aut deorsum) sed naturaliter mouẽtur motu circulari: qui motus cũ sit perfectissimus omnium, sicut & circulus est figura perfectissima, & maxime vniformis, conuenit corpori perfectissimo sphæricã figurã habẽti. *Ari. 1. li. de cœlo Idem. 8. li. Phy. & lib. 2. de l. cœo*

Alia sunt simplicia corpora, quæ qualitates primas sibi habẽt determinatas. Ipsa sunt elemẽta quatuor, ignis, aer, aqua, terra. Inter quę, propter repugnantiã qualitatũ actiuarũ, cum sit pugna atq; inimicitia perpetua, ob proportionẽ tamẽ actiuę virtutis in superiori, & resistentiæ in inferioribus, haud

dubie ordinatissimam, nullum horum contigit ab initio defi cere. Horum, ignis vt summe leuis, rarissimus atque purissimus, sursum habitat, suam conuexam superficiem habens simul cum concaua superficie orbis lunæ.

Post ignem sequitur aer, tribus partibus siue regionibus (vt in præcedente libro fuit declaratum) distinctus. Aeri proxima est aqua, quæ in principio quædam creationis rerum sic terram ambiebat per circuitum, & respondebat iuxta suã superficiem conuexam superficiei concauę aeris quomodo nunc ignis ambit aerem, & superficiei concauę cœli lunaris secundum suam conuexam superficiem adæquate respondet. Verum propter habitationem hominum, ex Genesi patet, omnipotentis iussu aquam congregatam esse in locũ vnum, vt appareret arida, hoc est, terra, fierétque apta habitationi hominum, & fructificationi gignendorum ex ea.

Gene. 1.

Quinque gradus mixtorum corporum.

Mixta vero corpora, in locis elementorum suam habent mansionem. Vnumquodque iuxta suę naturæ constitutionem: quædam quidem in aere, quædam in aqua, alia in terris. Possunt autem mixta corpora vniuersa quinque gradibus summatim complecti. In primo gradu & infimo sunt mixta imperfecta, id est, impressiones meteoralogicę, de quibus iam in præcedenti libro determinauimus. In secundo gradu sunt lapides & mineralia quę in terris gignuntur, & ob longiorem durationem merentur altiori gradu à prædictis reponi. Atque hęc omnia sunt inanimata. Tertius gradus habet omnes plantas, arbores & herbas, & quæcunque vitam habent vegetatiuam, id est, quæ nutriuntur, augentur, & generant sibi simile. Quartus, continet omnia animalia bruta. In quinto autem & perfectissimo gradu est species humana, ad quam vt finem ordinantur cæteri omnes gradus inferiores. In cuius iudicium sexto demum die, omnibus dispositis & perfectis, nouissime deus creauit hominem.

Gene. 1.

CAPVT III.

De *elemento ignis specialis determinatio.*

Quanquam autem de elementis in libro quinto tractatum est, quantum ad rationem elementi & qualitates elementares pertinet, hoc tamen loco aliqua sunt specialiter dicenda, quæ alias ipsorum conditiones respiciunt, vtputa de modo existendi, de perfectione, de situ locali, & huiusmodi, quæ huic loco magis cõpetunt. Et primum quidem de ignis elemento, quomodo & vbi existat, & quam ob causam non videatur, est dicendum.

De hoc enim elemento quidã addubitant, nonnulli plane negant, sensui magis quàm rationi credentes. ob hoc scilicet quod oculis ipsum non videant, credere rationi recusantes. Putant enim elementum tantum (nimirum decupla proportione aeris sphæram excedens) non posse penitus latere oculorum corpalium aspectum, ita vt nec sereniss imis noctibus videri possit, quando neque à nubium obiectarum densitate, neq; à solis lumine, vllum videtur impedimentũ. Verũ isti ex luce candelarum, carbonum, & facum quæ apud nos sunt seipsos paralogizant atq; decipiunt, somniantes vel carbonarium vel lignarium aliquem ignem esse debere cũ quẽ elementarem dicimus.

Qua in re manifestat ratio crassissime illos iudicare, non attendentes maximam dissimilitudinẽ quæ est inter ignem materialem (qui nobis in vsu est, ad illuminandas tenebras, aliaq; necessaria peragenda) & illum elementarẽ, qui ad totius vniuersi decorem, cœlo proximus, locum quartum possidet. Ignis enim quo vtimur, non ignis est (vt in libro de generatione, & corruptione diximus) sed igneum aliquid. Non enim corpus simplex est, sed mixtum; longissiméque abest ab illa raritate quæ igni cõpetit elementari. Est enim ignis iste nostri vsus, admodum compactus spissus & plane opacus in se ipso, miniméque transparens. Quod vel ex hoc facile patere potest, quoniam candela candelæ apposita vmbram facit. quod certe nõ faceret, si ignis candelæ corpus perspicuũ esset siue transparens. Docet item experientia, quod directe trãs ipsum ignem nostri vsus, nihil videre possumus, quodq; visum impediat ne suum percipiat obiectum.

Ignis elementaris maxima raritas.

At vero ignis elementaris, in sua natura & in sua sphera decuplo rarior est, quam sit aer etiam purus & nullo vento cõmixtus. Et si vllum elementum purum est (Aristotele teste) creditur esse ignis: vtpote cœlo proximũ, vbi difficilius est fieri vllam commixtionem. Vnde si aer decuplo densior, non potest terminare visum nostrum, sed est transparens & perspicuus, quanto magis nõ poterit terminare visum, ignis

decuplo rarior, sed erit transparentior & magis perspicuus aere in proportione decupla?

Quod autem visum nostrum non terminet aer, manifestũ est sensus experientia. Nam nisi motu & flatu venti illũ experiuntur rudes homines (quibus tamen æque sunt sensus vt doctioribus) plane negaturi essent aerem, asserentéque vacuum esse vsq; ad cœlos. Sed experientijs solis, iisq; certissimis & manifestissimis, de aeris existentia certificantur. De igne vero, quoniam nimium est à nobis elongatus, non possunt sic haberi experientiæ: propter quod, ad credendũ eius existentiam quidam inveniuntur tardiores. Ratione tamen efficaci est demonstrabile, talem qualem iam diximus ignis sphæram esse regioni cœlesti contiguam.

Præterea, nullum corpus diaphanum, id est perspicuũ, vel transparẽs, per se terminat visum. propter suã transparentiã, sed solum corpus opacum, & nõ transparens visum terminat & penetrare nõ patitur. Quapropter si ignis in sua sphæra talis esset qualis apud nos, essetq; visibilis & visus nostri terminatiuus, vt corpus opacũ, necesse foret omnes stellas firmamenti & planetas, ipsum quoq; solẽ perpetuo nobis eclipsari, nec possent à nobis vnquã videri. Cum enim per circuitũ vndiq; ambiat ignis totam aeris sphærã, ex omni parte lumen cœleste impediretur à luce ignis. Totum ergo decoré cœli talis ignis nobis absconderet, & penitus auferret. Quapropter voluit illũ deus disponens omnia suauiter, in maxima raritate (vti eius naturæ conueniebat) constituere.

Obiectio. Quod si quis interroget: ignis ille elemẽtaris tantus, vnde habet nutrimentũ? Videtur enim totus aer tãto nutriẽdo igni non sufficere. Attamen debere ignẽ nutriri continuo aliquo combustibili, videtur monstrare experientia.

Solutio. Dicendum est, ignem quidẽ in aliena materia non posse subsistere neque teneri, nisi cõtinuo nutriatur adiecto combustili. In sua autem sphæra in materia propria, non eget vllius combustibilis nutritione, vt in naturali loco suo seruetur, nihilo certe magis quam aer, aqua vel terra vllo indigent nutrimento. Hæc propter simplicium quorundam sensualem dubitationem de ignis elemento dicta voluimus, ne ob sensus nostri angustiam diuinæ maiestatis amplitudini aut magnificentiæ operum derogemus. Tam amplam enim & ex præcipuis mundialis machinæ partibus vnam abnegare creaturam, ac per hoc pulcherrimum illum ordinem & proportionem ordinatissimam quæ in quatuor elementis consideratur, propter sensus crassitiem destruere, quid aliud est, quam ob nostram angustiam diuinæ potentiæ & sapientiæ amplitudinem contingere? *Attende.*

CAPVT IIII.

De *situ elementi aquæ, & terræ discoopertione.*

DE aquarum etiam situ non inutiliter mouetur difficultas, ex eo quod iam ante primo capitulo dictum est ad oculum manifeste cernimus, terram non esse ex omni parte aquis circundatam, sed secundum partes aliquas esse discoopertam aquis. Tale autem aliquid in nullo omnino aliarum sphærarum accidere videmus. Nam aer ex omni parte ambit aquam, & ignis ex parte aerem, ac deinde in cœlestibus orbibus quilibet superior ex omni parte ambit inferiorem. Vnde apparet, hunc aquæ situm quem nunc habet, non esse prorsus illi naturalem, sed iuxta situm naturalem debere ipsum ambire & circundare ex omni parte sphæram terræ.

Quærimus ergo ad cognitionem operis Dei, an sola diuina virtute absque cooperatione naturæ ista terræ discoopertio, & aquarum separatio facta sit, an simul vlla naturalis virtus ad hanc rem concurrerit. Et si sola diuina virtute id factum dicamus in principio, die tertio distinctionis rerum, an vsque nunc eodem modo, Deus miraculose sua sola virtute eam ita contineat?

De hac re quorundam astronomorum sententia est, terram sua siccitate obsistere humori aquæ, sicque eam velut fugare atque à se repellere per suam actiuitatem, in aliquot partibus quantum pro mixtorum conseruatione, & speciali viuentium atque hominum vita conseruanda est necessarium. Cur autem terra ab vna parte plusquam ab alia aquam pellat, causam assignant ex adiutorio cœlestis corporis. Dicunt enim in parte septentrionali iuxta polum nostrum esse stellas quasdam de natura Saturni, frigidas & siccas, quarum assiduis impressionibus atque efficacibus influẽtiis ipsa terra vehementer adiuta, fortificata & corroborata

in sua siccitate, possit sese discooperire, & aquas propulsare. In cuius signum adducunt, quod terra à parte septentrionali semper manet detecta. Asserunt insuper etiam si per miraculum Deus die tertio non congregasset aquas, quod temporis tamen successu naturaliter hoc ipsum effectum fuisset per virtutes naturales prædictas: impossibile tamen fuisset sic cito & subito id fieri, aliter quam virtute Dei: quoniam agentia naturalia nihil agunt in instanti, sed successiuè, in operationibus naturalibus.

Alij dicunt, etiam si non fuisset virtus prædicta sufficiens causa, ad efficiendum in principio terræ denudationem & discooperationem, sufficere tamen eam posse, ad sic terram in sua discooperatione conseruandã. Minoris enim virtutis est, quippiam in statu aliquo conseruare, quam primo in eum perducere. quemadmodum medecine ars in Vita hominem seruat, quæ tamen vitam minimè donare potest non habent?

Certior sententia.

Verum cũ prædicta sunt omnino incerta (quis enim definire nobis poterit an virtus aliqua talis sit in terra, vel in cœlestibus cõstellationibus ad eam rem sufficiens?) præstat vt eo quod certissimum est, contenti simus, hoc autem est, quod ex infallibili doctrina sanctæ scripturæ didicimus, nempe diuina virtute terram esse discoopertam, verbo & iussione omnipotentis Dei, dicentis (vt primo capite Geneseos scribitur) Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum vnũ, & appareat arida. Cuius verbi sanè potentissimi efficacia, credimus vsque nunc permansisse aquam in eo situ & loco quem tunc accepit, & in quo nunc cernitur: ita scilicet vt terram non quomodo ab initio ex omni parte circundet, sed ex magna parte nudam velut circumlambat.

Gene. 1.

Et licet forsitan veritatem habeat, quædam astra sua virtute ad hoc cooperari (deus enim per causas secundas multa conseruat, quæ per seipsum fecit ab initio) quia tamen sancta scriptura de hac re loquens, non nisi deo totum tribuit, idcirco neque nos adiicee quicquam volumus. Nam præter iam supradictam Genesis authoritatem, ita in proverbiis clamat Sapientia. Quando circundabat mari terminũ suũ, quando legem ponebat aquis, ne transirent fines suos, ego aderam cum eo cuncta componens. Et proverbiorum tricesimo capite, Vir cum quo locutus est deus, interrogat dicens,

Prou. 8.

Quis conclusit aquas quasi in vestimento? Et manifestum est quod pro responsione subauditur, Dei potẽtia. Similiter Iob 25. de deo dicitur, Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura. Quãdo ponebat pluuiis legem, & viam procellis sonãtibus. Iterum Psal. 32. Cõgregãs sicut in vtre aquas maris, ponens in thesauris abyssos. Et quomodo de mõtibus alicubi loquitur Psalmista dicens, Terminum posuisti eis quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram: sic nihil dubiũ est, quin & de aquis nos loqui oporteat. His ergo modis cum scriptura totum hoc miraculum Deo ascribat, nobis videtur superuacaneũ aliam causam quærere.

Prou. 30. *Iob. 28.* *Psal. 32.* *Psal. 103.*

Si autem roges, Num ergo cõtinuo miraculũ facit deus, dum ita terram continet denudatam? Audi, Semel loquutus est Deus verbum virtutis, & sermonem potentem protulit in die tertio, nec opus est vt loquatur iterum. Voluit enim vt effectum haberet sua illa iussio, donec super terram esset minextorum habitatio: quod est vsque in consummationem secuIi. Miraculo quidem hæc terræ denudatio primum facta est: iam sic manet terra absque nouo miraculo, & se aqua vbi semel posita est, continet, absque nouo miraculo. Nõ enim inobedientes sunt creaturæ naturales, vt homo, qui necesse est sæpius eadem vel præcipere vel prohibere, propter inobediẽ tiæ promptitudinem.

Nota firmiorem rerum naturaliũ, quã hominis obedientiam

Si iterum roges, num violenter aqua continetur & cohibetur in vnum locum, vt non terram circundet posteaquam à situ & statu primo naturali priuatur? Audi iterum, Siquidem sola naturæ virtute per vim terræ aut operationem astrorum id factum esset, violentia vtique dicenda foret. At vero cum verbo & iussione omnipotentis dei (qui totius naturæ author, rector, & gubernator est) constet omnia hæc peracta, quomodo dicere poterimus, aquam in suo situ ex hoc vllam pati violentiam, quamuis iam non vt ab initio terram circũcingat? Quomodo enim violentum & vllius creatæ naturæ poterit esse contrarium, quod ex voluntate est & iussione domini naturę, dulciter gubernãtis & disponentis omnia suauiter? Quomodo in familia bene ordinata & subiecta violentum esse poterit aliquid eorum quæ paterfamilias sua voluntate disposuit? Non ergo nunc violentè cohibetur aqua ne circundet terrã, sed suauiter & dulciter sese continet Dei

Sapien. 8.

imperio obsequens vsquedum in consummatione seculi (mixtis omnibus consummatis) eiusdem verbi iussione suum locum recipiat.

CAPVT V.

De terræ immobilitate & minima quantitate.

OMnium autem infima est terra, quæ medium mundi obtinens, quasi totius mundialis sphæræ centrum, penitus immobilis, perpetua firmitate consistit: circa quã vt centrum immobile voluuntur amplissimi illi cœlorum orbes, simul & alia elementa superiora continuo motu mouentur, ignis scilicet, aer, & aqua. Soli enim terræ cõuenit prorsus secundum locum immobilem consistere, vt secundum se totam nunquã moueri possit, neque motu circulari, neque motu recto: est enim quasi mundi centrum, ab altissimo Deo posita in medio totius mundialis machinæ. Vnde sicut in corpore sphærico quod circulariter mouetur, cunctæ ipsius partes mouétur circulariter, solo ipso cẽtro (circa quod aliæ partes voluuntur) immoto permanente, ita & de terra intelligendũ est, quod sola in medio mundi stat immobilis. Quemadmodum per Sapientem dicitur, generatio præterit, generatio aduenit, terra autem in æternum stat. Quod siquis obiiciat, fieri nõ posse, vt terra quæ tantæ quantitatis moles nobis videtur, cẽtrum esse dicatur, cum centrum habeat rationem puncti, sitque indiuisibilis punctus corporis alicuius sphærici: ipsa autem terræ substantia nequaquam sit indiuisibilis neque punctalis, sed in plura miliarium milia sit diuisibilis. Huic obiectioni respondetur, dicendo, quod terra tametsi nobis pusillis & pusilla semper contemplantibus, magnæ admodum quantitatis esse videatur, si tamen eã conferamus ad totius mundialis machinæ, & cœlestium orbium magnitudinem, non posse aliter quam punctum censeri atque æstimari, nõ quidẽ quod realiter punctus sit indiuisibilis, sed quia per cõparationem (propter immensum quantitatis superexcessum) non aliud quã punctus videbitur, adeò quòd si totus globus terræ fingatur in firmamento positus lucere, sicut stellæ quę nũc sunt in firmamento penitus non posset videri, præ nimia sua paruitate, sicut & multæ aliæ stellæ ob suam paruitatem nunquam apparent. Nã (vt tradũt expertissimi probatissimique

Terra centrum mũdi

astronomi) minimæ stellę visu notabiles quę in firmamento consistunt, quãtitate sunt maiores tota terra decies & octies quæ tamen minimæ sunt inter eas quas visu notare possumus atque distinguere. Ad quod plenius mente intelligẽdum (quandoquidem sensui videtur irrationabile) aduertendum est, iuxta Ptolomęi, Alphragani, aliorumque expertissimorũ astronomorum authoritatem, stellas firmamenti in sex magnitudinum differentias distingui. Sunt enim primę magnitudinis numero. 16, quarũ quęlibet maior est tota terra centies & septies. Sunt alię secundę magnitudinis, numero 45. quarum quęlibet maior est terra nonagies. In tertia magnitudine sunt ducentę & octo maiores terra septuagies & bis. Quartæ magnitudinis stellæ sunt ducentę sexaginta-quatuor, maiores terra quinquagesies quater. In quinta magnitudine sunt ducentæ decẽ & septem. quarũ quælibet maior est terra trigesies quinquies. Sextę autem magnitudinis sunt stellę ducentę quadraginta nouem, & quęlibet earũ est maior terra decies & octies. Et istę sunt minimę visibiles, quę ab astrologis sunt notatę: de quibus dicit Alphraganus, quod minima stellarũ visu notabilium, maior est tota terra. Sunt verò præter has aliæ, non in determinato numero, visu non distinguibiles, quarum numerum solus deus cognouit. iuxta quod in Psalmis dicitur, Qui numerat multitudinem stellarum & omnibus eis nomina vocat. Et ad Abrahã voce domini dicitur, Aspice cœlum, & numera stellas, si potes. Ex quibus manifestissim[illegible], quod rectè dictum sit, to[illegible]tam terram in comparation[illegible] firmamẽtum nihil esse aliud quàm punctum quoddam & centrum.

Nota magnitudinẽ stellarũ firmamenti.

Psal. 146.

Gene. 15.

Quantomagis ergo si ad cœlum illud supremũ, quod empyreum nominatur, quantitate & mole (vt ex sequentibus patebit) longe maius conferatur? Adiuro te lector, quisquis es Chris[illegible] perpendas ex his quæ dict[illegible]um hominum, qui prop[illegible]n cœlestem perdunt[illegible] finẽ causa sese efferunt, q[illegible]tantur possessionibus. Rursum, quàm miseri sunt & nimiũ male sibi consulẽtes, qui pro terra aut ijs quę in terra sunt possessionibus ad inuicẽ cõtendunt, mutuo se fraudant ac decipiunt, non raro etiam peierantes,

omni æquitatis ratione postposita: ita scilicet punctalé terræ angustiam immensæ cœlorum amplitudini præeligétes. Nam etiam si terram totam quis obtineat (id tamen quod nulli adhuc hominum potuit contingere) quid ille aliud quàm punctum rapuit? quid ille aliud quàm punctum manibus tenet? in centro dominatur, in atomo tenet imperium. Illi ergo qui pro terræ minima portiuncula, vtpote pro agello, pro angusto prædiolo, pro domuncula siue casula contendunt suntve solliciti: quid aliud moliuntur, quid agunt, quid quærunt, nisi de pũcto (si id recte potest intelligi) punctum tollere? O vanas hominum curas, O pectora cæca. Discè ò miser, infelix attende, pro quàm minima recula, quam maximũ perdas thesaurũ: & pro angusto formicarum indulo quàm amplissimũ abiicias palatium, terrenam sortem dum cœlesti præeligis.

CAPVT VI.

Vnde terra habeat suam immobilitatem, atque firmitatem.

QVod si quis roget, vnde hoc habeat terra, vt immobilis in medio iaceat: cum & spæricam habeat figuram, quæ admodum in se mobilis est & fundamentum nullum videatur habere stabilitatis, cum in aquis cernamus eam velut natare, quæ minime sunt stabiles, sed fluunt perpetuo? Ad hanc rem non aliam possumus assignare causam conuenientiorem illa quam supra de terræ denudatione diximus, quod scilicet verbo & iussione dei suam hanc habeat stabilitatem: Quemadmodum enim aquarum in vnum collectionem supra ostendimus in scriptura soli deo ascribi, sic & ista terræ cõfirmatio in plerisq; scripturarũ locis inuenitur deo soli attributa. Vnde illuminatissimus ille Psalmographus canit, Psal.103. Qui fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in seculum seculi. Rursum, Initio tu domine terram fundasti. Et iterum, Qui firmauit terram super aquas. Et ex persona domini in alio Psal[illegible] Psal.101. Psal.135. Psal.75. [illegible]nnas terræ, hoc est, sic eam stabil[illegible]rmitate, Prou.8. Prou.3. acsi columnis subiectis fec[illegible]st quod in Prouerbijs dicit Sapientia, Quando appendebat fundamenta terræ & cætera. Item, Dominus sapiẽtia fundavit terram. Et in libro Iob. Qui appendit terram super nihilũ. Ac rursum ex persona domini, Quando ponebam fundamenta Iob.26. Iob.38. Psal.33

terræ. Nec dubiũ, quin sicut verbo domini cœli firmati sunt: ita sit & terra verbo domini fundata.

CAPVT VII.

De terræ rotunditate, & montium eleuatione in terra.

EST autem terra rotunda ac figuræ sphericæ, quemadmodum & physici & astronomi suis demonstrationibus & rationibus probant. Quod tamen si perfectam debeat habere veritatem, intelligendum videtur secundum suam naturalem conditionem, non secundum eum situm in quo nunc est, propter hominum vtilitatem. Congruebat nanque viuentium vtilitati, & præcipue hominis (propter quem omnia facta sunt) quasdam terræ partes esse sublimiores, alias verò depressiores & humiliores. Sic enim propter diuersas complexiones diuersarum partium terræ, diuersitates mineralium & terræ nascentium, atque animalium nobis conferũtur. Nam in huiusmodi quidem locis optima sunt pascua, in eiusmodi vina optima matureſcunt. In alijs verò, frumẽta pinguia & plena, in alijs fructus optimi nascũtur. In alijs autem locis generãtur mineralia, alibi specierum aromaticarũ multa copia, alibi ligna pretiosa & salutares herbæ, bestiæq; mirabiles gignuntur. In alijs locis, aliæ generantur diuersitates rerũ quàm plurimæ. Sic igitur in qualibet terræ plaga, secundum quod per montes & valles vãrie dispositæ est, varia vegetatiua atq; animalia progignũtur. Et quædam quidem in vallibus fœlicius nascuntur, quæ non ita fœliciter aut omnino non in mõtibus progignerentur, vbi nimius esset caloris ardor è cõtrario, alia in montibus fœlicissime gignũtur, quæ minime in vallibus, propter solis defectũ aut aliam quãlibet causam. Voluit ergo optimus ille & perfectissimus naturæ artifex creator & gubernator, temporũ atque regionũ vicissitudines alternare, vt omni ex parte sufficiens esset hominum prouisio, abundantissimamq; illi præberet diuersorum bonorum copiam, eorum quæ humanis vsibus poterant deseruire, vt illi quem tam magnifice condidit, munificentissime etiam in cunctis faceret esse prouisum: paritérq; vt ex tot rerum optimarum diuersitatibus, ipsius infinitã sapientiam amplius demiraremur, quam in vniformi opere nõ ita perfecte neque ita plene potuissemus conspicere.

Quare deus in terra montes & valles constituit.

Itaq; propter istam terræ inæqualitatem, manifestum est

terrã ſecundum eum ſtatũ in quo nunc eſt non eſſe omnino rotundam, ſi punctaliter loquamur. Verumtamen ſi craſſo modo loqui volumus, clarum eſt, quod montiũ iſta eleuatio, & vallium depreſsio nihil obſtabit, quo minus rotunda terra dicatur. Nã eleuationes eiuſmodi atq; depreſsiones, compa-
Terræ magnitudo. ratione facta ad totam terrã, quaſi nullius ſunt æſtimationis & inſenſibiles. Vnde ſi quis in aere plurimum eleuatus eſſet, videretq; terrã ex alto, penitus rotundam eam iudicaret, nec impediret eius iudicium montium eleuatio, qui in compara-
tione ad totũ terræ globum quaſi nihil ſunt. Nam terra ſecũ-
dum totum ſuum ambitũ (authoritate Ambroſij Macrobij,
Theodoſij. & Ariſthenis, Philoſophorũ) definitur cõtinere
252000. ſtadia ducẽtia millia & quinquaginta millia & duo milia, hoc
eſt miliarium Romanorum vnum & triginta milia, & quin-
180000, genta: quanquã à præcedentibus differt Ptolemæus, qui terræ
ambitum cõtinere dicit tantum centum milia & octoginta
milia ſtadiorum. Vtraque autem quantitas ſecundum ſuperfi
ciem ſumpta, profecto magna eſt valde, vt merito montium
quorumcunq; eleuatio quaſi pro nihilo veniat cõputanda.

In cõſummatione autem ſeculi, vbi deſierit terra miniſte-
rium præbere mortalibus, veriſimile eſt eam ad perfectã æ-
qualitatem redigendam, quando etiã (vt ſupra dixímus) cre-
ditur aquis iterum cooperienda, vti fuerat ab initio.

CAPVT VIII.

Vnde ordo in elementorum ſitu.

QVare autem ignis hunc locum habeat: vt proximus ſit cœlo lunari, & quamobrem ſecundum poſt hunc locũ habeat aer, deinde aqua, & cur infima ſit terra non difficul-
ter rationem reddet, qui ſapientiam primarij conditoris at-
tenderit. Nihil enim dubium eſt, quin præcipua ſit cauſa,
illius voluntas qui ea ſic condidit, & in ſuis qualitatibus ſe-
cundum maiorem & minorem nobilitatem diſpoſuit. Deus
Nota. enim infinita ſua ſapientia & bonitate, qua elementa for-
mauit, ſuiſque perfectionibus & qualitatibus perfecit at-
que diſtinxit, cognouit pariter & quis locus vnicuique eo-
rum ſecundum meritum perfectioris naturę debeatur. Eiuſ-
dem ſiquidem eſt, rebus iuxta perfectionis ſuę meritũ, & na
turæ congruitatem locũ dare, cuius eſt res in eſſentia conſti-
tuere, & ſuis perfectionibus abſoluere: quemadmodum im-

perator qui diuerſos ſtatus mobilium inſtituit, ſimul etiam lo-
cum eiuſdem iuxta ſuam dignitatem deſignat. Poſſumus ta-
men elementorũ qualitatibus intelligere & cognoſcere, quod
conuenienter & ſapienter ita ſint elementa diſpoſita, quomo
do diſpoſita creduntur atque videntur: quoniam decens eſt,
vt elementũ quod cœleſti naturæ propinquius, & ſecũdũ na tu
ræ nobilitatem vicinius eſt, locum quoque propinquiorẽ ac-
cipiat: quemadmodũ in aula regia, is qui dignitate regi pro-
ximus eſt, meretur quoque proximiorẽ illi locũ accipere. Vn-
de cum ignis, raritate, diaphaneitate, ſiue perſpicuitate, ſub
tilitate, celeritate (quæ etiam in cœleſtibus reperiuntur) cæte
ra omnia excellat. Poſt hũc autẽ proximus ſit aer, deinde a-
qua, merito quidẽ obtinebit ille locũ primũ, iſte ſecundũ, hæc
tertium. Terra verò vt penitus opaca, craſſa, cõpacta, minime
que trãſparẽs grauiſsima & immobilis, ac proinde a regio
ne cœleſti quã maxime diſtans, merito longiſsimo interuallo
à cœleſti regione diſtimitur. Verum hæc de elementis & eorũ
ſitu dicta ſufficiant. Nunc ad cœleſtem regionem contemplã
dam elementari perambulata, alacri animo tranſeamus.

CAPVT IX.

De differentia naturæ & regionis cœleſtis ab elementari.

PRimum quidem figuraliter deſcribere nos conuenit, quo modo hæc ætherea ſiue cœleſtis regio, à priori diſcrepet, & quamobrem non in vnam poſsint regionem compingi. Omnino enim magna quædam diſtinctio ſi neceſſe eſt, inter
has duas regiones, vt non in vnam valeant cõputari, quando-
quidem elementa, tametſi ab inuicem admodũ diuerſa, imò
prorſus contraria, in vnã tamẽ regionẽ deputãtur. Attendẽ
da eſt ergo cœleſtis naturæ ab elemẽtari multiplex differẽtia.
Nam elementa qualitates habent adinuicem contrarias, qua-
rum ratione adinuicem contrariantur, & pugnant adinui-
cem, ſuntque inuicem natæ ſeſe corrũpere, & frequenter cor-
rumpũt in ſuis partibus, vbi alterum alteri præualere cõtinge
rit. Vniuerſa quoque mixta corpora ingrediuntur ad compo-
ſitionẽ, ac ſuis his qualitatibus ad interitum cuncta quæ ex
ipſis cõponuntur, perducunt, nec omnino eorum aliquid ſi-
nunt eſſe perpetuũ. Natura autẽ cœleſtis ab huiuſmodi quali-
tatibus prorſus immunis aſt, nullam habens qualitatem eiuſ-

modi, sec undum quam adinuicem cœlestia possint agere & pati, neque adinuicem pugnant, neque vllius augmentationis aut diminutionis sunt susceptiua, nec generationis vel corruptionis, neque in se neque in suis partibus. Ab omni siquidem motu quo aliquid abiicitur à re, item & ab omni motu ad formam substantialem, est absoluta immunis & libera substantia cœlorum. Habet autem cœlestis natura sensibilem qualitatem vnam, longe nobilissimam, videlicet lucem, mediante qua agit in inferiora. Quæ cum nullam habeat qualitatem contrariam, nullius rei in ipsa actione susc ipere potest detrimentum. Sed nec ipsa rem vllam ad corruptionem deducit, quoniam nullam in rebus habet qualitatem contrariam. quin potius his omnibus inferioribus esse vitam, virtutem, & durationem instillat, quemadmodum manifesta nos docet experientia. Solis & cœlorum atque astrorum luce cuncta in terris produci, & melius habere, nullam verò ex eius actione fieri corruptionem. Vnde patet lucem esse multo meliorem qualitatem, quam sint illæ quas habet elementaris natura, nimirum vnius non absque alterius violenta corruptione generatiuæ. Neque cœlestis natura vllius mixti compositionem ingreditur, vt ex ipsius natura vllum mixtum participet, sed tantum suæ virtutis efficacia absens in mixtis operatur. Non enim potest cœlestis natura formam aliam suscipere, quemadmodum libro primo in tractatu de materia rerum naturalium latius declarauimus.

Arist. 2. de cœlo.

Lux nobilis qualitas

Differunt insuper & in motu. Nam omnia elementa motu recto secundum naturam, nata sunt moueri, ignis videlicet & aer sursum, terra autem & aqua deorsum, & cito finitur eorum motus naturalis. Nam mox vbi locum naturalē attingunt, quiescunt. Cœlū autem motu recto moueri non potest, neque sursum neque deorsum, neque motu laterali dextrorsum vel sinistrorsum, sed tātū motu circulari: quo etiā continuo & indeficiēter mouetur, neque vnquā à motu cessat, propter continuas rerum generationes & corruptiones saluandas, mouebiturque, donec perstabit huius seculi status is qui nunc est, ad hominis ministerium. Propter hanc autem tantam tamque euidentissimam & maximam diuersitatem inter naturam elementarem & cœlestem, Philosophi cœlum nominant quintam essentiam, hoc ipso significantes, non de

cœlū quintā essentiā dixerunt.

natura quatuor elementorum esse cælum, sed substantia & essentia ab elementis omnibus differrre, tametsi antiquorum quidā olim existimauerint cœlū esse de natura aeris, astra vero de natura ignis. Quorum errorem, naturales Philosophi qui illos subsequuti sunt, rationibus certiora edocti, manifestissimè confutauerunt, vt nemo iam sit qui huiusmodi positioni præbeat assensum.

CAPVT X.

Vnde habeant cœlestia corpora motum circularem & an naturaliter moueantur.

De causa vero efficiente motus cœlorum quæstio est, an ab aliquo principio intrinseco moueantur circulariter, quòd sit pars eorum, vtpote a forma sua substantiali, an potius ab extrinseco aliquo mouente, quod sua virtute cœleste corpus contingens, ipsum secundum voluat?

Ad hanc quæstionem verisimilior responsio est, motum circularem orbium cœlestium effectiue causari ab intelligentiis, vel mentibus beatis, quas philosophi dixerunt orbiū motores, diuinos, optima vita fruentes, nec tempore senectam aut aliam quamlibet inueterationem susc ipientes. Hos autē angelos nos appellamus, quos si (Paulo docente) cognouimus administratorios spiritus esse, in que ministerium mitti filiorum Dei, generis humani, nihil profecto mirum videbitur, si & horum ministerio volui dicamus cœlestes orbes ad vtilitatem filiorum hominum.

Heb. 1.

Quod si ita credimus habere (vt Aristoteles sensit, nec refutant orthodoxi) profecto multam gratiam & veneratione beatis illis mentibus debeamus, consequens est, quorum ministerio vitam hanc ducimus, & alimenta capimus & cuncta quæ secundum corpus sunt abundanter possidemus. Maximè autē primæ illi beatissimæ menti, motoribus istis præsidenti, vni primo ac summo enti, Deo superbenedicto, gratias agamus necesse est: qui tam magnificos ministros nobis non secundum animam tantum, verum etiam secundum vilissimam nostri partem (id est secundum corpus hoc corruptibile) assignauit. Aduertendum insuper est, quod hi motus licet ab eiusmodi motoribus extrinsecis fiant, non tamē sunt contra naturam cœlorum, neque ob mouens extrinsecū dici possunt violenter moueri. Nulla enim in cœlestibus

esse potest violentia, sed suauissimè ibi cuncta geri necesse est, vbi nulla potest esse corruptio: quoniam nullum violẽtum (vt Aristoteles author est) potest esse perpetuũ. Neque enim vllo modo forma cœlestis huic motui contranititur, sed suauissime se subdit intelligentiarum mouentium actioni, neque ad quietem conatur, donec omnipotentis Dei iussu post seculi consummationem, iubeatur stare tota cœlestis machina, posteaquam humanum genus super terram vltra vitam non deget, neque item aliquod aliorum mixtorum. Tũc enim superfluus foret motus cœlestium corporum, cum ad hoc potissimum moueantur, vt nobis suo moto ministrent, quemadmodum sanctus Dei Moyses, populum suum a cœlestium corporum cultura dehortans, ea asserit creata, in ministerium omnibus gentibus quæ sub cœlo sunt.

Deut. 4.

CAPVT XI.

Cœlestia corpora an dici debeant animata.

DVbitatum est autem ab antiquis de cœlestibus corporibus. Vtrum animata sint, an inanimata. Fuerunt qui ea animata esse senserunt, putantes ipsorum motum ab anima effectiue procedere. Sed veritas contrarium habet, esse videlicet corpora inanimata, neque vegetatiuam, neque sensitiuã neque rationalem virtutem habentia. Nam & si moueãtur ab agentibus intellectualibus & liberis, id est, ab intelligentiis motricibus, non tamen hinc consequitur quod corpora sint animata. Siquidem motrices illæ intelligentiæ non sic coniunguntur cœlestibus orbibus, quomodo anima coniungitur corpori, per formalem Vnionem & substantialem informationem. Repugnat enim hoc angelicæ intellectuali naturæ, cum materia rem vnam componere.

Differunt angelus & anima hominis:

Est enim hęc inter animam rationalem & intelligentiam siue angelicam naturam differentia, quod anima corpori est vnibilis, & cum eo rem vnam nata componere: quamuis etiã separatim possit subsistere: natura autem angelica, nequaquã materiæ aut corpori est vnibilis, sed solũ per se nata est subsistere. Coniungitur autem intelligentia motrix orbi moto, ipsumque tangit secundum virtutem. vt propter hoc nequaquam dici debeant cœlestia corpora animata, nihilo certè magis quam nauis dici possit animata, eo quod in se habeat rectorem nautam.

CAPVT XII.

De diuisione regionis cœlestis secundum suos orbe

SVpereſt nunc videre, an quomodo elementaris regio in plures partes diuersas ab inuicem secta est, ita & hæc cœlestis sit in plura corpora diuidenda, an forte non plura corpora, sed vnicum debeat corpus censeri. Et primum quidem illud experientia certissima monstrat, satisq; quantũ ad hanc partẽ inter philosophos naturales & diuinos Theologos cõuenit, debere fieri diuisionẽ cœlestis regionis in plures orbes. Verum in numero nõ omnes conueniunt. Fuerũt enim naturales philosophi priores, qui tãtũ octo sphæras putabãt cœlestem machinã continere, septẽ videlicet orbes planetarum & sphęram stellarum fixarum: atq; hi sphæram octauam putabãt esse primũ mobile, id est, primum orbem mobilem.

Prima opinio de numero cœlorum,

Verum qui post hos tempore subsequuti sunt, experientia simul & ratione conuicti, cœlũ vnum cõpulsi sunt superaddere: eo quod sphærã octauã duobus motibus comperissent moueri, ex motu stellarum fixarũ quę sunt in ea. Præter enim motũ ab oriente in occidentem (de quo post dicetur) ex stellis fixis experiẽtia certa edocti, cõcluserunt ipsum etiã ab occidente ad orientem tendere, motu alio. Ex quo firma ratione recte cõcluserũt nõ posse hoc esse mobile primum, quod per se duobus motibus deprehenderetur moueri, sed debere alterum esse prius à quo motũ vnum per cõmunicationem acciperet, vt esset alter sibi proprius. Itaq; hi nonam sphæram adiicientes, in nouem orbes diuiserunt cœlestem regionem ipsamq; sphærã nonam, primum mobile esse dixerunt, octauã vero, secundũ. Huius sententię fuerunt astronomi celebres, Ptolemæus, Thebitius & Alphraganus. Post hos vero perseuerante in fortunatis ingenijs studio inquisitionis, & ad priorum experientiam posterorum accedente industria simul atque diligentia, compertum est experientia pariter & ratione vltra nonã sphæram præter prædictas nouem, aliam esse ponendam. Considerauerunt enim in firmamento motum aliũ (quem trepidationis nominant, vel accessus & recessus) præter duos prædictos. Vnde, cũ nec duos motus diuersos à seipso habere posset, neq; simul duos ab alio superiori

Secunda opinio.

Nonum cœlum ratione inuentũ.

Tertia & probabilior opinio.

Motus trepidationis,

(alioqui & ille haberet duos sibi proprios, quod primo mobili nequaquam cõuenit, cũ vnico debeat simplicissimo motu moueri) ratiocinatione collegerunt debere supra firmamentum duas esse alias mobiles sphæras, à quibus per participationem vi raptus duos motus acciperet, tertium vero haberet sibi proprium. Itaq; hi decimam sphæram vocãt primum mobile, nonã autem vocãt mobile secundũ. Huius sententiæ cõplures fuerunt ex recentioribus & insignibus astronomis, Alphonsus rex Hispanię, Ioãnes liguerius: Georgius Purbachius, Ioannes regij montis, & alij plures prædictorũ sententiam insequentes & approbantes. Et hactenus quidem quæ ratio dare potuit & hominis ingenium inquirere audiuimus. Supereſt vero, vt quod potissimum est & fides docuit non taceamus.

CAPVT XIII.

De cœlo empyreo, & de cœlo crystallino siue aqueo, ac primo mobili.

PRæter autẽ prædictas sphæras motu locali mobiles, Fides catholica & diuini Theologi docent aliud superius esse omnis motus localis expers, perpetuo quiescẽs ab omni motu locali, quod ab initio creatum est plenum inæstimabilibus milibus intelligentiarũ & spirituũ beatorum, qui simul cum illo & in illo creati sunt tanquam in loco sibi deputato, quemadmodũ mixta corpora suis quęq; locis in his inferioribus solent generari, vt in aquis pisces, in aere aues, super terrã animalia cętera & plãtę, intra terram mineralia, & huiusmodi. Hoc cœlũ mole immensum & inæstimabili luce ac supra humanã mentem diuina claritate fulgidũ (propter quod & empyreũ nominatur, id est igneũ, nõ quidem à proprietate & natura ignis, sed à splendore nimio & gloriosissimo fulgore) sedes est destinata ante constitutionem mundi, & velut aula regalis solij pręordinata ab initio, omnibus qui regnaturi sunt in conspectu dei & agni. Cuius lucem licet sic clarissimã & limpidissimã, nequeũt corporales nostri oculi conspicere, quemadmodũ non est potens noctua cernere lumen solis. Nequ; lumen vllum extra se, beatissima & iucundissima lux ista diffundit. Non enim sunt alij cœlorũ

Cœlum empyreum.

orbes, tam præclarissimæ lucis & diuini fulgoris capaces, multominus elementa aut cætera corporalia. Attamen de actione huius cœli dubitant nonnulli, quibusdam dicẽtibus quod nullam omnino habeat actionem in inferiores sphæras, aut alia subiecta: nec esse propter rerum naturaliũ dispositionem aut gubernationem conditum, sed tantum in gaudium & præmium beatorum. Indecens hi arbitrantur vt tam gloriosissima dei mansio creaturis adhuc corruptibilibus deseruiat: nec putant ipsam pertinere ad ordinem mundi corporalis. Alij vero partem affirmatiuam præeligunt, dicentes ipsum sua solidissima quiete, & quietissima virtute, stabilitatem, permanentiã & fixionem rebus inferioribus infundere. Res enim inferiores, propter aliorũ cœlorum citissimos motus (vt ipsi aiunt) contiruo defluerent, nisi huius primi cœli quiete, aliquo modo in suo esse seruarẽtur stabiles. Nos vero quia certum nihil de hoc habere possimus, eo quod fide certum est, contenti, de præparato nobis tam amplissimo tam supremo, tamq; iucundissimo habitaculo inæstimabili gaudio gestientes, totis potius affectibus ad illud suspirare, ad illud tendere studeamus, quãm multis inutilibus disceptationibus aut cogitationibns inanibus de eo multa disseramus. Pluris enim esse debet nobis Christianis hominibus huius vnius cœli ex fide simplex notitia, q̃ cæterorum omniũ & cunctorum quæ in eis sunt astrorum ac motuum exactissima comprehensio. Ad huius cœli nimis desiderabilem ornatum atque pulchritudinem sæpe nos conuenit, donec peregrinamur in hoc corpore, deuotis affectionibus suspirare, & quasi violenter nostræ mentis oculos infirmos atque tenebrosos conuertere: in quo beata fruuntur luce angeli conciues nostri, pariter & eorum spiritus, qui in domino hinc discedentes, priores illuc sunt ingressi. Nos quoque iuxta manum dei super nos bonam eodem peruenire post paululum confidimus, ipsius gratia adiuti, qui nobis antequam nati essemus tam glorioſum ab initio præparauit æternæ mansionis habitaculum.

Sunt igitur coeli vndecim hoc ordine siti, coelũ empyreum, primum mobile, coelum crystallinum,

firmamentum, coelum Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij & Lunæ.

Post hoc igitur primum & nobilissimum corpus sequitur decimum cœlum, primum mobile: quod motu supra quam cogitari potest velocissimo, lege perpetua, quotidie ab oriente, in occidentem per meridiem, viginti quatuor horarum tempore decurrens, velocissimo hoc raptu suo omnes inferiores cœlos secum rapit, eodémque temporis spatio perfectam circulationem complere facit. Nec præter hunc motum

Cœlum nonum.

alium aliquem habet. Sub hoc cœlo est nonum, quod nunc aqueum nunc crystallinum à sanctis & Diuinis Theologis nominatur: non quidem à proprietate vel natura aquę, quasi illic verę aquæ sint elementares, sed ab omnimoda diaphaneitate siue perspicuitate, eo quod nullam omnino habeat stellam. Forsitan & ob hoc quod sit in modũ aquę, siue crystalli effectu frigidissimum & frigiditatis maxime effectiuũ, quæ est aquæ qualitas prædominans. In cuius confirmationem facit, quod quidam supra firmamentum veras aquas ponendas senserunt, ad motus & caloris illius temperamentum atque refrigerationem: ne videlicet ex nimia talis motus velocitate, ignis generaretur, qui omnia hęc inferiora cõsumeret. Quæ sententia licet non admodum probabilis videatur, in hoc tamen nobiscũ facit, quod aquas istas (quaslescunque tandem sint) ad contemperationem nimij caloris supra firmamentum positas dicit. Quod & nos secundum veri similitudinem asserimus: non sic quidem vt à cœlis prohibeatur calor, quasi cœlestibus corporibus sit exustionis periculum (quæ incorruptibilia sunt & caliditatis non susceptiua, etiam si mille admouerentur ignes) sed propter nimium calorem cæterorum astrorum, atque etiam eius qui ex nimia velocitate motus oriri posset in regione elementari, in his inferioribus contemperandum. Aiunt enim quidam huius cœli tantam esse frigiditatem, vt his inferioribus prorsus esset intolerabilis, si non solis & aliorum astrorum calore temperaretur. Hæ sunt aquæ, de quibus in scriptura

Gene. 1.

sacra frequens est mentio, nominatim in principio Geneseos dicente domino, Fiat firmamentum in medio aquarum, &

diuidat aquas ab aquis: & subditur, Factum est firmamentum in medio aquarum, & diuisit aquas quæ erant supra firmamentum ab aquis quæ erant sub firmamento. Ité in lib. Psalmorum, Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ quę super cœlo sunt laudent nomen domini. Et in libro Danielis, ad laudem dei omnem creaturam exhortantes, pueri Hebræi canũt, dicentes, Benedicite aquæ omnes quæ super coelos sunt domino. Hæc autem sphæra cœli crystallini siue aquei, secundũ opinionem Ptolemei atque Alphragani, ponentium vnam tãtum sphæram natturalem supra firmamentum, primum mobile diceretur. Veritas tamen magis credibile facit, eam esse secundum mobile.

Psal. 148.

Daniel. 3.

CAPVT XIIII.

De *firmamento & orbibus planetarum.*

HVic autem cœlo aqueo, contiguum est coelum ordine octauum: quod à stellis miræ magnitudinis & multitudinis stellarum appropriato nomine dicitur: in scriptura autẽ firmamentũ vocatur, vel propterea quod verbo domini in diuisionem positum sit aquarum superiorum ab aquis inferioribus. Vel quia in eo innumerabilis est stellarum multitudo firmata. Sunt enim in hac sphæra omnes stellæ fixæ de quibus dicemus posterius. Hanc vero sphæram octauam sequuntur.

Orbes septẽ planetarũ.

Septem sphæræ septem planetarum, hoc ordine, sphæra Saturni, sphæra Iouis, sphæra Martis, sphæra Solis, sphæra Veneris. sphæra Mercurij, vltima Lunæ.

Istarum autem sphærarum, superior quælibet ambit & otb iculariter circundat inferiorem: sintque aliæ aliis maiò res sec undum quod plus vel minus accedunt firmamento, vel ab eo recedunt. Vnde sphæra lunæ omnium infima, omnibus etia m minor est: contra, sphæra Saturni, omnium est maxima vt pote firmamento proxima & contigua.

Q ua in re co nsiderari facile potest inæstimabilis mũdialis machinæ mag nitudo. Nam quemadmodum diximus in elementari regione superi orem sphæram excdeere inferiorẽ

proportione deculpa, ita etiam in hac regione, continuato semper augmento, superior longe quantitate superexcedit inferiorem proximam. Vnde necesse est multo maximam & immensissimam esse molem illam vltimam empyrei cœli, & magnitudine incomprehensibilem. Insuper velocissimus ille motus decimi cœli, hinc empyreo proximi, quo in viginti quatuor horarum spatio tantum percurrit, imo peruolat, imò plusquam peruolat circulum, merito debet consideranti bus nobis eius magnitudinem stupori esse, & miraculũ multo maximum. Sciendum autem est, firmamenti nomine interdum signari totam aggregationẽ octo sphærarum, septẽ videlicet planetarum & stellarum fixarum. Debere tamen poni hanc sphærarum diuisionem, & non posse in vnum corpus censeri, manifestissimis experientiis & rationibus certissimis ab Astronomis probatur.

CAPVT XV.

De *duplici motu orbium coelestium, qui sunt post primum mobile.*

ONnes cœlestes sphęræ quæ primũm mobile sequuntur, duplici motu mouentur. Priore quidem alieno, id est, ex raptu primi mobilis, quod (vt supra diximus) velocissimo suo motu in viginti quatuor horarum spatio sese citissimè circuoluens, & totum suum cursum complens, omnes orbes intra se contentos secum circunuoluit, vt in eodem spatio ẽporis totum suum cursum infallibili lege perficiant, id quod in sole manifestissima experientia ad oculum conspicimus, quid hoc motu raptus diem nobis à die distinguit. Singulæ enim eius reuolutiones secundum motum istum primi mobilis factæ, singulos nobis dies efficiunt. Et quidem si totũ accipiamus tempus reuolutionis, id est, tam illud quod supra nostrũ hemisphærium, quam illud quod supra alterum oppositum voluitur, dies naturalis dicitur, constatque viginti quatuor horis. Verum si accipiamus tempus tantum illud, quo supra nostrum hemisphærium apparet & mouetur, dies dicitur artificialis. Et hi dies, non æqualis sunt longitudinis. Nã hyeme breuiores sunt dies, & æstate longiores, iuxta quod supra nostrum hemysphærium sol magis eleuatur,

Quis dies naturalis.

Quis artificialis dies

Fit autem motus iste primi mobilis super duobus polis mundi directè sibi in cœlo oppositis, quorum alter articus nominatur, semper nobis apparens: alter antarcticus, nunquam, sed nostris antipodibus perpetuo est præsens, quibus ecõtrario noster polus arcticus semper abest. A polo enim arctico qui in summo cœli ponitur, vsque ad polum antarcticum, qui directè ex parte altera est oppositus, linea recta per medium mundi ducta intelligitur, quam axem mundi appellant, eo quod circa ipsum fiat motus iste primi mobilis, & cũ eo omnium sphærarum coelestium, quemadmodum rota voluitur circa axem. Fit autem motus iste ab oriente, per meridiem in occidentem: atque ita deinde per septẽtrionem redit ad orientem. Præter hunc vero motum primi mobilis, inferiores sphæręomnes sibi proprium habent, quo mouentur contranitendo ab occidente, per meridiem, in oriẽtem: atque hinc redeunt per septentrionem in orientem. Hic autem motus non circa eundem axem mundi fit, nec super iisdem polis, sed supe rduobus polis aliis, distantibus à prędictis per viginti tres gradus & triginta tria minita, aut secundum alios vnum & quinquaginta. A quorum polorum vno ad alterum, intelligitur transire per medium mundi linea rectissima, quę dicitur axis huius, motus, & nominatur axis zodiaci, quemadmodum prior dicitur axis mundi.

Duo poli mundi.

Quid axis mundi.

Motui raptus motus aduersus.

CAPVT XVI.

Quomodo intelligi debent in coelis motus oppositi, & motus raptus.

POssetautem ex iam dictis secum aliquis hęsitare, quonam pacto possint esse motus oppositi in coelestibus, cum motu circulari (vt ait Aristoteles) nullus sit motus contrarius. Rursum quomodo fieri possit, vt rapiat primum mobile alias sphæras, cum in cœlestibus nulla possit esse violentia. Vt enim non est ibi contrarietas, ita nec violentia admitti potest. Ad hanc autem obiectionem remouendam, necesse est sane intelligere quæ prius dicta sunt. Non enim motus isti proprie oppositi sunt adinuicem quasi contrarij. (Contraria enim in eodem simul esse non possunt) sed quia diuerso modo fiunt vnus, videlicet ab oriente in occidentẽ, alius ab occidente in orientem, quamuis non per eundẽ circulum, aliquo modo videntur oppositi.

In super quod de raptu dicitur, debet absque violentia intelligi: quemadmodum cum inferiores sphæras dicimus cõtraniti, absque resistentia aut rebellione accipimus. Nulla enim in cœlestibus est contrarietas, nulla fatigatio, nulla violentia, nulla mobilium resistentia. Non enim aliud sibi vult quod dicimus inferiores orbes rapi, quam quod simul ad motum primi mobilis per accidens moueantur, quemadmodum nauta mouetur vectus à naui, & aqua ad motum vasis in quo continetur: vt sic ratione continentiæ, inferiores simul cũ superiore moueantur. Et quod de contranitentia inferiorum dicitur, nihil aliud sibi vult, quam ea diuerso motu proptio moueri, ab alia parte ad partem oppositam.

CAPVT XVII.

Quanto tempore vnusquisque cœlestium orbium suum proprium motum compleat, & obiter de anno bissextili.

OMnes igitur sphæræ cœlestes huic motui primi mobilis (vt iam dictum est) contranituntur, secundum circulum obliquum (qui & zodiacus dicitur) cursum suum pẽragentes. Verum illud notandum est, quod quanto propinquiores sunt primo mobili secundum situm, tanto suum motum proprium tardius perficiunt: quanto autem distantiores, tanto citius suos cursus absoluunt. Vnde cœlum crystallinum omnium tardissimè moueri necesse est, contra verò lunæ orbis circungyratur omnium velocissimè. Quod vt fiat euidentius, volumus, iuxta Astronomorum traditionem, singularum sphærarum motibus suum tempus subiicere.

Cœlũ crystallinum. 49000.

Dicunt autem nonam sphæram cursum suum proprium perficere in quadraginta nouem milibus annorum. & in ducentis annis gradum vnum zodiaci, cum dimidio percurrere. Atque hanc sphæram dicunt hoc suo motu rapere secum octauam sphæram, & omnes auges planetarum, præterquã lunę, de quibus tamen nihil nunc particularius dicemus. Octaua autẽ sphæra proprio suo motu (scilicet trepidationis, vel accessus & recessus) in septẽ milibus annorum circulum parũ describit, pertrãsitque gradum vnũ zodiaci: quãdoque quidẽ in centũ annis, quãdoque in sexaginta, quãdoq; vero in alio interuallo. Saturni sphæra, reuolutionẽ integrã annorũ ferè triginta spatio perficit: Iouis in duodecim: Martis, ferè in duobus. Sol reuolutionem integrã facit in trecẽtis sexaginta quinque diebus, & ferè sex horis. Venus & Mercurius, ferè similiter. Nouissima autem Luna, in viginti septẽ diebus & octo horis suum circulum complet. Vbi illud obiter sese offert declarãdũ, quid sit quòd quartus quilibet annus vno die abũdat, vt videlicet quartus quisque annus iuxta nostrã cõputationẽ habeat dies trecentos sexaginta sex, qui & bissextilis nuncupatur. Cũ enim sex horæ quater sumptæ diem faciant naturalem, hoc est, viginti quatuor horarum, idcirco quolibet quadriennio ad dies consuetos 365. (quibus cõstat annus communis) adiicitur prædictæ cõputationi dies vnus, vt seruetur temporum ordo, & festiuitatum vniformitas. Qui annus vno die (secundum huiusmodi computationem ex triũ præcedentium senarijs & suo residuo sex horarum conflato) abundans bissextilis nuncupatur: eo quod cõtineat 366. dies, vbi bis senarius ponitur, à quo numero senario bis ita replicato, bissextilem eum appellauerunt.

CAPVT XVIII.

De natura & conditionibus astrorum.

DE natura autem astrorum, dubitatum fuit ab antiquis, fueruntq; super hac re diuersæ diuersorum sententiæ. Quidam enim antiquorum dixerunt, ea esse corpora animata, propter alimentum suo motu terram perambulantia, vt scilicet humidum aqueum ad se velut in potum & siccum terrestro in cibum attraherent, quemadmodum videmus progressiuo motu animalia quæ apud nos sunt moueri ad quærendũ alimenta, cibum atque potum. Sed hoc figmentum planè poeticum est, neque quicquam habet verisimilitudinis. Alij verò, de quorum numero fuit Empedocles, astra dixerunt esse de natura ignis, orbes autem cœlorum de natura aquæ. Sed neque hic veritatem assequutus est, vt ex præcedentibus manifeste patet. Quæ autem veritatem tenent asserunt astra esse eiusdem naturæ & speciei cum suis orbibus in quibus mouentur, neque à reliquis partibus suorum orbium essentialiter differre, sed tantum secundum accidentia.

Est enim astrum (vt ait Aristoteles) densior pars sui orbis. *Arist. primo Meteor.*

Sicut enim in ligno contingit aliquã partẽ esse admodum

denſam & compactã prę reliquis partibus, quem nodum vocamus, eſt tamen eiuſdẽ naturę cũ alijs: ſic & in orbibus cœleſtibus aſtra partes ſunt denſiores atque compactiores reliquis, eiuſdẽ autẽ ſunt naturę & ſpeciei. Sunt enim cœli corpora homogenia, quorũ ſingulæ partes & cũ toto & cũ ſeinuicem eiuſdem ſunt naturę, licet ſecũdum accidentia poſſint differre. Ex hac verò denſitate conſequitur & alia differẽtia accidentalis, qua differunt aſtra à partibus reliquis ſuorum orbiũ. Nam ex hac ſua denſitate, compactione, & vt ita dicam, opacitate habent, vt poſſint radios ſolares ad ſe emiſſos reflectere, ſicque effuſum ad ſe ſolare lumen refundere quod aliæ partes, vtpote rariores & nimium perſpicuæ non poſſunt: quoniã ob raritatem penetrantur à lumine, nec eſt refuſio accepti luminis. Idcirco enim ipſi cœli quantum ad omnes partes in ſe quidem luminoſi ſunt, lumine eorũ ſubſtantiam penetrante, non ſunt tamen niſi ratione aſtrorum lucidi, ſic vt lumen poſſint de ſeſe refundere. Alioqui neque nox neque tenebræ haberent locum, tanto corpore lumen ſuum perpetuo ſpargente. Æque enim per diem atq; per noctem Sol orbes cœleſtes illuminat, neque poteſt interpoſitio terræ (quę non niſi punctulus eſt cœlo comparata) eorũ illuminationem impedire. Ex quibus patet, quod nomen aſtri ſiue ſtellæ duo includit, nempe partem cœli denſiorem, & lucem ſolarem ab ea repercuſſam.

CAPVT XIX.

De *differentia inter planetas, & ſtellas fixas.*

INter autem ſtellas, quædam dicuntur fixæ, quædam erraticæ, quas Græco vocabulo planetas vocant. Siquidem πλανὴ Græcis ſonat errorem. Vnde planetes, quod ſignificat vagum ſiue erroneum. Fixæ dicuntur omnes quæ ſunt in octaua ſphæra, id eſt, in firmamento: idque ob hoc, quod ſemper videantur ad inuicem ſeruare eundem ſitum, & æquali diſtantia ab inuicem diſtare. Et hæ in numero ſunt indeterminato, qui ſoli eſt Deo creatori cognitus iuxta illud Pſalmiſtæ, Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. Pſ. 146. Planetæ autem ſiue erraticæ ſtellæ tantum ſeptem ſunt, quæ ob hoc dicuntur erraticæ quod non ſemper eundem ad inuicem conſpiciantur habere ſitum, neque æquali diſtantia ab inuicem diſtare: ſed nunc

quidem ad inuicem appropinquant, nunc verò ab inuicem elongantur, nunc hæc illã antecedit, nunc ſubſequitur nunc in eleuatione eſt ad illã, nunc in depreſsione, ſecundũ quod ſuorum orbium varia celeritate vel tarditate varie feruntur. Dignoſcuntur autem ſtellæ fixæ à planetis ex ſcintillatione. *Soli planetæ non ſcintillant.* Omnes enim ſtellæ fixæ ſcintillare nobis videntur, quod alij quidẽ propter longinquam nimis diſtãtiam & viſus noſtri debilitatẽ euenire putauerunt, alij propter motũ coeli continuo angulos irradiationis variantẽ, ſed verior ratio ex perſpectiua petenda foret. Soli autẽ planetæ non ſcintillant, niſi fortè Saturnus interdũ, quem dicunt flante Borea nonnihil ſcintillare. Illud autem certum eſt, ſcintillationem talẽ nihil eſſe in ipſo aſtro ſcintillante, ſed tantum ſecundum proſpectum & apparentiam euenire.

CAPVT XX.

De *ordine ſeptem planetarum ad inuicem.*

SEptem autem planetarum hic eſt ordo. Luna infima deinde Mercurius, ſuccedit Venus, proximus Sol, ſupra hunc Mars, proximus Iupiter, ſupremus omnium Saturnus. Hunc autem planetarum ordinem ſic probant, quoniã aſtrum illud per cuius interiectionem cõtingit alterum occultari, neceſſe eſt eſſe inferius eo quod occultatur. Vnde cum per obiectionem ſiue interpoſitionem Lunæ experientia nobis apertiſſime mõſtret Mercurium abſcondi, cum inter noſtrum aſpectum & aſtrum ipſum media ſeſe obiecerit, conſequitur neceſſario Lunã eſſe Mercurio inferiorem. Ita & de omnibus alijs planetis, quantum ad Lunam demonſtrari poteſt. Nam planetas omnes aſcondit & occultat, propter quod omnium infima comprobatur. Sic de Mercurio probat experientia, quod Venere ſit inferior, & de Marte quod ſubſit Ioui, de Ioue quoque quòd ſuperiorem habeat Saturnum. Item quod omnes ſtellæ fixæ omnibus his planetis ſunt ſuperiores, quia à quolibet planetarum poſſunt abſcondi, ipſæ vero nullum planetarum occultare poſſunt. De ſole tamen talis experientia nulla eſt, quod abſcondatur niſi à Luna: propter quam rationem quidam exiſtimauerunt Solem eſſe proximum Lunæ in ſecundo orbe cœleſti. Quod tamen rationibus alijs manifeſte probatur non habere veritatem, ſed Solem eſſe in loco quarto. *Ordo planetarum probatur.*

CAPVT XXI.

De planetarum distinctione.

AD cognoscendum autem hos planetas quidam diuersorum colorum similitudinem illis tribuunt, quanquam iuxta veritatem colores non habeant, sed tantum iuxta lucis varię sesemonstrantis similitudinem, varias colorum apparentias participant. Vnde Saturnum dicunt esse coloris plúbei, Iouem stannei, Martem calibei, Solem aurei, Veneré electri, Mercuriũ argenti viui, Lunã verò argentei, atq; horũ singuli productiui dicuntur quorũ colorem referunt. Assignant quoq; varias horum planetarũ virtutes & differentias. Saturnus enim frigidus est & siccus, planeta masculinus malus siue maleuolus atq; nociuus. Quod sicut & in alijs sequẽtibus secundum effectum debet intelligi. Ipso dominante si fœtus nascitur, aut moritur, aut debilitatus misere viuit. Propterquod, pueros dicunt octauo mense de matris vtero prodeuntes, vel non superuiuere, vel secundum corpus miseros viuere cũ tamen septimo mense & nono si prodeant, fœliciter viuãt. Dicunt enim Saturnum in mense octauo dominari fœtui, qui mortis est author. Iouẽ verò in mense nono, qui est principiũ & largitor vitę. Ob hanc verò pessimã nocendi & mortificandi conditionem, depingi solet Saturnus falcem manu tenens, quasi viuentia quantum in se est demetens qualitate noxia, id est, mortificans. Iupiter proximus, eius malitiã cohibet, & conditiones malas temperat. Est enim ipse in qualitatibus optime temperatus, calidus scilicet & humidus, id est caliditatem & humiditatem efficiens. Vnde patet, ipsum complexionis aereæ siue sanguineæ in hominibus esse effectiuum: Est enim sanguis calidus & humidus. Vnde propter suam naturalem bonitatem, principium vitę meretur vocari. Quam ob causam depingitur sceptrum manu tenens, quasi vitę imperator atq; largitor. Quanquam autem ex se clarus est, & in modum lactis candidus, attamen cum ascenderit in circulum gelidi illius & sicci Saturni, pallorem quendam cõtrahit, quo modo nonnunquam etiam insigniter bonus aliquam suæ virtutis maculam cernitur ex mali hominis commertio contrahere. Ipsum tamen suæ claritatis faciens participem, ex sese omnino pallidum, vtcunque facit clarum: vt

Saturni qualitas.

Iupiter.

quemadmodum effectui malitiam sua bonitate temperat, ita & coloris obscuritatem sua claritate lætificet: quomodo etiã pessimos videmus interdum ex bonorum consortio, & minimum speciem aliquam virtutis induere, vt sic manifesta sit in naturalibus similitudo, cum iis quæ cernuntur in moralibus. ♌ Mars calidus est & siccus, & idcirco nõxius: nõ æquè tamen atque Saturnus, qui neutrã habet qualitatem vitæ conducentem, & frigidus existens & siccus. Hic vero Mars licet siccitatem habeat vitæ inimicã, habet tamen caliditatem non inutilem, operaturque complexionem cholericam, id est, calidam & siccam, vt Saturnus melancholiam, id est siccam & frigidam. Iupiter verò inter prædictos duos medius, duas qualitates optimas caliditatem & humiditatem temperatas, possidet. Attende autem, obsecro te lector, miram Dei in operibus cunctis sapientiam. Vides primum quemadmodum omnium planetarum maxime noxius & inimicus Vitæ summus vel primus, longissime sit a viuentium regione ablegatus, & a terris (vbi viuentium locus est) elongatissimus. Quomodo enim viuentia (si terræ proximus esset ille aduersissimus eorum hostis) aduersus tantæ crudelitatis impetum sese tuerentur? quomodo non ante debitam periodum compellerentur acutissima illius falce ante tempus occumbere? Nunc verò Dei prouidissima sapientia lõge proscriptus est, vt non quantum ipsius cupit natura, propter intermedios meliores planetas, gelidus ille falcatus nocere possit. Martem vero quãquam noxium, tamen minus noxium, propius ad terras eadem prouidissima sapientia, & sapientissima prouidentia permisit accedere. In horum autem duorum medio Iouẽ quomodo sapientissime collocauit? videlicet totum bonum inter duos malos, vt vtriusque sua bonitate vinceret malitiã. Vide quomodo omnia numero, pondere, & mensura deus sapientissimus prouidissima consideratione disposuit. Quod ergo Saturnus primum & summum locum obtinet, non ex naturæ præstantis bonitate, neque conditionis dignitate procedit, sed tanquam hostis longè proscriptus, ob malitiã potius arcetur a viuentibus, estque loco nouissimo cõstitutus. ♌ Rursum considera, quod eum qui magis noxius est, nẽpe Saturnum a superiori parte Iupiter habet: eum vero qui minus, ab inferiori. Superioris enim virtus, ne transeat, subiecti

Martis qualitas.

Attende mirum in planetis ordinẽ

inferioris obstaculo facilius videtur prohiberi, quam inferioris possit virtus de super emissa virtute contineri. Nam loco superior planeta, non potest suum influxum in terras mittere, nisi transeat per orbem intermedij.

CAPVT XXII.

De *venere, Mercurio, & Luna.*

VEnus est planeta fœmineus, Martis malitiam & ignitum feruorem sua fœminea qualitate temperans: quomodo virilis ira muliebri solet benignitate placari. Semper comitatur Solem: sed cum præcedit dicitur lucifer, quando vero sequitur, hesperus siue vesper appellatur. Estque nuncius Solis vel aduenientis, dum lucifer est: vel abeuntis, dum hesperus. Vnde illud Vergilianum.

Vergili. Ite domum saturæ venit hesperus, ite capellæ, habet quasi colorem candentem & fulgentem electro similem, estque lux eius præ lucæ omnium astrorum limpidissima atque gratissima, & oculorum aspectui placidissima. Vnde factum est vt primus ille angelorum (qui cæteris omnibus sublimitate & gloria conditionis præeminebat) lucifer vocaretur: eo quod fulgore atque claritate cæteros spiritus præcelleret, quo modo lucifer suæ lucis refulgentia & limpiditate, cætera antecellit sydera. Vnde apud Esaiam sub figura regis Babylonis de illo dicitur, Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris? Et beatus Petrus Euãgelicam doctrinam omnibus aliis doctrinis præeminentem, appellat luciferũ, dicens de sermone prophetico. Cui benefacitis attendentes, tãquam lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Post venerem est Mercurius per se quidem nec bonus nec malus, sed per suam naturam inclinatur ad planetam cui coniungitur. Non enim aliorum malitiam temperat, sed est cum bonis bonus, & cum malis malus. Rarò à nobis cernitur propter vicinitatem ad Solem. Semper enim cum Sole graditur, nunquam ab eo plus triginta gradibus distans. Hunc Mercurium dicunt eloquentiæ & ingenij, id est boni sensus effectorem, vt quibus hic dominetur, facundi sint setmone & bonis sensibus, ac bene ingeniati. Et quidem si cum Saturno aut Marte iunctus fuerit, facundiam prauam & astutiam malam ad nocendum, ad concitandũ rixas, discordias, tumultus, schismata, hæreses,

Esa.14.

2.Pet.2.

Mercurius

dicunt significare. Eiusmodi homines præ omnibus seculis prioribus, nostra hæc ætas plurimos habet, quibus cum summa adsit facundia & sensus clarissima perspicacitas, nihil tamen hisce dotibus aliud agunt, quam vt nihil relinquant integrum, sed vniuersa perturbent, erroribusque adimpleant orbem. Si verò Ioui iungatur, bonam facundiam & ingenium salutare significare dicunt, ad veritatis defensionem & virtutis promotionem accommoda. Cuiusmodi ingenia hac nostra tempestate nimium rara merito deploramus,

Luna. Infima omniũ Luna, frigida & humida est, operaturque complexionem flegmaticam, id est, humidam & frigidam. Super aquas & omnia humida dominum habet. Vnde secũdum varium accessum & recessum, causat fluxum & refluxũ maris, itemque aquarum augmentionem vel diminutionem, quemadmodum libro priore dictum fuit. Experientia quoque mõstrat, in plenilunio crescere medulas, & cerebrum ac huiusmodi humida, quemadmodum in nouilunio ista decrescunt & diminuuntur. Illuminatur diuersimodè & nunc plena, nunc partim obscura, nunc crescens, nunc decrescẽs apparet nostro aspectui, aciuxta diuersitates istas diuersimodè corpora hominũm & inferiora cuncta disponit. Eius lumen terris singulariter deseruit, tam in illuminando quam in agendo, eo quod terris sit proxima: neque vllius aliorum syderum tam efficax & manifesta est in his inferioribus operatio, id quod in ægrotantibus manifestissimè cernimus. Minimo spatio suam circulationem absoluit, suo motu mensium dictionem facit. Et cum quantitate sit minor cæteris planetis maior tamen ob vicinitatem apparet hominibus.

In scripturis nonnunquam bonã habet significationẽ, ve luti in Canticis Canticorum, Quę est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, &c. Et in Psalmis, Thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum. In malum verò, Sapiens ab ea trahit cõparationem, cum ait, Stultũ vt lunam mutari. Et in Apocalypsi, Mulier illa gloriosa sole amicta, lunã visa est habere sub pedibus. Per quod significari dicunt sacri Theologi, omnẽ mutabilitatem seculi huius & transeuntium in eo. Secundũ lucis enim plenioré ad terras infusionem, bonam habet cõparationẽ, secundum instabilitatem autẽ & variationẽ accipit malã.

Cant.6. *Psal.88.* *Eccle.27.* *Apocap.12.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XXIII.

De Solis nimia præcellentia super cæteros planetas

Solis præcellentia.

INter hos verò sex iam dictos planetas, medium locum Sol obtinet, qui solus per sese lucidus, cum à nullo lucem accipiat, ipse astris omnibus lumen præbet. Omnes enim stellas, & erraticas in suis orbibus & fixas in firmamento, sua luce illuminat, singulisque lumen illud in quo cernuntur, donat, hoc ipso patenter in se Dei patris luminum gerens similitudinem. Ipse enim admirandi fulgoris atque efficacissimæ virtutis de sua natura existens, solus de se lucem habens, sui luminis atque ardoris vim, sparsis flagrantibus radiis circumquaque diffundit, cœlestia & terrestria cuncta illuminans, atque efficacissimè in eis operans. Omnia siquidem astra (vt author est Aristoteles, veritas confirmat) à sole suum lumen accipiunt, & per lumen quod a Sole accipiunt, suos operantur effectus. Visum est tamen quibusdam præter hoc Solis lumen, debere ea habere lucem aliquam propriam, quæ causa esset vt lumen a Sole procedens, in hoc quam in illa planeta, aliter operaretur. Non est tamen id necessarium, ob hoc scilicet propriam lucem aliquam ponere. Sufficit enim ad hanc diuersitatem operationis, ipsa subiecti varia dispositio. Vnde lux solis (iuxta doctrinam Astronomorum) in Saturno infrigidat, in Marte calefacit, & ita in cæteris: quemadmodum iuxta diuersam naturam astrorum idem solis lumen, diuersas colorum apparentias facit, vt supra declarauimus. Omnino itaque probabilior videtur illorum sententia, qui vnicum ponunt luminis fontem, à quo lux omnis deriuetur, ipsum videlicet solem, qui in planetarũ medio ordinatissimè consistit, tanquã rex in medio regni sui, in medio gradiens suorũ principiũ atque magnatũ, qui sunt proximi ipsum hincinde circundantes planetæ, sub se habens Lunam, Mercurium, Venerem: supra se vero Martem, Iouem, atque Saturnũ: proximos autem habet, hinc quidem igneũ & bellicosum: Martem, ardentibus radiis flagrantẽ: illinc vero placidam & amœnam Venerem, sua limpidissima ac placidissima luce suauiter resplendentem: illum velut potentem & animosum armigerum, hanc vt suauem coniugem. Quod tamen ne gentili opinione excipiatur, præmonemus, Vt ne arbitretur quis iuxta figmẽta poetica, in cœlestibus vera nos ponere coniugia, concubitusque & generationes proliũ. Sunt enim figmenta ista vanissima neque veritatis quicquam pssidentia. Secundum tamen similitudinem quandam, Venerem dicimus solis esse coniugem. Est enim coniugis officum, suo viro indiuidua societate adhærere, neque ab eo sese plus iusto elongare. Ita Venus semper solem comitatur, siue oriatur siue occidat, indiuidua societate comitem illi se adiungens, estque ipsa tota fœminea, & placida lucis resplendentia blandissima, fœminearũ qualitatum effectiua, vt ille totus est masculus, aureo superabundãti fulgore virili maiestate resplendens, & virilium qualitarũ maxime effectiuus. Vnde quemadmodum solis calor magnos & fortes animos facit atque constantes, sic venus molliores faciles & pios ac minus stabiles. cuiusmodi in fœminis plerunque conspicimus. Item vt sol vitalem calorem præbet, sic venus vitalem humorem videtur suo concursu adferre: sicque vitam pariter efficiunt, vt simul vir & mulier ad prolis generationem concurrunt.

Omnium stellarũ lumen a sole esse.

Venus est soli quasi pro coniuge.

Quorũdã opinio.

Post hos autem planetas (qui Soli vult propinquiores, sunt principes) infinita circundatur multitudine astrorum firmamenti, quibus tanquam militum innumerabilium è lõgin quo subsequentium exercitibus, vndequaque circundatus atque circunstipatus incedit, in magnificentissima gloria singulis proprium suum lumen ex diuitiis thesauri sui velut in militiæ stipendium persoluens. Ob quam nimiam excellentiam, veteres Poetæ solem dixerunt esse patrem deorum, hominumque. Quod ideo dictum videri potest, quoniam in omnium generatione ipsius actionem necesse est concurrere, vt causam vniuersalem sine qua effectus nullus possit generari. Ipse præterea omnibus astris perpetuo lumen communicans, simul & cum hoc agendi in hæc inferiora virtutem, hoc modo non immerito omnia dicitur in astris omnibus operari, dum quod illa agunt ab isto accipiunt vt agant. Est autem causa admodum rationabilis ex parte naturæ, cur licet præcellentissimus sol existat, tamen neque supremo neque infimo loco debuerit collocari. Cum enim sol principiũ sit atque fons luminis & caloris vitalis, a quo & cætera astra lumen recipiunt, & viuentia omnia vitam, si esset sol terræ proximus, nimio calore eam exureret, nec posset ipsa ferre eius ar-

Arist. 2. lib. physic.

rem, sicque viuentium consumeret vitam, forsan etiam suprema astra non ita commode posset illuminare. Si vero econtrario, Sol locum haberet supremum, illic, vbi agit Saturnus, terra calore sufficiente destitueretur, nec possent viuentia commode in vita conseruari, & astra inferiora non sufficiēter potuissent à tam distante sole illuminari. Propter quod sapientissimus naturę institutor, & conseruator Deus, Solem voluit in medio esse collocatum, in tali grādu vt à superioribus atque inferioribus mediocriter distaret, sicque terrę neque nimium vicinus esset, neque nimium elongatus. Illud quoque de solis proprietatibus non est prętereundum, quod sicut Mars calidus existit, ita similiter & Sol. Multa tamen inter eos est differentia, quoniam solis calor temperatus est efficacissimus & viuificatiuus, omniumque viuentium perfectiuus, quemadmodum ipsa monstrat experientia, eius calore cuncta viuificari & perfici, fructusque & omnia ipsius maximo calore matureścere, ad perfectum peruenire. Martis autem calor est consumptiuus. Est enim Sol effectiuus caloris, cuiusmodi est calor cordis. qui est vitalis, & corpori vitā donans atque custodiens. Mars vero effectiuus est caloris cuiusmodi est calor choleræ: quę vbi dominari potest, cōsumit & depascit omnia: quemadmodum patet in febricitantibus.

Calor solis differt â calore Martis

Manifesta quoque in effectu harum caliditatum apparet diuersitas, quoniam illi in quibus Sol secundum bonum aspectum dominatur, cordis sunt temperate calidi, & animo vere magno, vere fortes, & magnanimi. In quibus autem Mars dominatur, corda habent intemperate calida, & animo sunt feroci potius quàm vere magno, dicunturque audaces magis quàm magnanimi. Excessus nanq; caloris, excessum facit audacię & temeritatis, nimium & immoderate sanguinē inflāmando. Similis pene differētia inter Venerē & Lunam posset assignari: quoniā Venus humiditatis est effectiua, quale est humidū radicale, quod est vitale & conseruationi animalis æque vt vitalis calor necessarium. Luna vero, magis humidi flegmatici: quod vbi abundauerit, infirmitates varias gignit.

CAPVT XXIIII.

De *sole in sacris literis quam honorifica fiat mentio.*

OB hanc quoque Solis excellentiam, in literis sacris honorificentissimam vbique audimus fieri eius meniionem: vt quoties insigne aliquid, & quasi super omnia excellentissimum efferre velint, Solis decori conferant. Vnde Matthæus Euangelista, transfigurationis gloriam describens, quum fulgorem vultus Christi glorioſissimum vellet ostendere, non inueniens quicquam in rebus humanis altius: Transfiguratus est, inquit, ante discipulos, & resplenduit facies eius, sicut Sol. Sic & Ioannes in Apocalypsi, vultum filij hominis ait se vidisse quasi Solem lucentem in virtute sua. Vnde & in Canticis sponsam Ecclesiam cum administratores dixissent pulchram vt Lunam augere cupientes laudem, adiecerūt, electam eam esse vt solem. Rursum vero oculos domini ait quidam Sapiens multo esse lucidiores supra solem. Idem quoque mulieris bonæ speciem in ornamentum domus, comparat soli orienti mundo in altissimis diei. Iterumque hominem sapientem & sensatum, manere ait vt solem, dum stultus vt luna mutatur. Ipse quoque dominus Iesus saluator hominum, de iustorum gloria loquens, Iusti, inquit, fulgebunt sicut Sol, in regno patris eorum. Ex quibus comparationibus manifestū est, Solis claritate nihil posse in mundo reperiri pulchrius. Hinc per Sapientem dicitur, Quid lucidius Sole? Et iterum, Sol illuminans per omnia respexit, & gloria domini plenum est opus eius. Sol in aspectu annuncians, in exitu, vas admirabile, opus excelsi. In meridiano exurit terrā, & in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere? Formacem custodiens in operibus ardoris, Tripliciter Sol exurens montes, radios igneos exsufflans, & refulgens radijs suis obcęcat oculos. Magnus dominus qui fecit illum, & in sermonibus eius festinauit iter. Diuinus quoque ille Psalmographus, Solis istam magnificentiam & gloriam apertissime cecinit, aptissimeque per singulas proprietates pinxit, Psalmo. 18. vbi pro eo quod communis græcorum atque latinorum lectio habet, In sole posuit tabernaculum suum: iuxta veritatem Hebraicam (sacro Hieronymo interprete) sic legimus, Soli posuit tabernaculum in eis (nempe cœlis) & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo: Exultauit, vt gigas (siue vt fortis) ad currendam viam, à summo cœlo

Mat. 17.
Apoc. 1.
Cant.
Eccl. 22.
Eccl. 26.
Eccl. 27.
Mat. 13.
Eccl. 17.
Eccl. 42.
Eccl. 43.
Psal. 18.
Psal. 13.

egressio eius,& occursus eius vsque ad summum eius. In quibus verbis dum (iuxta quod in Hebræo legitur) Soli dicit positum in cœlis tabernaculum, significat ipsum in medio planetarum quasi in medio cœli locum possidere. Eundem vero sponsum appellans significat decorē & formosam pulcritudinem splendoris eius, in qua exoritur mundo, cum maxima gratia & gaudio atque exultatione cunctorum vi-uentium: quemadmodum omni gloria & decore adornari solet sponsus in die solennitatis suæ. Procedit autem sponsus iste de thalamo, quando ab occasu surgit, & in oriente mundo oriri incipit. Vt gigas fortis exultat ad currendam viam, quando magna alacritate quasi gigas fortissimus intra.24.horarum spatium totum mundum percurrit, per omnia respiciens, omnia quoq; illustrans & viuificans. A summo cœlo est egressio eius, quia ab oriente oritur: & occursus siue reuersio eius vsq; ad summum cœli est, quando rursum in orientem reuertitur. Vel etiam à meridie, quando in maxima eleuatione est, & quasi in summo cœlo tendit ad occasum, iterumq; suo ordine ad meridiem reuertitur. Nec est qui se abscondat à calore Solis, quoniam circumiens terram, perlustrat omnia, nihilque relinquit quod non lumine contingat, virtutisque efficacia immutet. Quæ omnia Diuinus Psaltes, penitissime consideratis cōditionibus Solis, admodum iucundis similitudinibus expressit. Hinc & doctissimus ille idiota sacer Franciscus Solem cæterarum creaturarum dominum doctissime nominauit illiteratus, eundémq; præ cæteris omnibus patenter in se Dei gestare similitudinē sapientissime cecinit indoctus, in suo cantico quod Deo ex creaturis patria lingua decantauit, atqu; à Solis præcellentia specialiter canticum Solis nominauit. Ipse, inquit, Sol multo ardore ebulliens siue feruescēs diffundit circunquaque radios, miranda splendoris irradiatione, miram tui gerens, ò altissime, similitudinem. Qui insuper discipulos docuit, oriente Sole debere omnem creaturam magnas agere gratias Deo, ob tanti iubaris gloriosum splendorem orbi redditum, cuius virtute cuncta lætificantur atque viuificantur in terris, cuius accessu lætificantur omnia, & quasi iuuenescunt, atque vigorem resumunt, horridę tenebræ fugiunt, grauis sopor è membris pellitur, ægris dolor lenitur & vale-

Franciscus quomodo so-rum usq; significabat.

tudo melior languētibus redditur, noctium tempestates sedantur & cohibentur, dissipanturque nubes & nebulæ ante faciem adūentus eius, illusiones quoque noctium, & dæmones amici tenebrarum effugiunt. Quomodo econtrario Solis absceſſu, hæc omnia incommoda reuertuntur, quasi absente eo, quem metuerunt. Denique tam in scripturis quā in aliis sanctorum patrum scriptis, & in ecclesiastico vsu, æternam patris sapientiam Iesum Christum dominum nostrum frequentissimè soli comparatum inuenimus. Vnde & illud Psalmi, quod prius secundum literam de Sole corporali interpretati sumus, sancti Theologi piissimè & verissimè secundum misticam intelligentiam ad Christum dominum accommodant, quam intelligentiam in Elucidatione libri Psalmorum circa locum iam adductum plenius (Deo donāte) explicabimus. Hinc & per alium prophetam dicitur, Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitię, quod est sapientia vera. Et in libro Sapientię Damnati impij, quęruntur sibi non luxisse Solem iustitię, & lumen intelligentię. *Malac. 4. Sapien. 5.* Rursum alio in loco, ex persona Dei dicitur, Solem nube tegam quod rectè sic intelligi potest, Diuinitatem humanitate vestiam, & occultabo. Sunt insuper alia in scripturis insperſa plurima, quæ secundum mysticam intelligentiam accommodatissimè soli ęterno possent applicari. Nos tamen finem facimus theologādi, ne nimia prolixitate cuiquā efficiamur onerosi, atque ad naturalia contemplanda reuertimur. *Exec. 53.*

CAPVT XXV.

De *circulis maioribus, & primum de Aequinoctiali.*

AD cognoscendum autem melius in particulari planetarum motum, præcipue verò Solis & Lunæ, describendi sunt iuxta Astronomorum doctrinam circulari aliquot, secundum quos eorum motus facilius poterit cognosci. Ad hoc enim circuli isti signantur, & secundum imaginationem mōstrantur in cœlo, vt ex eorum designatione facilius possit motus illorum explicari. Describunt autem duplices circulos, maiores videlicet & minores,

Maiores circulos vocant, qui totam sphæram in duas partes æquales diuidunt.

Minores autem qui diuidunt quidem sphæram, non tamen in partes æquales, sed vna pars diuisionis maior est altera.

Sunt autem circuli maiores, numero sex, nempe æquinoctialis, zodiacus, colurus æquinoctiorum, colurus solstitiorum, circulus medianus, & horixon. De quibus nunc pet ordinem est dicendum. Et primum de æquinoctiali

Est itaque æquinoctialis circulus quidam diuidens totam sphæram in duas partes æquales, æque distans secundum omnes suas partes ab vtroque polo mundi.

Est autem polus Græcum vocabulum, significans verticé vel summitatem rei. Vnde polos mundi vocamus Vertices mundi, duo scilicet puncta extrema & summa in cœlo sibi directè ex opposito respondentia, ita quod si protraheretur linea rectissima ab altero ad alterum oppositum, illa directa transiret per centrum & medium punctum totius mundi, haberetque duos istos polos pro terminis suis. Est itaque æquinoctialis circulus, qui totam mundi sphæram in sui medio in partes æquales diuidens, secundum omnes suas partes æqualiter distat ab vtroque polo mundi. Quãcunque enim in hoc circulo partem assignaueris, inuenire non poteris vllam quæ vni polo sit quam alteri propinquior, estque huius circuli centrum idem cũ centro mundi, & pertransit axis mundi centrum æquonoctialis. Appellatur autem circulus iste variis nominibus. Primum quidem æquinoctialis dicitur, eo quod Sol cum directe sub ipso inuenitur, æquinoctium facit. Est autem æquinoctium, quando nox diei est æqualis: quod nunquam contigit, nisi quando Sol sub hoc circulo directè moueri inuenitur: quod his cõtingit singulis annis: semel videlicet in vere in principio Arietis, & semel in Autumno, in principio Libræ. Ob eandem causam etiam dicitur æquator, videlicet diei & noctis. Dicitur quoque cingulum primi mobilis, quoniam sicut homo in medio corporis cingulo se cingit (ita vt si supremo capitis intelligatur punctus, inuenietur cingulum ipsum secundum omnem sui partem æqualiter secundum modum aliquem ab eo distare) ita tota sphæra primi mobilis intelligitur velut cingulo ista circundata & circuncincta. Et quemadmodum quando homo cingulo circuncingitur, ipsum medium cinguli quodammodo idem censetur cum medio humani corporis: ita circulus iste æquinoctialis totus sphæræ, & mundi medium habet pro suo centro & medio. De duobus autem polis iam supra diximus, quod is qui semper nobis apparet, arcticus dicitur, is verò qui nunquam nobis sed semper antipodibus se ostendit nominatur antarcticus, eo quod arctico opponatur.

Æquator.

Cingulum primi mobilis.

CAPVT XXVI.

De *circulo zodiaco, & signis eius.*

Post hunc vero est circulus zodiacus, qui & ipse sphæram diuidit in duas partes æquales, sed secundum obliquum, ita vt prædictum æquinoctialem obliquè pertranseat. secundum vnam partem declinans ad septentrionem à polo arctico, secundum alteram vero ab antarctico ad meridiem. Intersecat autem zodiacus iste æquinoctialem, vicissimque intersecatur ab eodem, in duas partes æquales, ita vt amborũ idem sit centrum. Illud tamen est notandum, quod inter omnes circulos, zodiacus iste solus habet latitudinem. Nam cæteros omnes imaginamur sine latitudine, hic autem habet latitudinem. Intelligitur enim directissime per ipsius medium pertranire linea quædam, ipsum secundum latitudinẽ diuidens in duas partes æquales, ex vtraque parte sex gradus relinquens. Siquidem. 12. graduum est eius tota latitudo. Atque hæc linea ecliptica nominatur, eo quod eclipsis fiat cum sub eadem hac linea simul inueniuntur Sol & Luna, quemadmodum posterius declarabitur. Secundum longitudinem vero totus zodiacus in duodecim partes æquales diuiditur, quæ vulgo duodecim signa appllantur, nempe,

Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagitarius, Capricornus, Aquarius, Pisces.

Quorum sex priora dicuntur septentrionalia, arctica vel borealia, eo quòd ab æquinoctiali tendant ad septentrionem, & tendant versus polum arcticum. Sex autem posteriora, dicuntur meridionalia, vel australia, vel antarctica, eo quod tendant versus meridiem, vnde surgit auster, & tendunt versus polum antarcticum. Appellantur enim signa arctica, quæ polo arctico sunt viciniora, vt sex priora: signa verò antarctica, quæ polo illi sunt viciniora, vt sex posteriora. Nullum enim est signum, quod æqualiter distet ab vtroque polo mundi. Ex quo patet manifesta differentia duplex, inter zodiacum & æquinoctialem, cum partes æquinoctialis æqualiter vtroque polo mundi distent. Habent autem singula horum signorũ, longitudinem graduũ 30. Vnde patet, omnia signa zodiaci esse quadrangula, non quadrata. Omne enim quadratum latera habet æqualia, quadrangulum verò non item.

Appellatur autem hic circulus primo quidem & vulgatiori nomine zodiacus, vocabulo ex Græco idiomate accepto. Nam zoon Græcis significat viuens, vel animal. Vnde hic circulus quia signa dicitur ferre animalium diuersorum, Arietis scilicet, Tauri, & Cancri, & cæterorum, idcirco videtur zodiacus appellatus. Simili causa latina appellatione signifer nuncupatur, quoniã in 12. signa diuiditur, quæ varias habent animantium figuras. Nonnulli zodiacum dictum putant à vita, quod Sol sub hoc circulo gradiens, vitam rebus præbeat, dum per hunc motum in zodiaco, secundum accessum & recessum, causa est generationis & corruptionis. Græce enim zoe, vita dicitur. Ab Aristotele vero in secundo libro de generatione circulus obliquus appellatur, cuius ratio patet ex præcedentibus. Sub hoc autem circulo zodiaco & Sol & cæteri omnes planetæ suos proprios motus perficiunt. neque vnquã extra zodiacum possunt inueniri. Sol vero nõ solum sub zodiaco, verum etiam sub linea ecliptica regia via semper incedit non declinans neque ad dextram, neque ad sinistram: nunquam à medio zodiaci vel ad latum vnguem deflectens. Quam ob causam, hæc linea ecliptica alio nomine via solis appellatur. Cæterorum verò planetarum nullus sub ecliptica perpetuo currit, sed declinãt ab ea, vel hic vel inde sic tamen vt non abeant extra zodiacum.

Omnes planetæ sub zodiaco motu absoluunt.

Linea ecliptica.

CAPVT XXVII.

De coluris solstitiorum & æquinoctiorum.

AD distinguendum autem solstitia duo, æstiuum & hyemale, alium imaginamur circulum transeuntem per polos mundi, & per principia Cancri & Capricorni, qui est colurus solstitiorum. Quem circulum cum Sola ttingit intrans Arietem fit solstitium æstiuum, quoniam Sol altius scandere non potest, neque longius declinare, sed descendere incipit & reuerti versus medium zodiaci: propter quod stare dicitur non enim realiter stare putandus est Sol, qui nunquam quiescit, semper infatigabilis: sed quia non ascendit vltra, neq; eleuatur altius, vt ex signis hyemalibus hactenus ascenderat, idcirco stare reputatur, & quasi gradum sistere, non quidem à profectione & cursu, sed ab ascensu & eleuatione. Est autem tũc solstitium æstiuum, cum Sol hunc circulum tangit in Cãcro, quoniam Cancer signum æstiuum est, æstatisq; principium, quod nostris temporibus est die 13. Iunij, circiter festum Barnabæ apostoli. Cum verò hunc circulum attingit sol ex parte altera versus polum antarcticum in principio Capricorni solstitium habetur hyemale, solstitium quidem quia desinit tum sol à nobis recedere, nec progredi potest longius, & iterum ad nos incipit reuerti, ad signa videlicet nostro polo & nobis viciniora. Hyemale autem quoniam Capricornus hyemale signum est, hyemisq; principiũ quod nostris temporibus est die 11. Decembris circiter festum Luciæ. Ponunt quoque punctum solstitij hyemalis & æstiualis. Vnde punctus solstitij æstualis est primus punctus Cancri, vbi circulus iste intersecat zodiacum. Et dicitur punctus solstiti est iualis, quia cum sol in ipso existit habetut æstiuũ sol stitium. Primus autẽ punctus Capricorni vbi ex parte opposita diuiditur zodiacus eodem hoc circulo, vocatur punctus solstitij hyemalis. Consequenter ad distinctionem æquinoctiorum alium imaginamur circulum, similiter transeuntem per polos mũdi, sed per principia Arietis & Libræ. Quẽ circulũ cũ sol attingit in principio Arietis (quod fit 10. Martij, circiter festũ beati Grægorij) habemus vernale æquino-

Aestiuum solstitium solstitiorũ distinctio.

Hyemale solstitium.

Aequinoctiorum distinctio.

Aequinoctium, vernale.

ctium. Æquinoctiũ quidem, quoniam dies ac noctis habentur æquales. Vernũ autem quoniã aries signũ est veris, eiusq; principium. Et punctus iste primus Arietis, vbi intersecatur zodiacus hoc circulo trãseunte, vocatur punctus æquinoctij vernalis. Cum verò ex opposito Sol attingit hunc circulum in principio Libræ 14. Septembrisin festo exaltationis sanctæ Crucis, habetur æquinoctium autumnale, quoniã libra autumnale signũ est, Autumnij; principium. Et punctus ille vbi intersecatur zodiacus, punctus æquinoctij autumnalis dicitur. Habemus itaq; quatuor punctos, secundũ quos fit totius sphæræ diuisio, temporumq; distinctio. Habemus & circulos duos in polis mundi sese ad angulos rectos sphærales intersecantes, secundũ quos fit æquinoctiorum & solstitiorũ secundum quatuor partes anni ordinata varietas, hos autem duos circulos vocant Græca appellatione coluros. Cuius nominis interpretationem varie assignant.

Aequinoctium Autumnale.

CAPVT XXVIII.

De *Meridiano & Horizonte.*

Meridianus.

Zenith.

Nadir.

SVnt præter hos, duos circuli alij maiores, meridianus & horizon. Meridianus est circulus quidam qui transit per polos mundi & per zenith capitis nostri. Est autem zenith capitis nostri, punctus directe suprapositus capiti nostro. Punctus autem diametraliter illi oppositus nadir vocatur. Pro cuius intelligentia notandum, quòd si protrahatur secundum imaginationem linea recta ab extrema vsque ad extremum cœli, per medium terræ, simul & per verticem capitis hominis alicuius, punctus vnus terminatiuus illius lineę dicitur zenith, ille scilicet directe capiti suprapositus. Ille alter verò, qui ex opposito respondet, dicitur Nadir. Circulus ergo ille qui transit ab vno polo mundi per zenith capitis nostri vsque ad alium polum ex opposito consistentem, à quo iterum per Nadir siue punctum zenith oppositum reuertitur ad primum polum, hic dicitur Meridianus, illi per cuius zenith & Nadir transit. Ex quo manifestum est, quod illi quorum est idem zenith capitis, eundé habent meridianũ: Quorũ verò diuersum, diuersos habét meridianos.

Dicitur autẽ circulus iste meridianus, quia ostendit punctum meridiei, & quandocunque Sol hunc circulum tangit,

meridies est illis quorum hic est meridianus: & quando eũdem circulum tangit in hemisphærio inferiori, tunc est media nox illis quorũ est hic meridianus. In quacunque enim regione sit homo, in quolibet die anni, quando Sol motu raptus primi mobilis tangit istum circulum in superiori hemisphærio, est punctus meridiei. Quando autẽ in inferiori hemisphærio ad eundem circulum peruenit, est punctus mediæ noctis. Per meridianos etiam longitudo cognoscitur locorum & distantia eorum ab inuicem: cuius consideratio ad Geographum spectat.

Horizon.

Horizon verò est circulus diuidens hemisphærium inferius à superiori. Totã nanq; sphæram diuidit in duas partes, siue in duo hemisphæria. (Hemisphærium enim sphærę medietas dicitur) quorum vnum à nobis videtur, alterum non videtur. Semper enim à nobis tantum altera pars cœli videtur. Illud autem quod sub aspectu nostro est, hemisphærium superius appellamus, & peculiariter nostrũ dicimus. Illud verò quod infrà nos & nostro subtractum aspectui dicimus hemisphærium inferius, neque nostrum illud appellamus, sed nostrorum potius antipodum. Dicit autem horizon Græca appellatione, quasi finitor. Nam horizo significat finio, siue definio, aut termino. Vnde Horismos finitio siue definitio. Dicitur ergo horizon, id est finitor, vel terminator: quia scilicet terminat & finit partem cœli visam à non visa, & illam partem visus transit vbi visus noster terminatur, & vbi nobis apparet cœlũ terræ coniungi. Nam id nobis illic contingere videtur, vbi est visus nostri terminus. Vocatur etiam circulus hemisphærij, eo quod hemisphærium vnum ab alio diuidat, & vnicuique suum designet. Huius autem Horizontis poli sunt Zenith & Nadir, à quibus secundũ omnes suas partes æqualiter distat, & nos semper in Horizontis nostri centro sumus. Ponunt quoque Horizontem rectum & obliquum. Rectum dicunt esse eorum, qui sub æquinoctiali habitant: vel quorum zenith est in æquinoctiali: Obliquum autem habent omnes qui vltra vel citra æquinoctialem habitant. Et hæc quidem de circulis maioribus figuraliter sint dicta, quibus omnibus commune est sphæram totam in duas æquales partes diuidere: id quod ad oculum de singulis sigillatim potest facillime in Pæra demonstrari.

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT XXIX.

De *circulis arctico, antartico, tropico Cancri, & tropico Capricorni.*

Circulus arcticus & antarcticus.

CIrculi autem minores (qui sphæram diuidunt quidem, sed in partes inæquales) sunt 4. arcticus scilicet, antarcticus, & duo tropici, æstiualis & hyemalis, siue Cácri, & Capricorni. Circulus arcticus est circulus quidã paruus, quẽ describit polus zodiaci suo motu raptus, circa polum arctici. Circulus verò antarcticus, quem describit polus alter zodiaci circa polum antarcticum. Ex precedentibus enim manifestum est, alios esse polos zodiaci, secundum quem sol mouetur motu proprio, à polis æquinoctialis, secundum quem mouetur primum mobile, item & sol motu raptus. Cum ergo totus zodiacus simul cum sole per singulos dies necessario semel per raptum circumuoluitur, necesse est vt circa polos mundi, ipsius zodiaci poli circunferantur. Nam poli mundi fixi manent & immobiles: Poli autem zodiaci secundum proprium solis motum manent immobiles: secundum raptum tamen primi mobilis simul cum zodiaco circonferuntur circum polo mundi. Illos autem circulos quos sic motu suo circa polos describunt, dicimus arcticum & antarcticum. Arcticum quidem circulum, à polo arctico circa quem describitur, Antarcticum autem ab antarctico polo.

De duobus tropicis.

Tropicus Cancri est circulus quem sol raptu primi mobilis describit existens in principio Cancri, in puncto solstitij æstiualis: qui circulus supremus est quem sol potest describere versus circulum arcticum vel polum arcticum: quoniam tunc in maxima eleuatione est, ita vt altius ascendere non possit, nec proinde superiorem aliquem circulum, aut arctico polo propinquiorem describere. Atque hic tropicus etiam æstiualis nominatur, quoniam in signo æstatis, imò quod principium est æstatis, describitur. Tropicus autem Capricorni est circulus quem sol raptu primi mobilis describit in principio Capricorni, existens in puncto solstitij hyemalis. Estque vltimus quem sol potest describere versus polum aut circulum antarcticum, quoniam altius non potest quàm supra prædictum punctum solstitij ascendere, neque

à nobis longius recedere, nec proinde vlteriorem circulum describere. Vocatur quoque hic in ratione signi, quod est hyemis principium, tropicus hyemalis, quoniam illum tunc Sol describit, cum nobis hyems incipit. Verum huiusmodi appellatio, non nisi quo ad nos debet intelligi. Siquidem nostri antipodes suum tropicum Capricorni, æquè vocant tropicum æstiualem, vt nos nostrum tropicum Cancri.

Cur tropici dicãtur.

Vocantur autem circuli isti Græca appellatione tropici, a versione vel conuersione. Nam Græcè, τροπὴ significat retrouerto. Inde τροπὴ, reuersio, vel conuersio, vel mutatio. Circulus igitur tropicus dicitur, quod in eo fit Solis τροπὴ id est conuersio siue reuersio. Post hos enim descriptos circulos, cum vlterius illi non liceat proficisci, nec tamen stare possit: cogitur reuerti, ita vt si a nobis longissimè abfuerint (quemadmodum in solstitio hyemali contingit) mox redire ad nos incipiat, versus nostrum polum ascendendo, quod tamen statim percipi a nobis multum sensibiliter non potest, nisi post aliquanta dierum spatia. Si vero proximus nobis fuerit, & in summa super nos eleuatione (quod est in solstitio æstiuali) cogitur a nobis abscedere versus alterum polum.

CAPVT XXX.

De *quinque zonis siue plagis.*

SEcundum istos autem quatuor circulos minores, arcticum, antarcticum tropicum Cancri, & tropicum Capricorni, fit diuisio totius cœli in quinque zonas, plagas siue regiones distinctas, atque proportionabiliter etiã ipsius terræ, secundum eosdem circulos. Vna regio est, totum hoc spatium quod est inter duos tropicos. Et hæc vocata est ab antiquis Torrida zona, propter calorem excessiuum, quem ibi esse dixerunt, ob hoc quod sol perpetuo in ista regione inueniatur. Nam (vt supra diximus) extra tropicos non potest egredi. Quam ob causam dixerunt zonam hanc esse inhabitabilem. Alij autem omnino id negant, assignantes in hac zona multas habitabiles regiones, vt Ptolomeus & cæteri omnes Geographi. Intelligi tamen potest illud antiquorum dictum, quod non sit admodum cõueniens habitatio pro humana natura, maximè iuxta tropicos. Homines enim horum illorum nigerimi sunt, & breuis vitæ, ac paruæ sta-

Torrida zona.

turę, quod procedit ab excessu caloris consumente in eis humidum radicale, vt non possint nec iniustam quantitatis mẽsuram excrescere, nec in communem hominum durationem vitam protendere. Sub æquinoctiali autem experientia sentire facit esse regiones temperatissimas, atque habitationi maximè accommodas, quod fieri dicunt propter æqualem præsentiam & absentiam Solis, per quam ęqualem vicissitudinẽ fieri videtur maxima temperies regionum illarum, & optima loci illius dispositio. Illæ vero duæ regiones quæ sunt à circulis arctico & antarctico vsque ad polos mundi, similiter dictæ sunt inhabitabiles propter nimium frigus, ob nimiam solis distantiam, tametsi secundum veritatem non sint prorsus inhabitabiles. Nam intra circulum arcticum tradit Ptolomeus esse multas hominum habitationes, sed non multum aptas habitationi: id quod nimius pallor hominum illic habitantium & nimia longitudo supra quam staturæ humanæ conuenit, satis indicant. Aliæ vero duæ regiones, quarum altera est inter circulum antarcticum & tropicum Cancri, altera vero inter circulum antarcticum & tropicum Capricorni, propter temperiem sunt optime habitabiles. Neque enim sol nimium eis propinquus est, neque nimium elongatus, & quodam modo mediæ constitutæ inter torridam zonam & regiones illas frigidas supremas, illinc quidem calorem participantes, hinc vero frigiditatem, ita optimam accipiunt contemperationem. Harum autem zonarum particularior determinatio, ad Geographum magis quam ad Physicum spectat. Quapropter nobis ista sic generaliter dicta sint satis.

Regiones frigidissimæ.

Regiones tempertaræ

CAPVT XXXI.

De *eclipsi Lunæ quomodo & quando fiat.*

SVpereſt, vt de cœlestium luminarium eclipsibus nonnihil dicamus. Erit enim non inutilis huius rei consideratio. Et primum quidem Lunæ eclipsim determinemus. Pro cuius notitia attendendum est, quod Luna licet moueatur semper sub circulo zodiaco, non tamen sub linea illa ecliptica, quam supradiximus esse viam Solis: sed ab ecliptica deuiat, & suo motu lineam propriam describit (quæ linea Lunæ dicitur) intersecantem prædictam eclipticam lineam in duobus punctis diametraliter oppositis, quos duos puncLIB. VII. 109

tos vocant caput & caudam draconis. Propter quod nunquam contingit Solem & Lunam directè & diametraliter ad inuicem apponi, nisi cum alter fuerit in capite draconis, & alter in cauda. Neque item perfecta fieri potest eorum coniunctio, nisi simul ambo vel in capite, vel in cauda draconis inueniantur. Cum enim Sol perpetuo sub linea ecliptica directe inueniatur, Luna vero nunquam nisi in duobus his pũctis, manifestum est, diametraliter coniunctionem non posse fieri, nisi ambobus in vno horum punctorũ existentibus: neque Diametralem oppositionẽ, nisi in his punctis sibi ex opposito constituantur. Dicimus autem diametralem oppositionem, quando sic opponuntur, quod eadem diametre intelligatur contingere centrum vtriusque: ita vt linea protracta à centro Solis directe terminaretur in centro Lunæ. Similiter & coniunctionem diametralem dicimus. Deinde & hoc sciẽdum est ex perspectiua, quod omne corpus opacum obiectum corpori luminoso, facit vmbram. Et quidem si corpus luminosum fuerit maius corpore opaco obiecto, illuminabit plus quàm mediam partem corporis illius contra se positam, reliquam verò partem relinquit obscuram, & vmbram facit pyramidalem, quę continuo minor fit, & ad acutiem tendit. Vnde sequitur, quòd terra minor existens Sole, ipsi obiecta, pro medietate sua, aut plus quàm pro medietate illuminatur, secundum quam respicit aspectum Solis, reliqua verò pars obscura manet. & vmbram facit: quæ vmbra semper directè porrigitur versus Nadir, siue punctum oppositum ipsius corporis luminosi. atque ita vmbra terrę directè semper protenditur versus Nadir Solis. Quibus præmissis dicendum est, quòd cum Sol & Luna sibi inuicẽ diametraliter modo prędicto opponuntur sub linea ecliptica, ita vt ille sit in capite, hęc in cauda draconis, aut econtrario, ille in cauda, hęc in capite, tunc vera habetur eclipsis Lunę. Est enim directa interpositio terrę (quæ est corpus opacum) inter Solem & Lunam: propter quod terra interposita impedit, ne ad Lunam posita Sole venire lumen, ac proinde (cum non habeat lumen nisi à Sole) necesse est eã lumine deficere, quod est eclipsari. Nã eclipsis nõ est aliud quàm destitutio siue defectus. Quod autem tũc sit directa terræ interpositio inter Solẽ & Lunã, manifestè patet, quia si protraheretur linea recta à ca-

Caput & cauda draconis opposita.

Quomodo Lunæ fit eclipsis.

pite draconis vsque ad caudam, sole existente in capite, & luna in cauda, linea illa haberet pro terminis duo centra Solis & lunę, & transiret per centrum terræ. Ex quo etiam consequitur, quod Sole existente in capite draconis, Nadir ipsius solis est in cauda draconis. Atque ita (iuxta prædicta) necesse est vt vmbra illa quæ fit à sole, per interpositionē terræ, directæ protēdatur versus corpus lunare, quoniā semper vmbra (vt diximus) versus Nadir corporis luminosi protenditur.

CAPVT XXXII.

Nunquam fieri eclipsim Lunæ nisi tempore oppositionis.

EX prædictis fit manifestum, quod nunquam potest haberi Lunæ eclipsis, nisi in tēpore oppositionis, siue plenilunij. Nunquam enim alias contingit alterum prædictorū planetarum esse in capite, & alterum in cauda draconis, neque alias vnquam contingit simul illos inueniri sub ecliptica linea diametraliter oppositos, quod tamen est necessarium, vt fiat lunæ eclipsis. Nunquam item contingit terram interponi inter Solem & lunam (cuius interpositio causat eclipsim) nisi cum in his punctis sibi inuicem fuerint opposita. Extra hos enim punctos quotiescunque lineam protraxeris, à centro solis ad centrum lunæ, nunquam linea illa per centrum terræ inuenitur transire: quod argumentum euidens est eam diametraliter non interponi.

Quare non semper fit in oppositione eclipsis.

Item ex prædictis causa manifesta est, quare non semper in oppositione Lunæ ad solem habeatur lunæ eclipsis. Oppositio enim singulis fit mensibus, raro autem eclipsis, nimirum quia non in qualibet oppositione luna inuenitur sub linea ecliptica, nec in capite, nec in cauda draconis. Nunquam autem eclipsis lunæ fieri potest (vt diximus) nisi quando Luna simul cum sole sub ecliptica inuenitur

CAPVT XXXIII.

Quod aliquando fieri possit eclipsis lunæ partialis.

VAmuis autem perfecta & totalis Lunę eclipsis nō possit fieri, nisi cum sub linea ecliptica diametraliter opponitur Soli, potest tamen fieri eclipsis imperfecta & partialis, cū propè caput aut caudā draconis fuerit ferè diametraliter, quamuis non omnino diametraliter oppositā soli intra metas siue terminos eclipsis, qui sunt 12.

gra lus ante & post caput vel caudam draconis secundū longitudinem. Luna enim existēs ita propinqua ad oppositionem diametralem Solis, intra tale spacium, secundum partem sui eclipsatur, magis vel minus, iuxta quod vicinior est capiti vel caudæ draconis, aut ab eis distantior. Nō tamen planetaliter eclipsari potest, nisi cum in capite aut cauda fuerit diametraliter Soli opposita. Est tamen aduertenda differētia inter eclipsin Lunę totalem, & vniuersalem siue generalem. Totalis enim eius eclipsis dicitur, quādo penitus & totaliter secundum omnes partes priuata est Solis lumine. Generalis autem siue vniuersalis eius eclipsis dicitur, quando generaliter omnibus apparet luminis defectus. Ex quo consequitur, omnem eclipsin Lunę, siue totalem siue partialem, esse generalem. Luna enim eclipsin patiens vndecunque videatur, talis apparebit. Corpus enim quod denigratum est, aut maculā habet vel obscuritatem, siue in toto, siue in parte, vndecunq; aspiciatur, talem denigrationem aut obscuritatem habere cernitur. Ita Luna vmbra terræ perfusa & obscurata, vndecunq; videatur, iudicabitur vt priuata Solis lumine, siue secundum totum, siue secundum partem. Non ergo conuertuntur eclipsis lunæ totalis & generalis, cum etiam partialis probata sit esse generalis. Secundum eam enim partem qua aliquibus lumine priuatur, nemini potest apparere aliter quam luce priuata, nec secundum eam partem aliunde videtur illuminata: cuius contrarium est in eclipsi partiali solis, vt ex sequētibus fiet manifestius.

CAPVT XXXIIII.

De eclipsi solis, quando & quomodo fiat.

CVm vero Luna est in coniunctione ad solem, si coniunctio fiat diametraliter sub linea ecliptica, ita vt cōiungatur Luna Soli in capite vel in cauda draconis, per interpositionem Lunæ inter Solem & nostrum aspectum. continget nobis solem eclipsari. Cum enim luna sit corpus opacum & non transparens, penitus illuminari à sole non potest, sed illuminatur tantum à sole secundum suam medietatem, vel maiorem partem (eo quòd Sol maior sit Luna) proiiciturque vmbra versus aspectum no-

Quomodo sol eclipsatur.

ſtrum, & obumbratur nobis claritas Solis, ſicq; nobis Sol eclipſatur. Quod non eſt ita intelligendũ, quaſi Sol vere poſsit lumine priuari, cuiuſcunque corporis obiectione. Eſt enim hoc plane impoſsibile, cum ſol à ſeipſo, & non ab alio ſuum habeat lumen ſed quantum ad noſtrum iudicium, noſtrumque aſpectũ dicitur eclipſari, quia ſcilicet nobis videtur eius lumen deficere, quod nobis propter interpoſitionem opaci lunaris corporis non appareat.

Quomodo autem ſuperius de Luna diximus, quod perfecte & totaliter non eclipſatur niſi cum ipſa ſub linea ecliptica opponitur Soli in capite, aut cauda draconis, ita de Solis eclipſi dicendum eſt, quod perfecta fieri non poſsit, niſi quãdo eſt diametralis coniunctio Lunę & Solis ſub ecliptica linea in capite aut cauda draconis, ambobus in capite, aut ambobus in cauda exiſtentibus, & diametraliter ſibi inuicem ita oppoſitis, vt eadem diameter per vtriuſque centrum tranſeat. Poteſt tamen fieri partialis ſolis eclipſis, etiam tunc quãdo Luna eſt in coniunctione fere ſub linea ecliptica, prope caput aut caudam draconis, intra metas vel terminos eclipſis, de quibus prædictum eſt.

Inter eclipſim autẽ ſolis totalem & partialem, hæc differentia eſt, quod in totali eclipſi, exiſtente coniunctione directe in capite vel in cauda draconis, totum corpus, ſolis illis obumbratur & obtenebratur, quibus eſt eclipſis, ita vt nihil videant de globo ſolis. In eclipſi autem partiali quando cõiunctio tantum eſt prope alterum dictorum punctorum, non obtenebratur totum corpus ſolis, ſed ſolum pars aliqua, vbi contingit interponi lunam noſtro aſpectui. Et contingit interdum hãc eclipſim ita modicam eſſe, vt vix percipiatur niſi macula aliqua ſub ſolari corpore.

Ex prædictis patet ratio, quare non ſemper in coniunctione Solis & Lunæ videamus ſolem eclipſari, quoniam videlicet non in omni coniunctione, Luna in aliquo prædictorum punctorum inuenitur, aut prope intra metas eclipſis, ſed frequentius in alia parte zodiaci ſoli coniungitur, extra pũctos prædictos. Manifeſtum eſt inſuper omnino non poſſe fieri ſolis eclipſim, niſi tempore coniunctionis & nouilunij, quẽadmodum non poteſt fieri eclipſis Lunæ, niſi tempore oppoſitionis & plenilunij: quoniam videlicet alias non contingit

Lunam obiici inter ſolem & noſtrum aſpectum.

CAPVT XXXV.

Multiplex differentia inter eclipſim Solis & Lunæ.

INter eclipſim autem Solis & Lunę, non vnica differentia eſt. Primum enim hoc ex dictis patet, quod eclipſis ſolis requirit coniunctionẽ in eodẽ punctο, vel prope idẽ pũctum: Lunę vero eclipſis, exigit oppoſitionem in punctis oppoſitis. Prior habet fieri tempore nouilunij, poſterior in tempore plenilunij. In priori, Luna interponitur inter ſolem & terram. In poſtriori, terra inter ſolem & lunam obiicitur media. In priore, vmbra Lunæ terram obſcurat: in ſecunda vmbra terrę corpus Lunę obfuſcat. In priori tantum fit luminis ab aſpectu noſtro ſubtractio: in poſteriori, etiam realis luminiſ priuatio. Sunt pręter has duę alię notabiles differentię, quarum prior hæc eſt, quod eclipſis Lunę (ſiue totalis ſit ſiue partialis) ſemper eſt generalis in omni terra, eclipſis autẽ ſolis, nunquã eſt generalis. Prioré parté ſupra declarauimus. Poſterior vero ita probatur, quoniam non ſimul omnibus ſol eclipſatur, neq; omnibus ſimul apparet lumen deficiens: ſed dum ad hos eclipſari percipiunt, illi luce ſolis fruuntur: & dum ad hos eclipſis peruenit, priores illi lucis fulgorem iam receperunt. Quia enim ſol in eclipſi ſuũ lumẽ non perdit, ſed tantũ eius claritas obumbratur ex interpoſitione Lunę, fieri poteſt, vt quibuſdam obſcuretur, quibuſdã autem non. Cum enim Luna ſit multo minor tota terra, & ſol multo maior Luna, non poteſt vmbra Lunę totam terram cooperire: maxime, quia (iuxta prædicta) vmbra terræ ſecundũ acutiem pyramidalem cõtinuo minuitur, propter quod etiam ſi terra eſſet æqualis tantũ Lunæ, adhuc non poſſet penitus ab ea obumbrari. Multo minus ergo nunc, vbi ſecundum veritatem multo eſt maior (continens videlicet eam trigeſies nonies) poterit ab ea penitus obũbrari. Vnde cõtingit fieri eclipſim in vna regione, non autem in alia, imo contingere poteſt vt duorum vicinorum ſatis propinque commorantiũ vel conſiſtentium, alter habeat eclipſim, alter non: vtpote ſi intra vnius aſpectum & ſolem ſit interpoſita Luna, non au-

Eclipſis ſolis uunquã eſt vniuerſa.

tem inter alterius aspectum: aut ille sit in vmbra Lunæ, hic autem non: vtpote si illum tãgat pyramidis acuties vmbrę lunaris, non autẽ hunc aliquãtulum distantem ab altero. Nequaquam ergo potest fieri solis eclipsis generalis in vniuersa terra. Tunc enim totã terram posset obumbrare luna: quod est impossibile. Totalis autẽ eclipsis solis, aliquibus potest fieri. Ad hoc enim non amplius requiritur, quàm vt sol in aliqua parte per directã interpositionem lunę penitus subtrahatur illic inhabitantium aspectui. Tunc enim nobis est totalis solis eclipsis, quãdo nostro aspectui totaliter eius lumen subtrahitur, propter directã interpositionem corporis lunaris inter solem & nostrum aspectum. Verum interim dum nobis ita totaliter eclipsatur in alijs partibus terræ, nec partialiter videbitur eclipsari, eo quod quantum ad illas partes terrę non fit interpositio lunæ, sicque generalis esse non poterit.

Altera differentia est, quòd eclipsis solis, incipit à parte occidentali corporis ipsius, eo quòd Luna per propriũ motum venit ab occidente, Sed eclipsis lunę venit primo à parte orientali corporis eius, eo quod ipsa proprio motu ab occidente veniens intrat vmbram terrę, quam primo tangit in parte sui corporis orientali: verumtamen prius partem vmbræ occidentalem ingreditur.

CAPVT XXXVI.

De *Nouilunio & Plenilunio.*

OPortune quoq; hoc loco & de nouilunio & plenilunio & varia lunę illuminatione dicendũ. Aduertendũ proinde est, quòd cum luna ex se lumen nõ habeat, sed omne suũ lumen recipit à sole, omnis ratio mutationis & varię illuminationis, per respectus varios ad solem debet cõsiderari. Est enim luna corpus admodum opacũ, quod non potest à solis lumine (quantumuis forti & valido) totaliter penetrari, sed tantum secundũ mediam partem vel amplius ab eo potest illuminari. Illic autẽ illuminatur, vbi à sole respicitur. Propterquod nõ semper in eadem sua parte lumen habere cernitur, eo quod non semper secundum eandem partem à sole respicitur: sed nunc desuper, nunc ab infra, nunc à latere hoc aut

illo. Et secundum hanc illuminationem diuersam, contingit omnis in Luna mutatio.

Nouilunium.

Quando enim Luna est coniuncta Soli, ita vt pariter inueniantur sub aliqua parte zodiaci, superior eius medietas quæ est versus astra, est illuminata, inferior vero medietas versus terram obscura est, proiicitque vmbram. Et tunc nouilunium dicimus: Hebræi vero neomeniam appellabant, id est, nouum mensem. Distinguebant enim menses per Lunæ cursum, ita vt semper à nouilunio mẽsem inchoarent, & suas quę calendas ipsum diem coniunctionis habebant. Deinde vero, cum Luna suo motu à Sole incipit recedere, incipit simul & lux eius à parte superiori ad inferiorem permutari, incipitque nobis lux aliqua apparere in nostra medietate. Et quanto Luna a Sole amplius declinat, tanto Magis à parte superiori lumen recedit, & in parte laterali (propter lateralem Solis aspectum) illuminatur: primum quidem vt cornuta modicè, & appellatur bicornis, deinde pleniori lumine, & quarta crescens vocatur: quæ cum plena fuerit, quasi semicirculus apparet, quando est Luna septima.

Post hanc vero quartam primam incrementi lunaris, cõtinuo ad plenitudinem circuli tendit, secundum ampliorem a sole declinationem, vsque dum ad similitudinam pleni circuli venerit (quod fit Luna 14.) ita vt sol & luna inueniantur in partibus zodiaci oppositis. Tuncque pars eius inferior versus nos, totaliter illuminatur, superiori omnino remanente priuata lumine, appellaturque plenilunium, eo quod nobis tunc plenè illuminata videatur, licet secundum veritatem æque semper sit illuminata, Atque hic finitur medietas mensis lunaris. Post hoc iterum incipit luna soli appropinquare, & per consequens ab inferiori parte lumine priuari, & versus superiorem partem lumine crescere, rursumque vt cornuta a parte altera, & semicirculi in modum apparet Luna 21. donec tandem iterum habeatur ex coniunctione nouilunium. Sicq; ppetua hac instabilitate luna mouetur, velocissimo suo motu quadruplicem sibi singulis mensibus varias illuminationem.

Quid plenilunium.

CAPVT XXXVII.

De *eclipsi facta tempore passionis Christi.*

Væ autem in capitulis præcendentibus de solis eclipsi dicta sunt, oportunè nimium conducere videntur ad considerationem eclipsis solaris, quam in sacris Euangeliis factam legimus media die, pendente in crucis patibulo solis, Lunæ, astrorumque omnium, imò cœli & terræ conditore Christo Iesu domino, & deo nostro, quæ notabilis & supra naturam insolita fuit, vt etiam gentium historiis, posterorum memoriæ sit prodita: præter quod diuinus ille Dionysius Areopagita, tum in Ægypto apud Heliopolim philosophus, in epistola ad Policarpum se pariter cum Apollophane summo philosopho eandem se conspexisse, vt cum admiratione maxima diligenter considerasse, testatur. Constat enim ex prædictis, hanc eclipsim nequaquam secundum naturam potuisse fieri, sed supernaturali tantum virtute. Nam tempus passionis Christi minimè conueniebat tempori solaris eclipsis. Hæc enim (Vt ostensum & probatum est) non nisi in coniunctione Solis & Lunæ fieri potest. Tempore vero passionis Christi plenilunium erat, & oppositio Lunæ ad Solem. Quod præter testimonium Dionysij, qui se asserit cum Apollophane in oppositione eam conspexisse, manifestè ex sanctorum Euangeliorum authoritate monstratur, quæ describunt Christum tempore Paschalis solennitatis in sancta Parasceue passum & immolatum. Paschalem autem solennitatem (vt ex legis præcepto habebant Iudæi) plena Luna celebrare debebant, Luna scilicet quintadecima: quemadmodum legimus Exodi. 12. capitulo. Non solum igitur tempus non fuit secundum naturam accommodum solari eclipsi, verum etiam maximè incommodum. Nullo enim tempore impossibilius est eam fieri, quam tempore oppositionis. Nunquam enim longius Sol & Luna absunt à coniunctione, quam oppositionis tempore. Exactius autem cuncta quæ in hac eclipsi contigerunt considerantibus, in vno portento quinque simul concurrunt considetanda miracula, quæ ad gloriam immolati in cruce agni, particulatim nos nomine pigebit explicare.

Dionysius Ariopagita eclipsim aduertit in passione Christi.

Quinque miracula in vna eclipsi.

Primum itaque fuit ex parte temporis, quoniam (vt iam diximus) secundum naturam erat ad eclipsis generationem minimè conueniens. Secundum erat in cursu Lunæ, quæ naturaliter suo motu proprio ab accidente in orientem progreditur. In hac autem eclipsi, visa fuit à Dionysio motu velocissimo reuertens præter naturam ab oriente versus meridiem, vsque dum steterit sub Sole, vbi per tres horas quieuit, & Solis lumen mortalibus occultauit. Post vero mortuo domino, ad proprium locum versus orientem, motu celerrimo, velut in instanti regressa est. Atque ita quidem hora sexta & nona apparuit sub Sole, vespere autem occidente Sole, in oriente apparuit, opposita Soli.

Tertium miraculum fuit ex parte, a qua incœpit eclipsis, nam supra declaratum est eclipsim solarem debere secundum naturalem ordinem incipere à parte occidentali corporis Solis. Illius autem eclipsis fuit initium à parte orientali Solis. Nam Luna (vt iam dictum est) retrocesit ab oriente versus meridiem, sicque primo Solem tetigit ex parte orientali.

Quartum fuit miraculum ex parte, in qua post peractam eclipsim primum, cœpit corpus solare lucidum apparere. In eclipsi enim naturali, pars illa Solis, quæ primum obumbratur interpositione Lunæ, prima antè incipit apparere lucida post eclipsis medium. In hac autem eclipsi, ordine contrario (quod mirabile est) pars illa quæ primo obscurata fuit, & quam primum subintrauit corpus Lunæ, postremo apparuit suo lumini restituta. vltima vero pars Solis, & quam nouissimè Luna intrauit (pars videlicet occidentalis) primum detecta apparuit, & ab obscuratione libera. Non enim pertransiuit Luna Solem, vti solet in naturali eclipsi, sed sub eo stetit trium horarum spatio, ac deinde non pertranseundo Solem reliquit, sed sursum ad locum vnde venerat (id est, ad orientē) redeundo. Quintum fuit miraculum, ex mora & duratione eclipsis. Nam eclipsis solis secundum naturam diu durare non potest, sed ocyssimè & celerrime absoluitur, propter nimiam solaris corporis ad corpus lunare super excessum secundum quantitatem, & velocissimum Lunæ motū. Propter quas duas causas concurrentes, non diu potest corpusculum tanto minus, corpus tāto maius nostro subtrahere aspectui. Siquidem (propter motum velocissimum) Luna diu nō potest nostro aspectui occultare Solē, corpus tantæ molis, aliqua ex parte mox emicare & effulgere incipit nostro aspectui. Quemadmodum videmus ad oculum, nonunquā magni corporis molem nostro aspectui abscondi, per minimi

corporis interpositionem, quod tamen si vel ad transuersum vnguem aut latum culmum loco moueatur, mox sub aspectum nostrum sese offeret quod ante fuerat ocultum. Vt cum (exempli gratia) ante oculos manum tantum tenentes, ita prohibemus ne conspiciamus globum Solis, qui mox se ingeret nostro aspectui, si vel minimum eam mouerimus. At verò ecclipsis ista (de qua loquimur) tam admirabilis & horrenda, non modici temporis fuit, neque ad momentum transiens, sed perpetuo trium horarum spatio, ab hora sexta (vt Euangelista ait) vsque ad horã nonam. Cuncta verò hæc miracula beatus pater Dionysius Areopagita, in supradicta epistola, paucis verbis particulariter videtur attingere, quemadmodum ex ipsius epistolæ verbis Astronomicæ rei perito facile fieri potest manifestum.

CAPVT XXXVIII.

Quod eclipsis ista tempore passionis fuerit vniuersalis.

SVper hęc verò omnia fositan & aliud miraculum sextum adiiciendum erit, secundum naturam, multo etiam magis quàm præcedentia impossibile. Videtur enim eclipsis ista de qua loquimur, fuisse penitus vniuersalis in vniuerso orbe. De quo tamen contrariæ extant sententiæ. Nam aiunt quidam tantum in iudæa fuisse hanc eclipsin: & quod Euangelistæ dicunt, tenebras factas super vniuersam terram, limitate intelligũt de terra Iudææ. Atque hi nihil opus habẽt aliud superaddere miraculum.

Altera vero probabilior, & scripturæ ratione, atque historicæ fidei magis consona opinio est, quæ vniuersalem dicit fuisse hanc eclipsin, super vniuersum orbem. Est enim hoc magis scripturæ consonũ, quæ simpliciter dicit super vniuersam terram, factas esse tenebras. Deinde & rationi magis consentaneum est, postquam ad glorificationem Pendentis in cruce, mundi conditoris eclipsin fieri voluisset gubernator naturæ, vt miraculum istud palam omnibus in toto mundo exhiberet, quandoquidem ad omnium salutem agnus ille in Iudæa immolabatur. Et decebat apud omnes, lapidem hũc reprobatum cœlitus clarificari: ita vt esset etiam exteris nationibus in testimonium abominandi facinoris, tam insolita cõspecta eclipsis. Quod etiam rei docuit euentus. Nõ enim solus ille in Iudæa Centurio, visis ijs quæ facta fuerant dixit, Vere filius dei erat iste: verumetiam apud Heliopolim in Ægypto Dionysium audiuimus conspecta re admiranda, memorabili verbo exclamasse coram sodalibus, Aut deus naturę patitur, aut mundi machina dissoluitur. Et ex hoc signo apud Athenas (quod in actis Apostolicis legitur) ignoto deo fertur aram fuisse inscriptam.

Psal.117.

Mat.27.

Dionysij memorabile dictum.

Act.17.

Præterea, miraculum illud de retrocessione vmbrę solaris in testimonium sanationis Ezechiæ regis, nõ in sola Iudæa, exhibitum neque perceptum fuit, verum etiam in exteris nationibus. Vnde & regem Babyloniorum legimus misisse ad eum literas & nuncios, vt inquirerent de portẽto quod acciderat super terram, quemadmodũ in libris Paralipomenon legimus. Quantomagis ergo signum istud, quod ad clarificationem saluatoris mundi fiebat, non in Iudæa tantum, sed & in exteris regionibus decuit vniuersale fieri?

Para.2?

Monstrat hoc ipsum fides historiæ. quoniam (vt Eusebius Cæsarienſis refert) Phlegon egregius Olympiadum supputator, libro decimotertio de hac eclipsi ita testatur, Olympiade. 202. magna & excellens inter omnes quę ante accidерant defectio solis facta est, & dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, vt stellę in cœlo visę sint terræque motus in Bithynia Nicenę vrbis multas ædes subuerterit. Ex cuius verbis manifestè patet, nec terræmotum peculiarem fuisse Iudęę, nec solis deliquium. Id quod ex conspectione stellarum probatur. Non enim efficere posset eclipsis solis particularis, vt vllę stellę in cœlo cõspiciatur, cum lumẽ solis non tollatur, vnde prohibetur stellarum aspectus. Maius enim lumen obfuscat minus. Vnde licet nobis abscõndatur globus solis, nõ ob hoc lumen eius aufertur, quo obfuscantur stellę vt videri non possint. Apparet ergo non solũ fuisse particularem illam eclipsin.

Phlegon

Quod si roges, quomodo fieri possit vt fuerit vniuersalis, cum luna (vt supradictum est) non possit sua interpositione totum corpus solis occultare ab aspectu nostro: hoc videlicet est quod dicimus nouum miraculum esse, vniuersalitatem istius eclipsis, vt facta intelligatur non solum per

Quæstio.

interpositionē Lunæ inter solem & terram, sed simul & per radiorum solarium retractionem. Diuina siquidem virtute factum creditur, vt sol quasi exhorrescens impiissimum scelus, quod super terram tunc gerebatur suum lumen à terra continuerit (quod nunquam fecisse legitur ab initio seculi) indignum ducens suo lumine terram lætificare, quando suū creatorem conspiciebat tam atroci & ignominioso mortis genere ab impijs cruciari. Itaque quemadmodum lunæ eclipsis vniuersalis intelligitur per realem totius luminis subtractionem, sic & istam imaginamur factam, per realem luminis à toto orbe subtractionem, quod nunquam secundū naturam in eclipsi solis potest contingere. Et ne cui nouū hoc commentū videatur, inuenimus planè huius sententię fuisse beatum Hieronymū. Denique quod Dionysius & alij cum eo Philosophi in Heliopoli ad contemplationem huius eclipsis animum intenderunt, non est verisimile factum esse nisi quod etiam ipsi experirentur tenebras. Cum enim nullo modo secundum cursum naturæ tempus esset eclipsis, nullam habebāt causam neque occasionem ad rem istam aduertendi animum, nisi quod easdem quas in Iudæa patiebantur tenebras sceleris perpetratores, sentirent etiam ipsi, vt fieret res incognitæ admiratores. Vnde verisimile est propter subitas & inopinatas tenebras quas sentiebāt, mox incepisse illos applicare animum ad huius res considerationem, quemadmodum ab initio (vt Philosophus testatur) ex admirari cœptum est philosophari. Apparet ergo nō in sola Iudæa fuisse hanc eclipsin particularem, sed penitus in omni terra vniuersalem: quemadmodum terræmotus non solum particularis fuit in Iudæa, sed etiam in alijs nationibus, vt retulimus ex descriptione digni fide etiam gentilis historici. Quæ vniuersalis eclipsis cum fieri non potuerit per solam Lunæ interpositionem, consequitur debuisse solem suos continere radios, vt cōcordi testimonio & vna compassione terra mota, diruptæque petræ in inferioribus, & luminaria, obscurata superne, lugerent simul & clarificarent reprobatū lapidem, appensum in cruce Christum dominum.

solutio.

CAPVT XXXIX.

Solutio cuiusdam obiectionis, & libri conclusio.

VErum contra hanc nostram sententiam obiiciat forsitan aliquis, Quonam modo hæc constant, vt solem dicamus continuisse lumen, stellas tamen in cœlo potuisse videri? siquidem (vt iam ante dictum est) à sole cætera astra lumen accipiunt. Si ergo (quemadmodum refert Phlegon) stellæ in cœlo videri poterant, certe & solem oportuit luce non esse priuatum. Alioqui & stellæ suum lumen perdidisset: ablata nanque causa, auferri oportet etiam effectū. Huic obiectioni respondebimus dicentes, Solem quidem non secundum substantiam priuatam fuisse lumine, quod illi secundum suam substantiam indeficiens dedit altissimus, sed tantum suum lumen continuisse, & suos radios retraxisse vt super terram eos non effunderet, nec aerem solito lumine illustraret. In terra enim scelus erat quod exhorrescebat, & cuius indignitatem volebat demonstrare. In superioribus autem non erat cur lumen cōtineret. Proinde quod in ptiori capite eclipsin istam similem fecimus eclipsi lunari, non ita intelligendum est, quasi sic sentiamus in eclipsi ista lumen vere defecisse soli, & omnino nō fuisse lucem in substantia solis, quomodo in sua eclipsi corpus Lunæ realiter priuatur lumine: sed tantum in hoc constat similitudo, quod sicut Luna in sua eclipsi nullum lumē ad inferiora mittit, sic neque sol tunc temporis radios vllos aut vllum lumen super terrā proiiciebat. Stat ergo solem continuisse suos radios, ne inferius lucerent super terrā: stellas tamen in cœlestibus solito lumine fuisse illustratas. Si rursum obiicias, quorsum Lunę interpositione opus fuit, si solis radij erant cohibendi? aut quid operabatur illa Lunę sub solari corpore suppositio, si cōtinuerit sol radios luminis sui? æque enim nihil lucis super terram fuisset effusum, posteaquam iussus est sol suos cō tinere radios, etiā si Luna non fuisset soli supraposita. Videtur ergo ista lunæ interpositio prorsus fuisse superuacanea.

Obiectio.

solutio.

Obiectio.

Dicimus lunam quidem vt creatorem glorificaret & sceleris horrorem mundo declararet, suo creatori compatientem, dei iussu (à quo indubie mouebatur) prę stitisse quod potuit, eámque hac in re suum voluisse præstare creatori obsequium, quoad posset solem occultando vt radios illius cohi-

solutio.

beret, & morientis in cruce gloriam mundo patefacere, & verisimile est lunam se directe soli supposuisse ex ea parte, quæ respiciebat sceleris huius nefandissimi locum, id est inter Iudæam & solem fuisse interpositam. Quod autem secundum naturam luna sua interpositione non potuit, id credimus diuina virtute per solarium radiorum retractionem adimpletum. Quidam verò etiam densissimarum nubium ponunt concursum. Sed quæ prius dicta sunt, videntur magis probabilia. Nam si per nubes totum negotium gestum fuisset, minus potuissent stellæ conspici, quæ facilius obumbrãtur nubibus quàm corpus solare. Item non potuissent ita limpide in Ægypto per Dionysium prædicta considerari, si nubium talis interiectio perfeciſſet negotium.

Sed nos iam à supremo cœlorum, in id quod fuit aliquando terræ infimum delapsi, nempe in illum qui suo ipsius testimonio vermis fuit & non homo opprobrium hominum & plebis abiectio, virorum nouissimus, vir dolorum & sciens infirmitates, cuius aspectus tanquam leprosi fuit, & non erat ei species neque decor, cuius præ humilitate iudicium sublatum est, lapis reprobatus, agnus occisus, hircus pro peccato, caper emissarius in crucem adactus, tandem fessum calamum in eo reponamus. Siquidem bonum est nos hic figere pedem, bonum est calami cursum sistere, atque in huius passionibus conquiescere. Fasciculus enim myrrhæ dilectus noster, nobis, & sponsus sanguinum, ipse est nobis: qui dum inter vbera commoratur, miras præbet cordis veras solásque puras delicias.

Psal. 21.

Esa. 53.

Psal. 117.

Canti. 1.

Et licet multa admodum iam diximus, in quibus altissima claresçit patris omnipotentia, & magnificentissima refulget eius gloria, veluti de cœlestium, orbium incõprehensibili & inæstimabili magnitudine, de astrorum innumerabili multitudine, de cursus primi mobilis incogitabili celeritate, de ordinatissimis singulorum planetarũ motibus, de solis gloria, de claritate luminarium, de mirabili ordine plenilunij, nouilunij, ac alijs huiusmodi compluribus, quæ nostrũ animum ad canenda in alacritate spiritus gaudiosa cãtica merito valeant prouocare: præeligimus tamen ad libri huius conclusionem, in hoc terræ infimo reprobato lapide conquiescere, & super doloribus ac humilitate eius vocem fletus assumere.

Vicit enim admiratio humiliatis eius, omnium conditorum supernorum gloriam. Siquidem in humilitate iudicium eius sublatum testatur Propheta. Nos proinde eiulationis vocem eleuantes, lamentationem canamus pendenti in cruce agno, qui tulit peccata mundi, cuius est nihilominus cum patre & spiritui sancto æterna gloria in secula seculorum, Amen.

Psal. 53.

FINIT LIBER SEPTIMVS.

LAMENTATIO MORIENTIS IN CRVCE AGNI, PROPTER QUEM PERDITAM APPENSI: QUEM IN TERRIS REPROBATUM, SUPERNÈ CLARIFICARUNT EGREGIA DUO LUMINARIA, DIEI & NOCTIS DOMINI.

VIS dabit capiti meo aquam, & planctum condignum super vnigenitum?

QVtinam lachrymis inebrientur oculi mei, & fontes mihi exurgant aquarum calidarum in medio capitis mei.

Vtinam in absynthium vertatur mihi cor meum: & digna amaritudine amaricetur in medio ventris mei.

Peccatum peccauit Hierusalem, & contaminata est vniuersa terra præuaricatione.

Virum iustum à Deo donatum, signis glorificatum plurimis, interemerunt: virum optimum, & mansuetissimum præceptorem.

Non sustinuerunt impij in mansuetudine arguentem, tollere animam eius conciliati sunt.

Oblatus est, quia voluit, & non aperuit os suum sicut ouis ad occisionem ductus est: & non aperuit os suum.

Propter scelus populi percussus est: & præ humilitate iudiciũ eius sublatum est.

Non est agnitus vultus eius: donec in patibulo appensus est.

Ibi clarificata est maiestas eius in cunctis populis: tũc & exteri coluerunt ignotum Deum, quem domestici repulerant oblatum.

Morte turpissima à filiis populi sui condemnatus est: & cum iniquis innocens agnus deputatus est.
Ach, quomodo obscuratum est aurum: mutatus est color optimus?
Quomodo abscondita fuit agnus Dei, fortitudo tua, cum essent cornua & spicula in manibus tuis?
Propterea sedebo mœrens & gemens, suspirabo & gémam Vt columba, sicut passer solitarius in tecto vociferabor.
Ipse rex meus & Deus meus: princeps meus, notus meus, amicus & creator meus.
Renuam consolari, & afflictus affligar: sicut mater lugés super vnigenito vteri sui.
Sol cognouit, non cognouit homo: Luna in plenitudine sua vidit exaltatum.
Cœli obstupuerunt, illudente Iudæo: & omnis ordo cœlestiũ conturbatus est.
Sol retraxit lumen suum, & continuit super iniquitate quam vidit in terra, radios suos.
Luna respuens plenitudinem suam: subitò se gyrans per meridiem soli se supposuit.
Nuditatem appensi operuerunt tenebris suis densissimis: denudauerat enim Iudæus ad confusionem patrem suum.
Maledictus puer Cham, & maledicta hæc posteritas eius: erũt serui cunctarum nationum, & dispergentur in omnes populos.
Petræ scissę sunt: terra mota est fundamenta montium conturbata sunt.
Inanimes creaturæ (quibus non est intellectus, neque ratio) cognouerunt creatorem suum: & multa potentia glorioſe clarificatus est in eis.
In terris visus non est agnitus: populus peculiaris repulit creatorem suum: in crucem subleuatus est, & claruit maiestas.
Qui gloriantur se habere scientiam Dei, & policentur cæcis ducatum, quasi talpæ non agnoscunt Solem: inanimis creatura (cui non est cor neque ratio) agnoscit etiam nube obtectum.
Reuertere Luna in locum tuum, reuertere: quoniam expirauit Deus, cosummata clamans omnia.
Restituatur nobis lumen tuum, dominator Sol: vt videamus ad sepeliendum mortuum.
Ita pater, ita Deus, ita dominator dominus, quoniam sic placitum fuit ante te.
Sic sic Christum pati oportuit: & in ligno iterum clarificari,
Propter nos vniuersa ista per te scimus esse completa, omnia propter electos tuos.
Ita pater, voluisti exaltari in ligno dulcem filium tuum, vt exaltatus ad se cuncta attraheret.
Vt cognoscant quoniam ipse est quem misisti in mũdum, glorioſis prodigiis illum voluisti glorificare in nationibus.
Operiat nos Iesu bone ignominia tua & impleatur cor nostrũm ah ea.
Educ de oculis nostris lachrymas per diem: & nocte non cessent oculi nostri.
Non contineat se super te os tuum: & labia nostra confitebuntur nomini tuo in seculum.
Dicant nunc quæ longè sunt nati ones: quoniam regnauit à ligno Deus sempiternus.
Hierusalem, Hierusalem, conuertere ad dominũ Deum tuum.

FINIT LAMENTATIO.

LIBER OCTAVVS CONSIDERATIONIS PHYSICÆ DE anima in genere, deque potentiis vegetatiuis specialiter: item & de logitudine atque breuitatæ vitæ.

PRAEFATIO.

OMNIA quæ facit altissimus, exquisita iuxta omnes voluntates eius, summa vtique confessione sunt admiranda. At verò præ omnibus hominis origo amplius est spectanda. Quippe magnum miraculum sunt singula hominis membra, singulæ vires, singula organa, singulæ operationes. Signa quæruntur homines de super, & prodigia stupidi spectant. Miracula omnes cupidi sumus: cum sint hæc omnia intra nos

Nota.

verisſima,ſpectatuque digniſsima miracula. Quæ verè non ſunt miranda,miramur attoniti: vera miracula non eſt qui admiretur. Ecce enim ipſum caput ſuum quod ſupra humeros collo iunxit Deus naturæ, quiſquis apprehenderit, magnum ille & multo maximum miraculum tenet: quippe in quo tam mira fiunt opificia ſuis quæque officinis diſtincta, ſub vnius craneiosſeo tegmine,vt huius miraculi nemo ſufficiat,nec phyſicus,nec medicus indagare celſitudinē, aut dignè etiam admirari. Quamobrem non fruſtra Græcorum ſapiētes ſolenni præſcripſerunt apophthegmate γνῶθι σεαυτόν quod Latinis ſonat, Noſce teipſum. Intra nos enim habentes mirabiliſsima,qualia non ſunt in cœlo ſurſum, neque in terra deorſum,nihil opus habemus foris quæ admiremur,aut in quibus oblectemur expetere. Neque maria nobis in hoc ſunt enauiganda, vt quæ mira prædicantur cernamus: cum mirabiliora multo quam vſquam locorum inueniri poſsint, ipſi ſemper circunferamus. Atque id quidem verum eſt & indubitatum,etiam ſi ea tantum quæ corporis ſunt conſideremus. Quod ſi ad interiora animæ fuerimus introgreſsi,quaſi in ſecretiora penetralia rem prorſus diuinam comperiemus in creato corpore. Hac de cauſa non erit completum noſtrum deſiderium,donec & hæc dei magnalia maxima, quę nobis ab anima (ſiue in ſeipſa, ſiue in corporeis organis) inſunt, balbutientes rudi ſaltem raditione pandamus.

CAPVT I.

Quid ſit anima ſecundum veritatem.

SIc eſt humana generatio miſera,vt quæ ſibi intima ſunt, non niſi obſcuriſsimè cognoſcat. Quo fit vt animæ cognitio ſit nobis eo difficilior, quo ipſa eſt intimior. Vnde & veteres philoſophi diuerſiſsimas de anima ſententias,pro ſua quiſque ſecta, reliquere. Qui tamen omnes in hoc conueniunt,quod ipſam ponunt principium earum operationum, quas de foris in animatis rebus conſpicimus. Cæterum, ſigillatim ſingulas eorum ſententias expendere, non eſt noſtri propoſiti. Satis habemus, animæ quidditatem ſimplici veritate deſcribere,eiusque vires & officia deliniare. Quorſum enim attinebit,ſopitos & diu iam extinctos errores,refuſcitatos in lucem reuocare? Animam autem definit Ariſtoteles in hunc modum.

Anima eſt primus actus,perfectioque corporis naturalis,potentia vitam habentis,& talis plane, vt eius partes ſint inſtrumenta.

Hæc definitio cum ſuæ declaratione apud Ariſt. ponitur 1. ca. 2. lib. de anima.

Hoc eſt,anima eſt forma ſubſtantialis, ipſam materiā ſeu totum compoſitū actu perficiens cui ineſt,quæ potēs eſt ſuū actum ſeu operationem vitalem exercēre in corpore phyſico varijs organis & partibus ad hoc diſtincta. Anima hic capitur pro omni anima, ſiue vegetatiua, ſiue ſenſibili irrotionali, ſiue rationali. Cum autem actum primum dicimus: omnes habitus,ſpecies potētias,aut accidentarias diſpoſitiones abiicimus: quæ animæ vt ſint inſtrumenta certe nunquam anima ſunt dicenda. Et quanquam actus quidam dici poſsint (nimirum formę accidentales) non ſunt tamen actus primi & ſubſtantiales,ſed actus tantum ſecundi & accidentales.

Actus enim ſecundi ſunt,quia à forma ſubſtantiali producuntur & tantum ſunt animę inſtrumenta,quibus ſcilicet tāquam inſtrumentis in ſuis operationibus vtitur anima, quēadmodum potentia viſiua vtitur anima vt inſtrumento ad efficiendam viſionem,ſicut forma ſubſtantialis ignis vtitur calore vt inſtrumento ad quippiam calefaciendum. Sed anima actus prior eſt,à qua nimirum omnia iſta procedunt. Quoniam vero nullius artificialis operis anima eſt, idcirco corporis phyſici actus ponitur,hoc eſt,forma rei naturalis. Actū enim formam dicimus, & phiſicum idem quod naturale.

Non autem cuiuſlibet corporis phyſici forma eſt anima,ſed talis cuius partes ſint inſtrumenta, vel organa quod omnino idem eſt,hoc eſt organis diuerſis adornatum atque diſtinctum,ad diuerſas vitę operationes exercendas. In homine enim oculus, auris, manus, os venter, cor &cætera omnia ſunt organa diuerſa diuerſimode diſpoſita,ad diuerſas vitæ operationes. Et quæ pauciores inter viuentia habent operationes,vt plantę: conſpiciuntur etiam pauciora habere organa radices,medullas,neruulos,atque huiuſmodi paucula. Quæ vero omnino non viuunt(vt elemēta,vel etiam inanimata mixta atque metalla) non habent eiuſmodi organa: quod nullas habeant vitæ peculiares operationes.

Et ne credatur cadauer etiā animā habere,& ne forma ea

daueris anima putetur, dicitur anima esse actus eius corporis organici, quod vitam habeat in potentia, hoc est, quod per hæc ipsa organa posit vitæ officia exercere. At in cadauere, nõ est vltra oculus vel auris in potentia vt audiat, vel videat nihilo certe amplius, quàm trunci aut elementi cuiuspiã partes. Quare & cadaueris forma, per putrefactionem statim hæc omnia vt sibi inutilia dissipat: vt paulo post animæ abscessum, cadaueris forma, digitos, & nares & oculos & vniuersa prius varie disposita organa, æquet in puluere & cinere. Repetit Aristot. animæ definitionem fere iisdem verbis, hisce videlicet,

Anima est perfectio prima primusque actus corporis naturalis, cuius partes sunt instrumenta.

Quę sic quoque redditur.

Anima est actus corporis physici organici, vitã habentis in potentia.

Nec minus congrue, & ab officijs definiri potest anima, hoc modo, Anima est principium quo viuimus, sentimus, atque mouemur.

CAPVT II.

Diuisio animæ & quæstionis cuiusdam determinatio.

Arist. 3. c. 2. lib. de anima.

Diuiditur autem anima in vegetantem, sensitiuam, & rationalem, iuxta tria precipua animæ officia.

Prima est in omnibus viuentibus: secunda, in sentientibus: tertia, in omnibus hominibus. In plantis est sola vegetans: quoniam hæc nec sentiunt, nec ratiocinantur. In brutis est anima & vegetans & sensitiua. In hominibus est anima & vegetatiua & sensitiua, insuper rationalis: etiam in illis qui debitum ratiocinationis actum, ob indispositionem virium interiorum atque organorum, habere non possunt.

Quæstio an vnica an plures

Verum ex his videtur oriri quæstio, debeant ne in homine poni tres animæ, locali situ in diuersis seiunctæ partibus, an magis coniunctæ. Rursumque si coniunctæ loco, an re

plures ponendæ sint hæ animæ, an ratione tantum differentes, vt vna anima hæc tria sortiatur officia atque nomina. Sic item de duabus animabus in brutis quæstio formari poterit. *in homine sint animæ.*

Solutio.

Sane hæc ambiguitas solet scholasticis exercitationibus magnum campum præbere: & sunt hac de re contraria sentientes Philosophorum sectæ. Nos vero nostri instituti memores, propositam breuitatem tenere cupientes, hoc tantum (quod videtur verisimilius) citra præiudicium eorum quibus contraria magis placet sentẽtia, asserimus, In bruto quolibet secundum rem vnicam inesse animam, quæ à sentiendi officio, sensitiua: à vegetandi officio, vegetatiua nominatur: diuersis vtique (sicut per se claret) rationibus, & hanc animã vegetantem pariter atque sentientẽ, per totum quod informat corpus esse dilatatã, quanquam operationum quarundam certas & determinatas habeat sedes vel officinas in quibus ipsæ aut solum aut excellentius perficiãtur, quam in cæteris partibus. Sic & de hominis anima sentiendum, eam videlicet vnicam esse in omnibus corporis partibus, eandem & vegetatiuam & sensitiuam & rationalem à qua corpori sit, vt vegetetur, & sentiat quæque homini ratiocinandi potestatem donet. Includit autem rationale sensitiuum & vegetatiuum, sicut tetragonus includit trigonũ, id est, quadrangulare triangulum, & sicut perfectum includit imperfectum absq; vlla compositione. Quod ita debet intelligi, quia in quocunq; inuehitur potentia ratiocinandi, in eodẽ sunt anima vegetatiua & sensitiua, at non econtrario: & in quocunq; est sensus, est etiam potentia vegetatiua, at non econtrario. In plantis enim est vita vegetatiua, non autem sensus vel ratio, quemadmodum in quadrangulari includitur triangulare sed non econtrario. Non enim vbi tres anguli sunt, statim adsunt quatuor. Vnus enim deest, & vno superatur triangulus à quadrangulo. *Ari. 3. c. 2. lib. de anima.*

CAPVT III.

Quod sit potentiarum animæ subiectum, & an possint ab anima separari.

De subiecto potẽtiarum

RVrsum & illud de potentijs animæ quæri solet, an sint in anima? an in coniuncto? id est corpore & anima pariter iunctis. Itémque, si vllæ potentiæ possint

ab anima seperari, vt absq; eis perdurare possit anima?

Quibus erit breuiter satisfaciendum; dicendo, quasdam vires animę in anima sola esse, eas nimirum ad quarum exercēda officia corporis organum determinatum non habet: vt sunt voluntas & intellectus, quarum potentiarum operationes exercet anima, non per vllum corporis organum determinatum, etiam si corporeorum organorum iuuetur adminiculo. Quasdam vero esse in coniuncto, id est corpore & anima, seu in ipso composito: eas nimirum, in quarum exercitijs anima eget organo determinato: vt sunt potentia visiua in oculo, memoratiua corporalis, & imaginatiua in cerebro, & ita de cæteris. Inter has igitur vires illæ quę perficiunt suas operationes non per organum corporeum, non possunt vnquam ab anima separari, nec sine eis esse anima aut permanere potest. Quæ vero sunt in aliqua parte corris, & quæ vt perficiant suas actiones egent organis corporeis, hę animam non consequuntur em: grantem è corpore: & potest vtique rationalis anima absque huiusmodi subsistere. Vnde anima à corpore separata non habet potentiam vegetandi, neq; sentiendi: quanquam ad huiusmodi actiones possibilitatem habet. Non enim idem existimanda est possibilitas sentiendi, & sentiendi vis naturalis, siue naturalis potentia. Omnino tamen in ipsa anima, potentiæ istę radicaliter manent: ita vt si iterum in corpus mitteretur ad informādum, rursum in organis determinatis eas efficeret: quia tamē à corpore separata est, non actu & formaliter in se habet, nisi eas potentias quæ immateriales sunt.

CAPVT IIII.

Quod sola rationalis anima manere potest à corpore separata, & quod sola non educitur de potentia materiæ.

Consequitur insuper ex iis quæ predicta sunt, cum anima vegetatiua & sensitiua in plantis & brutis, nullam habeant vim neque potentiam naturalem, quæ non sit colligata corpori, non posse eas extra materiam & corpus separatim permanere, sed necessario interire simul vt à corpore expelli eas contigerit. Anima vero rationalis, quoniam aliqua parte supereminet corpori, & vires aliquas

operationesque naturales habet, quæ a materia nō pendeāt: idcirco (quatenus rationalis est, corpori non penitus immersa, sed aliqua ex parte corpus excedens, & modo quodam per se subsistens) potest separatim subsistere. Nec mori ipsam necesse est cum à corpore migrat. Ea vero parte qua sensitiua est & vegetans, non esset separabilis à corpore.

Atque hinc est quod dici solet, animas sensitiuam & vegetatiuam educi de potentia materiæ, non autem creari. Latent enim in materia (ex qua viuens concipitur) rationes seminales eiusmodi formarum, sicut & cæterorum quæ animata non sunt, ita vt hæ animæ (sicut & omnes formæ corporeæ) extrahantur de materia, quæ est imposibilitate ad omnem formam per actionem agentis creati. Anima autem rationalis quia præ nobilitate virium a Deo sibi datarum secundum quas imaginem Dei in se gerit, supercedit corporis grossitiē atque ignobilitatem, ideo de materia virtute naturalis actionis elici non potest. Neque latent in materia generationis, sed creantur à Deo sigillatim rationales animæ omnes, sicut sigillatim infunduntur in sua quæque corpora: testante Psalmista, quoniam Deus finxit sigillatim corda filiorum hominum. *Animæ rationalis nobilitas.* *Psal. 32.*

In hoc tamen conueniunt omnes vires, tam animæ secundum se quam totius coniuncti, quod fluant omnes ab essentia animæ: sicut à forma substantiali procedunt & conseruantur accidentia rei, quæ in materia seruantur. Propter quòd in anima separata licet realiter non insint potentiæ illæ corporales, quæ in exercitio suarum actionum indigent organo corporeo, secundum radicem tamen in ipsa adhuc latent, & propter solum defectum subiecti in quo reciperentur, deficiunt non propter animæ impotentiam, aut naturæ eius permutationem.

CAPVT. V.

De diuersis in anima potentiis.

Quanquam autem superius animam secundum tres tantum potentias diuisimus, in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem vel intellectiuam, sunt tamen potentiæ primo cōueniētes animæ quinq; numero, videlicet

vegetatiua, sensitiua, appetitiua, motiua & intellectiua. Quæ re autem animam trimembri tantum diuisione dissecuimus, ratio est, quia duæ illæ potentiæ, appetitiua & motiua, non inueniuntur separatim absque aliis. In quocunque enim est vis sentiendi, in eodem est & vis appetendi, & secundum locum se mouendi, atque econtrario: neque in vllo Viuentium hæc separata inueniri possunt propter quod ex neutra potentiarum illarum sumpta est animæ diuisio. Sic neque voluntas (quæ tamen ab intellecto distincta potentia est) speciale aliquod membrum facit in diuisione animæ, quoniam non inuenitur in vllo viuentium ab intellectu separata. In quocunque enim est intellectus, etiam & voluntas, & econtrario. Vnde sub intellectiuo comprehenditur volitiuũ sicut sub sensitiuo appetitiuum, & motiuum secundum locum.

Vnde potentiarum diuersitas colligatur.

Generaliter autem distinguntur in anima diuersæ vires atque potentiæ, secundum operationum differẽtiam. Quotquot enim in homine sunt ab inuicem differentes operationes, quæ ad vnum non spectant organum, tot sunt potentiæ ab inuicem diuersę. Vnicuique enim operationi correspondet in anima vis aliqua naturalis ad talem operationem efficiendam. Et quidem si operatio corporalis sit in organo aliquo corporali aut in vlla parte corporis singulariter apparens: ipsa etiam potentia corporalis videbitur, & ab anima quidem radicaliter effluens, illi tamen organo peculiariter insidens. Quemadmodum (exempli gratia) homini operatio quædam in oculo adesse cognoscitur, per quam colores percipit, & res coloratas, gratia coloris dignoscit. Vnde cõsequitur esse in oculo vim quandam atque potentiam talis operationis effectiuam, quę dicitur virtus visiua. In lingua verò operationem aduertimus, qua saporum percipimus differentias, quod in nullo aliorum membrorum percipimus.

Vnde oportet huic operationi, vim quandam ipsius effectiuam respondere, quæ dicitur virtus gustandi. Cum verò operatio ipsa per totum corpus & singulas partes similiter extendi videtur, oportet & ipsam vim ita per totum corpus expendi. Vnde quia actus tangendi singulis membris competit, necessario, & ipse tactus per corpus totum expenditur, ac singula occupat membra. Item de nutritione dicendum, & potentia nutritiua.

Ex hoc verò intellige, quã variis sit anima potentiis atque naturalibus virtutibus adornata, vtpote à qua tam multæ, tam variæ, tam nobiles, tam eximiæ, procedere cospiciũtur operationes, vt eis contemplandis vix homo sufficiat, vt ne dicam enumerandis aut plene comprehendendis.

CAPVT VI.

Partim esse à perfectione, partim ab imperfectione, quod homo tam varias habeat potentias.

Quod vero tam varias vires habeat homo secundum naturalium operationum multiplicium diuersitatem, partim quidem ab imperfectione est, quoniam omnis discessus ab vno & simplicitate, & imperfecto est: partim vero perfectionis est indicium, quod per multas has vires ad multas ac varias operationes aptus conspiciatur homo atque naturali efficacia idoneus. Vnde est considerandum quasdam res esse quæ pauciſsimas habeant operationes, quæ proinde multas potentias non habent. Aliæ sunt, quæ multę sunt perfectionis, sed hanc non nisi per multas obtinent potentias, & variè separatas, vt patet in hominis visu, auditu, phantasia, memoria, intellectu, affectu, vt generatiua, digestiua, ac cæteris. Sunt præter has res aliæ simpliciores, quę magis ad vnum & summum bonum accedentes, multam nimis perfectionem pauciſsimis attingunt potentiis. Hi sunt spiritus illi cœlestes, qui intellectu & affectu, nullo v tentes sensu, nullisque corporeis organis, multo possunt ampliora quam genus humanum possit vniuersum. Super omnia est Deus seculorum, qui summam perfectionem simpliciſsima habet potentia, atque vnica virtute, quæ nec ab ipsius essentia secernitur. Quandoquidem quicquid in Deo ponitur, ab eius essentia non distinguitur. Ipsius summę atque simpliciſsimæ virtuti omnes nostrę deseruiunt multiplices vires. vt magnificent gloriam nominis eius, quæ est sempiterna. Ipse est enim, qui simpliciſma sua perfectione nos multiplicare facit (licet imperfectè) perfectos: cuius proinde magnificæ bonitati, nos decet in omnibus dare laudem & gloriam.

Deus perfectiſsimus actus et perfectiſsimæ virtutis,

CAPVT VII.

Consideratio pulchra de correspondentia admirabili corporis & animæ.

ILlud vero attentius considerantibus quantam præbet suauitatis dulcedinem, quod cum corpus res sit crassa, materialis, & ignobilis, anima vero spiritus & res nobilissima, talis nihilominus & tanta inueniatur vnius ad alterum correspondentia talis harmonia, talis consonantia, vt maior vix possit cogitari. Sicut enim corpus hominis super omnia mũdi corpora mirabilissime est organizatum atque pulcherrimè distinctum, artificiosissimeque fabricatum: ita & anima quæ huius corporis inhabitationi deputatur, nobilissima est atque pulcherrima: sic corpori correspondens, vt iuxta suam capacitatem & dignitatẽ ipsum totũ impleat, eiusque omnia organa viuificet & informet, omnibus illis tam diuersis organis dando vitam, sensum, & motũ atque operationes peculiariter cuique cõuenientes. Et quemadmodum in corpore est maxima & ornatissima diuersitas organorum, quæ tamẽ omnia secundũ pulcherrimũ ordinẽ adinuicẽ cõiuncta, vnu corpus efficiunt, nec obstat tanta partium diuersitas, quin in vnũ possint corpus cõpingi, imò tanto pulchrius, tanto ornatius & spectabilius est hominis corpus, quod ex tanta sit varietate artificiosissimè cõpositum, quã si eiusdẽ dispositionis essent omnia mẽbra. Ita proportionabiliter anima habet multiplicitatam nobilissimarum potentiarum, & dignissimorum officiorum, quorum quædã aperta sunt & sensibus exposita, plura verò latent interius: certissima tamen experientia â nobis percipiuntur & cognoscuntur. Habetque anima diuersa ista officia, iuxta proportionem & exigentiam organorum corporalium, ita vt quot sunt membra organica distincta secundũ qualitates, totidem sint etiã virtutes & officia distincta ipsius animæ. Diuersitas enim organorũ & instrumentorum in corpore, arguit diuersitatem potestatum, virtutum, & officiorum ex parte animæ. Nec tamen tanta hæc multiplicitas scindit, sed ornat animę vnitatem. Quemadmodum enim vnus idẽque homo diuersa potest habere officia, & artes diuersas, quas exercet per varia & dissimilia instrumenta, sic anima diuersas habet virtutes, quas exercet per dissimilia organa. Est autem hoc in mãgnum animæ ornatum & gloriam, quod ita diuersis sit instructa prędita que virtutibus (quæ omnes radicaliter ad ipsa in corpus effluãt) vt nullum omnino sit in corpore membrum quomodocũque dispositum, quod non sua maiestate impleat, & cui non pro sua natura debitam virtutem aq; potentiã infundat: ita vt nullũ membrũ relinquat vacuum, cui non vitã, sensum, & motũ concedat: nullum etiam si organum, quod non pro suę naturę exigentia debitã sibi virtutem ab animę plenitudine recipiat, vt oculus sumit videndi virtutẽ, auris audiendi, lingua gustandi, manus operandi, pedes ambulandi, genua sese incuruandi atque voluendi, & ita in singulis membris.

Ordinata varietas est corpori ornatus.

Contemplatio pulcherrima matrimonij inter corpus & animam

Ecce verò mirabile istud inter corpus & animã matrimonium, ecce pulcherrimã consonantiã & admirabilẽ coniunctionẽ inter mẽbra corporis organica ex vna parte, & virtutes seu potestates animę ex parte altera. Vide, quomodo singula organica mẽbra, singulis virtutibus desponsantur ac velut nubunt & coniunguntur inuiolabili inseparabiliq; societate. Vides ex parte vna corpus velut substratum, cũ multitudine diuersissimorum eorundẽmque pulcherrimorũ organorum. ex aduerso autem animã vides hoc corpus sibi desponsantem, in corpus istud intrantem, totam plenã nobilissimis potentijs, & talibus potẽtijs, quę singulis corporis mẽbris respondeant. Quid hoc matrimonio pulchrius? quid hoc spectaculo iucundius? Verè qui hæc iunxisti, magnus es Domine & mirabilia opera tua: tu es Deus solus, & præter te non est alius, tibiq; gloriam canit omnis compago corporis nostri: & vniuersa animę plenitudo, qui viuis benedictus in æterna secula, Amen.

CAPVT VIII.

De potentijs animæ vegetatiuæ in speciali.

VT autem per ordinem nunc de singulis determinemus primo consideranda est potẽtia animę vegetatiua quę alio nomine nutritiua appellatur. *Arist. 2. li. de anima 40.*

Habet autem hæc potentia vegetatiua tria præcipua officia, alere, augere, & generare.

Vnde potentia vegetatiua diuidi potest in potentiam nutritiuam siue altricem, augmentatiuam, & generatiuam: quæ tres potentiæ reperiuntur in vitam habentibus. Prima est propter conseruationem substantiæ ipsius viuentis.

Omne enim viuens quandiu viuit, nutriri opportet.

Quia enim stabilia non sunt viuentia, sed in fluxu continuo, propter virtutem igneam perpetuo consumentē & partes aliquas dēuastantem, idcirco ad conseruationem subsiātiæ animalis operatur anima circa alimentum, vt ex eo continuo instauret, quod per resolutionem deperditur. Nam vbi continua est absque reparatione resolutio, fieri non potest, vt durabilis sit talis rei subsistentia. Quapropter recte dixit Aristoteles viuēs eousque nutriēte indigere, quousque perseuerat, alimento autē priuatum non posse subsistere. Secunda vis est augmentatiua, qua nimirum anima ipsum corpus in iustam & naturæ conuenientē potest perducere quātitatem. Nullum enim viuentium ab initio habet perfectam suam quantitatem, sed per pusillum est cum vitam recipit. Anima verò continua operatione sua, circa alimentum occupata, non solum curat id quod defluit restaurare, verum etiam maiorem adiicere quantitatem, dum plus infulcit sua actione, quàm sit consumptione deperditum. Est autem huius virtutis à priori differentia, quoniam non oportet viuens omne quandiu viuit augeri: nutriri vero & ali simpliciter omnibus viuentibus necessarium est. Est tamen secundum rem harum duarum potentiarum idem obiectum, sed ratione tantum diuersum. Alimentum enim & nutrit & auget, sed quantum reparat quod deperditum est nutrit, inquantum verò etiam maiorem quantitatem reddit quam præfuit, auget. Et est quidem anima principalis harum operationum effectrix, pro instrumento tamen habet naturalem calorem per quem concoquit & altera nutrimentum (quod ante nutritionem est alito contrarium & dissimile) vt fiat simile, & aptum quod traiiciatur in membra corporis alendi. Quia enim nutrimentum dissimile est ipsi quod nutriri & augeri debet, impossibile foret ex alimento fieri nutritionem aut augmentationem, nisi ipsum alteraretur, vt simile fieret alito. Hæc autē alteratio rectissimè ttribuitur calori, quo tanquam instrumento & causa secundaria vtitur anima, de quo plura suo loco dicemus in sequentibus capitulis.

Arist. 2. li. de anima. 4.c.

CAPVT IX.

De virtute attractiua, digestiua, retentiua, & expulsiua.

SVnt autem particulares quædam vires, potentijs iam dictis subseruientes, vt pote sine quibus fieri non possit, nutritio, vel augmentatio.

E sunt, virtus attractiua, virtus retentiua, virtus digestiua, & virtus expulsiua. *4. potentiæ*

Quia enim in perfecta nutritione singula membra oportet nutriri, ideo necesse est vt in quolibet membro virtus sit quædam, per quam nutrimentum attrahat quo nutriatur, nō secus quàm in magnete virtus est quædā & efficacia ad se attrahendi ferrum. Verum quia non potest membrum ex attracto nutrimento ali siue nutriri, nisi ipsum quod attractum est, omnino secundum speciem simile fiat ipsi membro nutriendo: ob hoc virtute digestiua opus habet, per quā nutrimentum concoquatur & transmutetur, vt simile sit membro alendo, sicque ipsi sufficiat nutritioni. Nam impossibile est nutritionem fieri, nisi prius ipsum alimentum simile factum sit nutriendo. Nutritio enim (vt supra indicauimus) fit ex alimento prius dissimili, facto tamen simili, antequā fieri possit nutritio. Quia verò non potest virtus naturalis agere in instanti, sed tempore eget, vt digerat alimentum ac simile reddat alito, idcirco ne dissipetur materia attracta, retentiua virtute est opus. Nihil enim ad nutritionē proficeret attraxisse alimentum, si deesset virtus ipsum retinendi, donec secundum qualitatem conuenientem esset immutatū, quemadmodum videmus nonnullos interdum sumere cibū, vel potum, sed ante concoctionem siue digestionem cōgruā, statim vel per os vel per posteriora eiicere.

Attractiua.

Digestiua.

Retentiua.

Expulsiua.

Sed quoniam in omni alimento impuritatum est commixtio, quæ per digestionem separantur ab eo quod nutritioni est accommodum, idcirco ne illæ impuritates ad nutritionem perficiendam ineptæ in hominis corpore remanentes putrefactionem & morbos generent, necessariū fuit virtutem inesse membris ad expellēdum eiiciendumq; quod nutritioni non conuenit. De his autem particularius differere, Medicorum potius est quàm Physicorum.

CAPVT. X.

De potentia generatiua.

Generatiua.

TErtia vis animæ vegetatiuę est, potentia generãdi, quia scilicet viuens potens est generare sibi simile, secundũ speciẽ. Quã potentiã Arist. dicit esse præcipuã, ita vt iustum putet potentiam vegetatiua à generatiue tãquam præcipua, denominari. Ait enim opus generationis esse aliorum finem, nutritionis scilicet & augmentationis. Nam ad hoc animal nutritur & augetur in iustã quantitatem, vt cum perfectum

Arist. c. 4. 2. lib. de anima.

" fuerit, gignat sibi simile. Naturalissimum enim & pręcipuũ " opus (vt Aristoteles ait) est generare simile, & in quo viuen- " tia maxime assimilantur summæ illi Diuinę bonitati, quę sua " virtute progignit vniuersa. Item & secundum æternam du- " rationem. Quia enim in hoc à Deo deficiunt, quod secundũ numerũ, vt ille, æterna permanere non possunt: idcirco dum sibi simile generando, ita in specie permanent, quodammodo æternitatis participes fiunt, atque ad Diuinæ durationis aliquatenus accedunt similitudinem, quantum ipsorum permittit conceditque natura. Est autem hæc virtus, nec in solis animalibus, neque etiam in omnibus. Non quidem in solis animalibus, quoniam quidẽ & plantę complures eandem vim participant. Vim enim generatiuam habent, quibuscũque à Deo semen est datum. In semine nempe virtus est formatiua similis secundum speciem. Hinc & naturæ prouidissimus benignissimusque institutor Deus, cum de terra vellet arbores, herbãsque verbo suę iussionis educere, iamiã de generationis vi sollicitus, semen pariter in eis voluit inueniri.

Neque solũ animal, neque omne sibi simile generat.

Gene. 1

Sic enim ait, Germinet terra herbam virentẽ, & facientẽ semen, & lignũ pomiferũ faciens fructũ iuxta genus suũ, cuius semen in semetipso sit super terram. Post cuius verbũ in sacra historia subditur, Et factum est ita. Et protulit terra herbã virentẽ & facientẽ semen iuxta genus suũ, lignumq; faciẽs fructũ, & habens vnumquodq; sementẽ secundũ speciem suam. Ecce quam sollicita & diligens hic fiat seminis mentio, vide quomodo ab initio fuit de generandi virtute sollicita Dei prouidentia. In quibusdam verò non solũ ex semine fit simile secundũ speciem, verumetiam ex ramusculo tantum pręciso absq; vllo semine arbor crescit aut herba similis illi à qua

desumpta est particula. Quod autem non in omnibus animalibus, neque in omnibus viuentibus inueniatur, per experientiam est manifestum. Nam quædam sunt animalia, spontaneam generationem habentia, quæ non ex seminis propagatione, sed putrefactione nascuntur, quanquam inter hæc quædam indifferenter, vel ex putrefactione nascãtur, vel ex semine. Illa etiam quæ ex diuersarum specierum commixtione generantur, non sunt nata generare sibi simile. Vnde mula (quæ ex commixtione equi & asinæ gignitur) nescit generationem. Est autem huius potentię à prioribus duabus differẽtia, quoniam operationis illarum effectus completur & manet in ipso subiecto, in quo in sunt potentiæ. Effectus autem operationis virtutis generatiuæ extra subiectum est ipsius potentiæ. Potentia enim nutritiua & augmentatiua, ipsum suum indiuiduum in quo est, nutrit atque augmentat. Nulla autem res per potentiã geneneratiuam seipsam generat, sed aliud distinctum indiuiduum, simile tamen secundũ speciem. Ex quo manifestè patet, nobiliorẽ ac digniorẽ esse virtutem generatiuam duabus potentiis prioribus. Siquidẽ ista ad speciei conseruationẽ immediate ordinatur, illæ verò immediate ad sustentationẽ & perfectionem indiuidui. Species autem nobilior est indiuiduo, vtpote quę per se pars est vniuersi, non hoc aut aliud indiuiduũ. Vnde (quẽadmodum supra diximus) nutritiua & augmentatiua ad generationem tanquã ad finem ordinãtur. Aduertendum insuper, quod circa idem obiectũ aliquo modo versatur potẽtia generatiua circa quod versari diximus nutritiuã & augmẽtatiuã. Quomodo enim potẽtia nutritiua ex aliméto nutrit, & augmẽtatiua ex aliméto quãto auget: sic & generatiua alimẽto vtitur ad suæ operationis exercitiũ. Semẽ enim ex superfluo est alimenti.

Quę nõ generant simile.

CAPVT. XI.

Pulchra seminis consideratio.

MErito verò consideratio seminis (quo vtitur virtus generatiua ad suæ operationis exequutionem) videri debet profundius contemplãtibus, nimiũ admirabilis. Quid enim? An non superadmirabile est, ex modico semine (quod de herba aut arbore qualibet decisũ fuerit) in terram coniecto, pullulare virentem herbã vel arborem, eãdemque temporis accessu, sumpto ex terræ visceribus

Aduerte huc animũ spectator rerum nouarum.

congruo alimento,istam sibi quantitatem adijcere, & partes omnes sibi iuxta naturæ suæ conditionem adaptare varietate tam pulchra,dispositione tam spectabili, tãque admirabili ordine,vt hominis ingenium nec herbulæ vnius sufficiat cõprehendere artificium. Considera enim in arboris è semine processione,quo modo in terrã inferrè radices mittit,easque ita infigit solide,ita hærere facit in intimis terræ visceribus,vt post modicum vix euelli aut dimoueri, nisi vi magna non possit,quomodo sursum stipitẽ ac truncũ mittit, quẽ externè quidem vestit cortice velut indumẽto, aduersus aeris inclimẽtiã,& frigoris æstusque iniurias. Intime verò medulla posita est & circunquaque venę maiores atque minores per totũ corpus trunci dispersæ,eæque mirabili ordine abinuicem minores à maioribus procedẽtes, per quas nutrimentũ singulæ partes ad se attrahũt. In superiori vero parte,quam mirabiliter prodeunt de stipite folia,in quibus similiter venarum & arteriarum conspicimus stupendam cõnexionem. Et est quidem foliorum eadem figura,eadẽ lęuitas vel asperitas,similis fere longitudo,latitudo, color idẽ,idem sapor,idem odor,& per omnia maxima est arborum eiusdẽ generis similitudo. Taceo florũ pulchritudinem, & fructũ dulcedinem,ac in vtrisque mirabile artificium. Hæc videlicet omnia orginaliter ex seminis vnius prodiere virtute.

ꝙSed & in semine animalis atque ideo in semine hominis (ex quo videlicet proles humana secundũ corpus nascitur) nonne illud vel maximè stupendum est, quod ex virtute illa quæ in tam vilissima atque penitus deformi & sordida materia in est,talis ornatur membrorũ tam pulchra cõpositio, tam cõueniẽtissimus ordo, tam efficax dispositio membrorum,tam eximia singularum partium coniunctio. Videlicet vt in infimo pars aliqua lata fabricetur, super quam ipsum corpus debeat firme cõsistere,& qua debeat moueri de loco in locum:cuius partis extremum multiplicem habeat diuisionem,vt sit velut in particulas dissecta materia,hoc est, vt pes habeat suos digitos in extremitatibus: atque hæ rursum partes talem habeant ordinem, vt quæ primo loco ponitur, cęteris sit & altitudine & crassitie maior,atque ita deinceps suo ordine,vt sit nouissimus digitus omnium tenuissimus & minimus. Item vt partes hæ sic diuisæ,in extremo pedis secundum quinarium numerum ita regulariter & vniuersaliter distinguantur,vt monstrum iudicetur, si quando in vno pede senaria inueniatur distinctio. Iterum vt harum partiũ quælibet in sui extremitate ex parte superiori duritiem habeat vnguis,mirabili artificio & subtilissima coniunctione ita adglutinati carni & pelli,vt nulla possit excidere violentia quantumuis comprimantur pedes, aut vrgeantur multis laboribus. Item vt singulę hæ partes,suas habeant iuncturas in quibus possint incuruari,& prior quidem maior non nisi vnam huiusmodi habeat in sui medio, cæteri verò binas. Et hæc quidem omnia in pedis & manus cõpositione manifestè apparent etiam extrema tantum consideranti. Ex aduerso autem in supremo loco quomodo artificio maximo pars componitur rotunda,quæ cranio vno in superiori parte tegitur, hoc est osseo tegmine ita durissimo & indissolubili,vt per annos plurimos in terra iacens non possit omnino consumi,quod quidem cranium carne & cute operitur, vnde crinium egreditur defluxus,partem illam vndequaque circunuestiens. Sub hoc autem cranio, nobilis quædam & tenerrima formatur substantia, quam cerebrum dicimus, eaque secundum diuersas partes variè formata, vt diuersarũ virium aptum possit esse susceptaculum & organum diuersarum nobilium operationum,in qua insuper rotunda parte suprema ab anteriori parte consistunt oculi, in sua concauitate pulchrè firmati: sic tamẽ vt facillimè mobiles, quibus sunt etiam sua cilia & supercilia. Sub his sunt nares: ad latus autem aures:sub naribus autẽ oris apertura ad ingressum cibi, & per circuitum mãdibulæ dentibus plenæ,quorũ ij qui in ipso ingressu consistunt,tenues sunt & acuti,ad dissecandum atque scindendum impositum cibum:posteriores vero crassiores sunt, & plus quam duplicati,qui partes cibi iam anterioribus dentibus concisas,possint velut molẽdo in minutissimas particulas conterere:propter quod etiam molares appellantur. A parte autem capitis posteriori,omnibus clausis,nulla conspicitur apertura:sed nerui fortes, & iuncturæ mirabiles illic consistunt, qui caput partem supremã cum humeris parte inferiori conglutinant: ita vt cum caput humeros nõ contingat,pulchrè tamẽ absque onere per colli interpositionem ab eisdẽ gestetur. Hinc verò ab humeris

velut duo rami extenduntur brachia duo, ad opus quodlibet peragendum, eaque in medio curuabilia in cubito, extremitates autem similiter in digitos ordinate diuisas habẽtia, vt de pedibus supra diximus. Deinde nobilissimũ mẽbrum cordis ita mirabiliter in medio animalis positũ consistit, habens ad sui caloris temperamentum circumiacentem pulmonem, aerem sua respiratione continuo in modum folis attrahentem, sicque suum calorem temperantem: vicinũ etiam habens hepar sanguinis officinam, & stomachũ velut totius corporis coquum, alimenti totius susceptiuũ. Habet insuper splenem, habet renes, habet intestina omnia, mirabili connexione & conuolutione dispositа.

Quod hæc (inquam) omnia quæ tãtum singulariter attingimus, & alia intus recondita multo mirabiliora, ita ordinatè, ita perpetuo in corpore hominis siue etiam animalis alterius ex seminis tam vilissimè substantiæ virtute efficiantur, quis non ista maximum reputet miraculũ? Nonne rectè tibi videtur domino dixisse Psalmista, Mirabilis facta est scientia tua, ex me conforta est, & non potero ad eam? Nonne & nos in præfatione libri huius rectè videbimur hoc asseruisse, quod prodigia semper secum circumferant homines, quibus suis miraculis magis admirabilia? Et quidem nõ ita multum videtur admirandum si totam hanc connexionem dispositionemque membrorum, quã in nobis ipsis conspicimus per semetipsum ita sua omnipotenti virtute Deum asseramus condidisse, si quomodo in principio Adam creauit de terra, & de eius costa Euam, absque illius virtute seminis, terram solam pro materia accipiens, & totam virtutem per sese administrans, ita & nostra corpora in sua dispositione atque pulcherrima proportione per se idem ipse similiter fabricaret. Item si vt in principio arbore & herbas creauit absque virtute seminis, ita & nunc potentissima sua iussione eas de terra faceret prodire. Scimus enim quoniam non est ei impossibile, neque difficile omne verbum. Non nouum est nobis, si magna faciat ille, de quo scriptum est, Qui facit mirabilia magna solus. Verumquod hæ humani corporis dispositio ex operatione est virtutis, quæ latet in paterno semine (fœtidissima & vix nominãda substãtia, quã absq; abominatione nemo conspicit) quodque in eo tã

Psal. 138.

Psal. 71.

præclara lateat virtus, corpus tam admirabile sic efficiẽdi atque fabricandi, quod tota illius admirabilis dispositionis efficacia in illo realiter inexistat, id nobis merito in immensum aggrauat pondus considerationis nostræ, id prorsus stupidos & attonitos reddit, cogitque exclamare nos, & voce aperta confiteri, quod non solũ ipse magnus sit in semetipso, neque solum magnus in magnis, sed & in abiectissimis, contemptibilissimisque, minimis gloriosus.

CAPVT XII.

De *longitudine & breuitate vitæ: & primum de calore naturali atque humido radicali.*

ANima autem ipsa vegetatiua, per virtutem vegetatricẽ licet vere prima sit, & præcipua causa supradictarum operationum nutritionis & augmentationis, eget tamen ad hoc (vt supra tetigimus) calore naturali pro instrumẽto, quo mediante suas istas operationes perficiat. Cuius quidem naturalis caloris, tanta est necessitas in corpore humano, & operationibus illius sustentationi necessarijs, vt absq; eo nequaquam possit anima in corpore permanere, ipsoque deficiẽte, omnino necessarium sit animalis vitam deficere.

Hic autem calor naturę igneæ est, & perpetuo nutriri debet atque foueri in corpore hominis: quemadmodum flammam candelæ & flammã quę est in lychno lampadis nutriri ad oculum cernimus, atque ita necessario nutriri, vt nutrimento consumpto mox flamma euanescat. Oportet ergo donec calor iste in homine permanserit, nutrimentum aliquod illi suppeditari in quo foueatur atque conseruetur.

Hoc autem nutrimentum est humidum radicale (vt appellant medici) id est humiditas naturalis, & ab initio generationis simul cum calore naturali siue radicali congenita animali per principia generationis. Natura enim quæ in corporibus omnibus viuentibus per virtutem principiorum generatiuorum posuit naturalem calorem, eadem ad conseruationẽ rei & naturalem dispposuit humiditatem, quę calorem velut cibaret atque foueret, ad eum modum quo ab oleo pascitur flãma quæ in lampade cernitur.

Humidum radicale.

Hoc autem radicale & naturale humidum, cum continuo

debeat pascere vorantem igneum calorem, eumq; in humano corpore fouere, facile minimo tempore absumeretur, si non ipsius fieret continua reparatio, quemadmodum statim oleum in lampade deficeret, si non statutis horis oleum infunderetur nouum. Atque ad hoc necessaria est sumptio alimenti cibi atque potus, ex quibus separatum humidum repa rat humiditatem radicalem & intertenet. Ipsum verò siccum quod inde accipitur, ad reparationē est sicci, quod per actionem caloris resoluitur. Non enim solam humiditatem in corpore ignis absumit, verumetiam partes carnium, ac cæterorum membrorum ex omnibus tam siccum quàm humidum resoluens, propter quod tam cibo quàm potu animal indiget. Humidum autem istud radicale nutrimentum radicalis caloris, non debet esse humidum omnino aqueum, sed potius aereum pinguéque & viscosum siue vnctuosum: quomodo flamma non simplicis aquæ humido nutritur in lampade, sed humiditate pingui & vnctuosa, cuiusmodi est oleū aut cuiusmodi est in candela seuum. Oportet ergo tale esse etiam humidum nutrimentale, quo radicale humidum debet reparari, id est non pure aqueum, sed pingue, dulce, uiscosum Quare etiam ad humidi radicalis reparationem non videtur potus ipse per se sufficere. Non enim videtur ex ipso solo sufficiens posse elici pinguedo, sed concoctio cum cibo, & ex cibi substantia solidiori facta cōmixtio, addit humido illi viscosam pinguedinē. Et quāto homidum illud pinguius fuerit, tanto ex ipso minus calor consumit, quemadmodum videmus flammam in candelis ex seuo recenti atque pinguiori factis minus in seuum desæuire, diutiusque in illis conseruari.

CAPVT XIII.

De *causa longitudinis aut breuitatis vitæ.*

EX horum ergo duorum proportione, id est calore naturali & humido naturali attenditur in omnibus viuentibus longitudo vel breuitas vitæ, secundum videlicet proportionem calidi ad humidum: vt illa in quibus optima sit horum proportio, longissimæ vitæ iudicentur. Ea verò in quibus minor proportio, vitæ breuioris.

Ad quod tamen plenius intelligendū aduerte, quod simpliciter sola quantitas materiæ alicuius rei nequaquam vitam faciat longiorem vel breuiorem. Nam ad oculum videmus quasdā arbores paruulas diutius perdurare alijs multo secundum molem maioribus. Idem & in herbis cernimus, in brutis quoque hominibus. Neque vniuersaliter caliditate excedentia maioris sunt durationis. Si enim fuerit non proportionatum humidum, citius etiam alijs deficiunt, in quibus non tanta est excellentia caliditatis. Facit enim immodicus calor non præsente humido sufficiente ad pabulum, ad rei celerem consumptionem, vt in hominibus multum cholericis. Rursum frigiditas multa vitam non facit longam. Si enim calor non fuerit proportionatus, vt possit sufficienter dominari, abundantia frigiditatis extinguitur, & necessario animal suffocato naturali calore perit, vt videmus in ijs qui sunt vehementer flegmatici, item & in senibus in quibus dominatur frigiditas. Item neque siccitas multa per se causa est longæ vitæ. Nam senes multæ sunt siccitatis: per hanc tamen ad corruptionem vergunt. Infantes autem plurimos videmus per multam humiditatem deficere, cum videlicet calor multo humido opprimitur: quemadmodum ligna viridia ignem opprimunt & extinguntur subtus latentem. Hinc etiam euenit, arbores illas quæ prope aquas nascuntur minoris esse durationis, & animalia aquatilia plerunque breuioris esse vitæ, quam gressibilia. Abundat enim in eis humidum, idque non pingue & firmum, sed magis aqueum. Harum ergo qualitatum nulla per sese potest assignari causa longitudinis & breuitatis vitæ, sed calidum & humidum æquata (vt ait Aristoles) præcipua huius rei sunt causa. Quod tamen non ita debet intelligi, quasi humiditas & caliditas in æquali virtute causa sint diuturnioris vitæ, sed quia in debita & bona proportione dispositā. Oportet enim calidum habere domiuium super humidum. Alioqui non conuenienter ex eoposset nutriri. In nutritione enim, id quod nutritur oportet agere in id ex quo nutritur. Actio autem non fit, nisi a gente super passo habente qualecunque dominium. Quod ergo Aristoteles ait, calidum & humidum æquata esse causam diuturnioris vitæ, intelligi debet bene proportionata: ita videlicet vt humidum

Calidum & humidum vitæ durationis causa.

non excedat calidum, ipsumque suo excessu suffocet, neque vicissim calidum sic excedat absque proportione humidū, vt ipsum cito exedat atque absumat.

CAPVT XIIII.

Quæ complexio faciat vitam diuturniorem.

Complexio sanguinea diuturna.

EX prædictis patet, inter complexiones hominum, diuturniorem vitam præbere eam quæ appellatur sanguinea. Est enim hæc calida & humida, estque humidi & calidi, & humidum est aereum non aqueum: siquidem aeri respondet ista complexio, qui natura calidus & humidus est. Estque in hac calor temperatus, quoniam non igneus est, sed aereus. Aer enim non in summo habet caliditatē. Cum ergo in hac complexione caliditas sit satis temperata, & humiditas multa, eáque pinguis & viscosa (quæ nutritioni calidi maxime est accommoda) non videtur ad vitæ prolongationem alia esse conuenientior ex quatuor cōplexionibus. In cholerica enim excedit calor igneus, & siccitas non præbet sufficiens pabulum excedenti calori. In flegmatica, humiditas nimia obruit calorem debilem, & dum non potest super humidum dominari modicus calor, consequitur non posse recte digeri humidum, sicque multæ fiunt corruptiones, & animal perit. In melancholica verò complexione, nimia siccitas est & calor modicus. Est enim in modum terræ frigida & sicca. Harum autem qualitatum vtraque vitæ obest, quæ in calido & humido consistit. Si tamen fiat harum complexionum cōmixtio poterunt etiam aliæ bonę compositiones inueniri ad vitæ conseruationem valdæ accommodę. Complexio enim cholerica & flegmatica, dominante cholera & proportionato flegmate, diuturnam præbet vitam. Sanguinea & melancholica non mala est, vbi melancholia fuerit minor. Et forsitan talis possit fieri compositio, quæ ad vitam melior esset quam pure sanguinea.

CAPVT XV.

Proportionem 4. primarum qualitatum originalem esse causam longitudinis vitæ.

LIcet autem dicamus (iuxta Aristotelem, & alios medicos idem asserentes) calidum & humidum æquata & bene proportionata, ad eum modum quo prædictum est, causas esse vitæ diuturnioris: originaliter tamen non solum ex duabus his qualitatibus debet sumi ista consideratio, sed ex proportione quatuor primarum qualitatum. Illa enim complexio in animali est effectiua vitæ longioris, in qua calidum, frigidū, humidum & siccum bene sunt adinuicem proportionata secundum exigentiam vitæ animalis: ita videlicet vt calor obtineat dominium super cætera, sic tamen frigiditate temperetur, vt non nimium excedat ipsam humidi (quo habet nutriri) proportionem, ne subito absumpto nutrimento depereat: quomodo vehemens ignis cito consumpta materia mox collabitur, iterumque humiditas ita sit per adiunctam siccitatem temperata, vt non fit nimia, neque excedat caloris proportionem, ne videlicet nimia humiditate obrutus calor extingatur, quomodo si igni ardenti superfundatur aqua copiosa. Et in quibuscunque huiusmodi temperamentum inuenitur quatuor primarum qualitatum, hi in se habent principium diuturnæ vitæ.

Proportio. 4. qualitatum durationis origo.

Veruntamen quia in hoc temperamento calidum & humidum precipua sunt, habentque dominium, quibus alia duo frigidum & siccum solum ad contemperamentum adiiciuntur, ad illorum mediocritatem constituendam, excessumque vitæ disconuenientem prohibendum, idcirco duarum tantum qualitatum expressam faciens mentionē Aristoteles, dixit calidum & humidum esse principia longioris vitæ. Cum tamen addit æquata & proportionata, indicat tacitè, & alias duas qualitates, quarum additione fit vt calidum & humidum proportionentur, atque æquentur. Si enim calori deesset temperans frigiditas, excederet humidi proportionem. Et si non adesset humiditati temperans sicitas, vtique excederet proportionem caliditatis.

Duas autem illas qualitates caliditatem & humiditatem dominari oportet in complexione longioris vitæ: quoniam sunt qualitates vitæ, id est, viuentibus necessariæ, & animalis substantiæ potissimum cōuenientes: primario tamen caliditas, ac secundario humiditas, quæ caliditatem habet fouere. Propter quod in complexione vitæ longioris primum

locum calor obtinere debet, humiditas verò secundum Frigitas autem & siccitas, mortis principia sunt, vbi inualuerint. Vnde senes quo amplius ad mortem tendunt, eo magis siccos & frigidos effici cernimus. Et mortua statim corpora maximè occupat frigiditas atque siccitas: omnis autem fugit calor & humiditas. Ex quo patet, frigidum & siccum esse mortis principia, & vitæ maximè contraria, vbi contigerit ea dominari. Propter quod complexio illa breuissimę vitæ est, in qua ista dominantur, aut etiam eorum alterum, siue per se frigiditas siue siccitas. Nam illa directa calori aduersatur, in quo est vitæ principium: hæc vero humiditati, quę est primæ vitalis qualitatis fomentum.

CAPVT XVI.

Quomodo illa quæ in principio multam habent humiditatem, ad longam vitam sint bene dispositа.

NOtandum autem, quod illa corpora ad longam vitam sunt bene dispositа, quæ in principio maximam habent, sed tamen proportionatam humiditatem: ita vt videatur calor aliquo modo latere sub tanta humiditate, vt multo tempore perduret calor, antequam possit humiditatem cõiunctam penitus euincere, & manifestum obtinere dominiũ: modo non tanta sit, vt omnino calorem obruat ac suffocando extinguat. Quæ vero, in principio sui ortus admodum paucam habent humiditatem, vt statim calor possit euincere, & quasi superior apparere, non sunt diuturnæ vitæ.

Simile enim videmus in ignibus. Plerunque enim ignis ille qui subiicitur lignis viridibus, in quibus adhuc est multa humiditas, diutius delitescit, iacetque absconditus priusquam super materia appositа potiri dominio: & interdum quidem, prorsus quasi extinctus apparet atque oppressus, quandoque tamen vigore resumpto resistens fortiter, agensque viriliter, tandem adhuc glorioſæ emicat, & in altum flammam sustollit, quasi in victoriæ signum. Et manifestum est talem ignem multo esse durabiliorem, quam sit ignis alius stipularum aut straminum aliorumve lignorum valde exiccatorum, qui in materiam ob humiditatis defectum statim obtinet dominum.

Atque hinc cõtingit nõ rarò, vt isti qui in infantia, imò in pueritia grauissime fuerint periclitati de vita, & perpetuo quasi in languore vexati, longissimã vitã viuant, cernãturq; in ętate proiectiori valere bellissime, postquã humidũ illud sub quo calor eorũ periclitabatur, & sub quo modo quodam oppressus delitescebat, iam fuerit euictũ, & calor post longã patiẽtiam obtinuerit principatum. Quemadmodum ad oculum cernimus, ignes ex carbonibus sulphureis compositos, aqua perfusos, post paululum multo voraciorem flammam dare, & calorem maiorem, simul etiam durare longius.

Hinc iterum cõtingit eos interdum qui per totam Vitam languere videntur, longam tamen vitam ducere. Signũ est enim in eis quod nec calor tantus sit qui omnino possit manifeste in humidum dominari: neque tantum humidum, vt possit extinguere calidum sicque calor ob modicitatem nõ multum potest humidi cõsumere, ac proinde humidũ minus commiscetur extraneo, remanetque purius, & ad caloris nutritionem magis efficax. Attamen quia calor tantus est, vt se possit aduersus humidum defendere, & illius saltem aliquid (quamuis non ita multum) ad suam nutritionem excedere, idcirco in vita animal permanet lãgués tamen, propter sufficientis caloris defectum, & quia non satis quantum operationes animali conuenientes expetunt dominatur.

Patet etiã ex prædictis ratio, quare illi qui præcoci sunt ingenio, id est, ante multam ætatem valde ingenio pollentes plerunque conspiciantur præmatura morte occumbere, vt vix interdum virilem, raro autem senilem attingant ętatem. Est enim signum, quod ab initio pauca in eis fuerit humiditas, & multa caliditas. Humiditas enim multa impedit ingenium: Vnde qui multũ habent sanguinem, non sunt ingenioſi, eo quod sanguis sit humidus: sed qui paucum sanguinẽ & non ita humidum habent, vtcunque cholera mixtum, id est, satis siccum & igneum. Quia ergo in his ab initio pauca est humiditas, cito calor dominatur, & acquirunt siccitatem ad operationes sensuum & ingenij requisitas. Superuincens enim sua actiuitate caliditas, cito corpori dat conuientes operationes, quas mediãte calore corpus habet: hac proinde ante consuetum tempus ambulant, loquuntur, discunt, morantur, phantasiantur, dum alij propter multum humi-

Ingenio sititius mortuntur.

dum diutius impediuntur ab operationibus vitalibus. Vbi autem minus est humidi, & plus calidi, manifestum est citius ibi calidi nutritionē deficere: & vbi cito dominatur calidū, cito quoque deficere ipsum necesse est. Proinde manifesta ratione colligitur, eos qui præcoci ingenio sunt, debere etiā præmatura morte occumbere. Patet insuper ratio, quare cum cætera multa animalia conspiciamus vel mox in sua natiuitate, vel paulo post, operationes suas conuenienter exercere, vtpote moueri, ambulare, & alia eis conuenientia opera. Homo tamen per multum tempus absque sibi cōuenientibus operationibus remanet. Nimia enim humiditas in causa est, propter quam etiam membra infantilia ligari debent fasciis, eo quod deficiente siccitate non sint solida membra. Hoc autem in aliis animalibus non est necesse fieri: homo enim præ omnibus aliis animalibus abundat humiditate, propter quod etiam longioris est vitæ, omniaque animalia vitæ diuturnitate superat, paucis admodum exceptis, vt elephanto & ceruo, & si quæ sunt similia. Hæc enim animalia tradunt longā admodū habere vitā. Cætera autem animalia domestica, quæ hominibus in vsu sunt, ad oculum videntur multo breuiorem homine vitam ducere, quantumuis mole excedant, vt equos, boues, oues, canes, aliaque huiusmodi.

Præterea habetur ex iam dictis causa, quare ij qui pauciori nutriuntur cibo, diutius viuant: qui verò maiori, breuiorē habeant durationē. Itē, quare ij qui multum indulgent Veneri, minus viuāt, item & ij qui immoderatis atteruntur laboribus. Exiccat enim multa seminis emissio, itē & immodicus labor. Velocior autem siccitas, mortem accelerat. Illis tamen qui nimia sunt humiditate pleni, labor conducit moderatus, ad vitam protelandam. Efficit enim bonam siccitatem & temperatam, vt non obruatur calidum ab humido, & superflua digerat exiccando, ne fiat corruptio.

CAPVT XVII.

Quare per nutritionem res non possent perpetuo seruari.

VErum ex his quæ prędicta sunt, posset quispiam dubitare, atque ita nobis obiicere, Si calidum est vitæ principium, & humido radicali nutricatur, ac humidum illud per nutrimentum reparatur, qui fit vt non perpetuo possit in

aliquo viuente, vita per nutritionem seruari. Tā diu enim animal in vita permanere natū est, quàm diu calor naturalis ipsi non deficit: adeo vt si perpetuo calor naturalis indeficiens in corpore permaneat, simul permaneret & anima ipsum informans. Calor autem per humidum nutritur, & humidum per alimentū reparatur. Quare ergo ad hunc modum non potest corpus congruo nutrimento per virtutem nutritiuam perpetuo conseruari absq; corruptione? Huic quæstioni talis adhibenda est responsio, Humidum radicale quanquam nutriatur humido nutrimentali ex cibo & potu aduenientē, nunquam tamen reparatur ad tam bonam qualitatem, vt ante fuit: sed continuo minuitur à principio actionis caloris in ipsum. Per commixtionem enim extranei (vt docet Aristoteles in libris de generatione) cōtinuo ipsa virtus speciei minuitur, neq; humidum ita bonum reparatur, vt fuit ab initio antequam deperditur. Vnde fit vt continuo defectu tandem penitus humido deficiente, cogatur ipsum animal siccitate deficere, calore nimio superante, nec habente pabulum. Quemadmodum videlicet cum aqua infunditur vino, quo plus infuderis aquæ in vinum, eo fit vinum minus forte, & minus habens virtutem suæ speciei, ad conuertendum scilicet in se extraneam substantiam. Et licet in principio per modicam admixtionem non depereat virtus vini, quoniam adhuc potens est conuertere infusum in suam substantiam, si tamen diu pergis aquam infundere, tandem ita debilitabitur virtus speciei vini, vt prorsus ab aqua superetur & extingue tur omnis virtus vini ab aqua deuicta. Atq; hoc pacto manifestè videmus quomodo per nutritionem non posset fieri individui perpetuatio: sed necesse est hoc modo animal deficere, cum eousque res deuenerit, vt necessarium humidum radicale perdat. Quod si homini adesse per nutritionem virtus reparandi humidum æque bonum, vt est illud quod deperditur, tunc posset homo absque corruptione seruari.

CAPVT XVIII.

De virtute ligni vitæ in Paradiso.

ATq; ita sanè intelligēdū est, quod in Genesi legimus de ligno vitæ quod erat in paradiso ex cuius fructu prohibebatur sumere Adam, posteaquam peccasset,

ne ipsum comedens viueret in æternũ. Sic enim ait dominus Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malũ: nunc ergo ne forte mittat manum & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum. Et post pauca subditur, Eiecitq; Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubin, & flãmeum gladiũ atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitę. Nam (vt sacri Theologi tradũt) talis erat virtutis huius arboris fructus, vt per eũ posit virtus speciei reparari & conseruari absque defectu. Quemadmodum enim alię arbores in cibum illis erant ad reparationem deperditi per calorem naturalem (qui etiã in primis parentibus ante peccatum inerat, & suo modo agebat, id quod ita hæc arbor in medicinam potius quàm in cibũ creata fuit, vt de eius fructu sumentibus virtus speciei confirmaretur, & ita præseruaretur ab omni defectu, vt per caloris actionem & humidi deperditionem, extraneique humidi aduentũ non imminueretur bonitas ipsius humidi, neque per consequens imminueretur calor. Fiebátque per huius fructus virtutem, vt humidũ æque bonum esset quod reparabatur, atq; id quod per actionem caloris naturalis deperijt, eátq; medela aduersus hanc (ratione nutrimenti) debilitationem. Atq; hinc processisset absque corruptione hominum vita, arboris istius beneficio, donec Deo placuisset à statu illo animali in altiorẽ (qui nutritione non indigeret) transferre.

Verum nos longe ab illo tam efficaci fructu elongati sumus, via ligni huius præclusa est Adæ, & cunctis posteris, via incognita est natis in exilio. Paradisus voluptatis ignotus est in terra laboris habitantibus. Atque vt etiam sit via cognita, ecce ad custodiam stat Cherubin, tenens flammeum gladium atque versatilem, vt spes nulla sit nobis de fructu ligni huius consequendo. Neque est qui vel ramusculũ nobis possit adferre ligni illius, vt ipsum plantemus in terra nostra. Atque vt fortè donetur, non arbitror ego tam singularis gratiæ & eminentię lignũ ex paradiso voluptatis allatũ, in terra hac miseriæ atque laboris vegetari posse, aut suas radices in arenosam istam terram (quæ spinas & tribulos inutiles meliùs germinare nouit) defigere. Quapropter talis ita est nostra conditio, ita se nobiscũ res habet, vt velimus nolimus semel

nobis sit moriendũ, iuxta verbum domini ad Adam omnium nostrum nomine dicentis, Terra es & in terrã reuerteris. Vnde & sanctus Apostolus, Statutum est omnibus hominibus semel mori: post hoc autem, iudicium. *Gene. 3.* *Hebr. 9.*

CAPVT XIX.

Quomodo vnum quodque viuens habeat determinatam periodum.

EX prædictis facilè potest monstrari, vnumquodque viuens habere certum limitem & definitum terminum vitæ, eumq; secundum complexionis varietatem diuersum, lõgiorémque vel breuiorem. Cum enim non possit humidum radicale atque bonum reparari, necessario cõsequitur ipsum paulatim debilitari. Quicquid autem continuo debilitatur & diminuitur, tandem in totũ collabatur necesse est. Est enim vnicuique vitę & durationi præfinitus terminus nouissimũ illud & extremum vitalis operationis, quando non vltra potest calor naturalis ab humido nutriri, cogiturque viuens deficere. Quemadmodum in vino terminus quidam certus est, quando non vltra infusam aquam poterit in se conuertere, imò separetur ab aqua, & vinum esse desinit virtute speciei penitus deficiente. Vnde illa quæ simpliciter meliorem habent complexionem proportionémque calidi & humidi vitalis, longiorem habent suæ durationis periodum, & quod optimam habet hanc proportionem, durationis est longissimæ. Econtrario autẽ, quod malam habet hanc complexionẽ siue proportionem, breuiorem habet durationem. Hic autem terminus vitæ naturalis dicitur, quoniam videlicet secundũ naturalem cõplexionis virtutẽ, ipsum viuens tandiu perfistere est potens, virtute conuersiua ipsius speciei ad tãtum vsque tẽpus sese valente porrigere siue extẽdere. Vnũquodque enim viuens tandiu naturaliter potens est viuere, quandiu calor naturalis in eo potest permanere, & quandiu humidũ radicale in ipso potest calorem nutrire. Hoc autem est, quandiu per nutritionem potest humidum radicale sufficienter reparari. Manifestum ergo est, vnumquodque viuens secundum suam naturalem complexionem præfixum & determinatum sibi terminum habere suæ durationis. *Periodus seu terminus naturalis.*

Posimus autem in hac re facere comparationem vel diuersorum generũ, vel diuersarum specierum, vel diuersorum

indiuiduorũ eiusdem speciei. Vnde secundũ cõparatio nẽ viuentiũ diuersi generis, dicimus quasdam arbores quibusdam animalibus esse longioris vitę, quasdam etiã minoris. Secundum cõparationem diuersarũ specierũ. dicimus homines esse plerisque brutorum animalium diuturniores. vt mulum dicimus equo diuturniorem. & herbas quasdã vitę longioris prę alijs. Quædam enim tantũ annuę sunt, & singulis quibusque annis occidunt. Aliæ verò ad annos plures secundũ indiuiduũ iam permanent. Secundũ indiuiduũ autem eiusdem speciei fit comparatio, cum dicimus, hũc hominẽ esse illo diuturniorem, hunc equũ illo equo & ita in cæteris. Nonnunquam etiam in eadem specie fit comparatio in cõmuni, secundũ distinctionem sexus vel conditionis. vt cum dicimus in passeribus masculos minus viuere quàm fœminas (iuxta Aristotelis dictum) eo quòd masculini passeres plurimam sequantur venerem, Item cum dicimus agricolas plerosque moderato labore sese exercitantes lõgiorem vitã ducere. quàm otiosos clericos: homines quoque sobrios & castos, plusquam gulosos & luxuriosos.

CAPVT XX.

Non semper res ad naturalem vsque terminum pertingere.

Rara ad naturæ periodum peruenitur.

QVanuis autem secundũ virtutẽ cõplexionis vnaquæq; res habeat sibi determinatũ vitę terminũ, vltra quàm secundum naturam cõplexionis non possit vita protendi, rarissimè tamen cõtingit ipsa viuentia huiusmodi terminũ attingere, neq; vel millesimus quisq; hominũ ad huiusmodi naturalem cõplexionis terminum pertingit. Dicitur enim terminus vitæ, nõ quod viuens ipsum debeat assequi, sed quia secundũ extremã naturalis cõplexionis virtutem ipsum viuens

Iob. 14.

eousq; potest pertingere, & nõ potest teminũ illũ trãsire. Vnde in Iob de hominibus dicitur, Posuisti terminos eius qui præteriri nõ poterũt. Nõ ergo terminus iste talis est quẽ debeãt attingere, sed quẽ possint attingere, & quem nõ possint trãsire. Fit autẽ mille modis vt viuẽs ad determinatũ sibi terminũ nõ pertingat, maxime autẽ in viuentibus rationalibus id est, in hominibus: è quibus vix millesimus quisque propositũ finem consequitur, Nã mors & corruptio nõ solum accidit modo prædicto, per naturalem defectum humidi, sed frequenter ab extrinseco accidit corrumpere, quod per violentiam aufert à viuente vitam partes discontinuãdo, aut quomodocunque noxiam & corruptiuam qualitatem inducẽdo. Quẽadmodum ante oculos quotidie cernimus, multas arbores validissimas per multos annos adhuc potentes, in vigore perdurare, si permiterentur in sua radice præscindi securi, sicq; vitã ante cõplexionis terminũ finiri. Ita oues & boues aliaque omnis generis animalia, per singulos dies mactãtur plurima. Quantos autẽ videmus in hominibus ante tempus vel gladio occũbere, vel fame perire, vel peste cõsumi, vel aquis suffocari: imo verò sola gula, quot absumit hominũ millia? adeo vt vulgata sentẽtia merito iactetur, plures gula quã gladio absumi. Plurimos etiam quotidie videmus nouis infirmitatum generibus subito suffocari, strangulari, aut alias quomodolibet exhalare animam. Et (vt Theologissimi illius Philosophi Seuerini Boetij verbis cõcludamus) homine, si corpus spectes, quid imbecilius reperire queas? quos sæpe muscularum vel morsus, vel in secreta quæque reptantium necat introitus.

CAPVT XXI.

De altero termino diuinæ præscientiæ.

PRopter hæc ergo necesse est alium ponere terminum vnicuique viuentium, qui sit nõ secundum naturalis cõplexionis virtutem, sed secundum præscientiam & cognitionem Dei talem videlicet, ad quẽ indubiè viuẽtia peruenient, & vltra quẽ nequaquã trãsibunt: ita vt nec vltra progredientur, neque citra occumbent. Qui autẽ talem cognouit rerũ terminum, solus est omniscius Deus. Vt enim mors est omnibus hominibus certissima, ita mortis hora est incertissima: neq; de die illa aut hora quisquã nouit, præter illũ cui nihil est absconditũ, qui æquè futura atque præsentia in prospectu habet ante quem futurum omne & præteritum est præsens.

Terminus præscientiæ quẽ omnia attingunt.

Est autem differentia inter duplicem hunc durationis terminum, quod primum non possit viuens secundum naturæ virtutem transcendere, potest tamen citra illum deficere, ipsumque nõ assequi: alter autẽ talis est, vt frequẽter possit viuẽs quãtum ad virtutẽ snæ naturæ & complexionis attinet, lõgè vltra ipsum transire. Veluti cum robustus aliquis iuuenis subito trãsfoditur gladio, aut suspendio præfocatur, semper autem viuens hunc terminum attinget, neque ante

ipsum vnquam deficiet, tametsi simpliciter ante posit deficere. Qui enim hodie occiditur, aut quomodocunque moritur, potuit (absolute loquendo) ante septem dies interfici & mori. Ac de hoc termino, siquis dictum accipiat illud ex Iob supra adductum, Breues dies hominis sunt, numerus mẽsium eius apud te est: constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt, oportebit hoc vltimum non simpliciter intelligi, quasi absolutè termini isti non possint præteriri, sed conditionatè, subintellecta Dei præscientia. Quòd enim à Deo præscitum est contingens, absolute quidem contingens est, & absolute potest ita non fieri, (Est enim contingens, ac proinde potens fieri, & potens non fieri) sed sub conditione præscientiæ præsuppositæ, non potest nõ fieri, quoniam necessario consequitur, ipsum ita futurum, si ita Deus præcognouit. Non enim potest falli Dei præscientia.

Iob. 14.

CAPVT XXII.

De *mutatione ætatis humanæ in diuersis mundi ætatibus,*

COnsiderandum autem hoc in loco, quid causæ sit, quòd in diuersis mundi ætatibus tam diuersa fuerit humanæ vitæ duratio. Nam id manifestè ex sacris discimus historiis. Siquidem in principio mundi duratio humanæ vitæ vltra nongentos extendebatur annos, versus millenarium procedendo. Post diluuium verò dominus constituit tempus humanæ vitæ, centum viginti annorum. Quod tamen non est accipiendum secundum extremam durationem vitæ humanæ, sed secundum bonã valetudinem & fortitudinem bonæ complexionis. Nam multis temporibus post diluuium adhuc vltra definitum illud tempus, homines viuebant. Iacob enim terminum illum excesserat, antequam in Ægyptum descenderet. Erat enim annorum 130. cum ingrederetur Ægyptum. Omnes autem dies vitæ eius fuerunt 147. anni: vixerat enim Isaac pater eius 180. annos. Et Abraham primus Patriarcha 175. Hi tamen multo tempore post diluuium fuerunt. Siquidem ætas vna fuit intermedia a diluuio vsque ad Abraham. Tunc ergo post diluuium 120 annis sani & robusti viuebant homines. Post modum verò in Psalmis numerus multum imminutus est, cum Psalmo 89 dicitur, Dies annorum nostrorum in ipsis 70. annis. Si autem

Gene. 8.

Gene. 47.
Ibid. in.

Gene. 55.
Gene. 25.

in potentatibus, 80. anni, & amplius eorum labor & dolor, in quibus verbis indicatur, tẽpus vitæ humanæ in bona valetudine posse protendi vsque ad 70. aut in melius complexionatis vsque ad 80. annos mutatusque est prius illud tempus 119. annorum in tempus 79. aut 80. annorum. Nunc verò hac nostra ætate per annos vt minimum viginti facta videtur declinatio. Iam enim vix quinquaginta anni sunt vitæ hominis quibus fortis ac validus potest durare. Pauciss imi sunt qui non anno sexagesimo canis perfunduntur, & viribus multum imminuuntur. Quod autem vltra est, senectutis & defectus est tempus: & quod vltra annũ est sexagesimũ certe labor est & dolor. Manifestissimè ergo ex scripturis sacris hæc vitæ humanæ tempora monstrantur variata. Potest autem causa horum ex supra declaratis elici per similitudinem. Sic enim de nutritione dicendum est respectu individui, quomodo de generatione respectu speciei. Vt enim nutritio est ad individui sustentationẽ, sic generatio ad speciei conseruationem à natura est ordinata. Quemadmodum autem nutritio ipsum individuum non potest absque corruptione cõseruare immortales sed tandem deficere ipsum est necesse, ob hoc quod per nutritionem humidum non ita bonum reparatur vt erat ipsum absumptum, sicque continuo deficit caloris naturalis fomentũ atque vigor, propter quod tandem necesse est rem deuenire ad interitum, calore naturali eiusque pabulo penitus deficiente: ita generatio quantum ad speciem, non ita bonam ad fortem ac validam reparat speciem, vt in principio fuerat: & quo amplius per generationes species multiplicatur viuentis, eo continuo magis ac magis debilitatur virtus primariæ complexionis, quæ in primis erat individuis: sicque modo paulatim debiltatur virtus complexionis humanæ, ac cõsequenter durationis tempus efficitur breuius. Neque id solum in hominibus, sed indubiè & in bestiis, & in plantis, herbis, atque arboribus eorumque fructibus veritatem habet. Nihil enim dubium est, quin arbores istæ, quæ nostra sunt ętate lõge sint dissimiles secundum virtutis efficaciam, atque etiam secundum durationẽ, illis arboribus quæ fuerũt in prioribus seculis. Illud tamẽ notandũ, quòd in humana specie maior sit dubitatio quam in genere brutorum animalium. Et hic rursum magis,

Psal. 89.

Triplex causa humanam speciē debilitans, brutorū duplex, plantarū vnica.

Triplex quàm in plantis. Est enim in homine triplex causa defectus, in brutis duplex, in plantis simplex. Homo enim pro nutrimento habet cęterorum animalium carnes, & fructus terræ. Quanto autem cibus iste virtute deficit, tanto minus sufficiens est ad reparationem humani corporis. Vnde nō solum ex hoc breuior est hominū nostræ ætatis duratio, quod ipsa virtus speciei iam sit debilior, & cōplexio infirmior, vt non tam diu sufficiat ad reparationem deperditi, & ad fouendū in corpore naturalem calorem, verumetiam ex parte alimēti, quod magis materiale est, & minoris virtutis nostra ętate, quam fuerit in generationibus prioribus, sicque necesse est vt humidū radicale iam magis cōmisceatur extraneo, quam in præteritis generationibus miscebatur. Quanto enim id quod ex cibo sumitur minoris fuerit virtutis, tanto à calore naturali citius absumitur, neque ita diu potest fouere calorem: ac proinde oportet magis fieri humidi extranei cōmixtionem cum humido radicali, vnde oritur vita breuior. Omnis ergo defectus iumētorum illorum, quibus homo in cibum vtitur, ad humanæ speciei recidit detrimentum. Item omnis defectus herbarum & arborum, quibus vtitur in pabulum homo, in ipsius cedit detrimētum. In animalium autem irrationaliū (quæ ex herbis terræ viuunt) dānum etiā cedit herbarū defectus, prēter eam quā à proprie cōplexionis defectu in se habent debilitationē: habent ergo ipsi duplicem minoris durationis causam, homo vero triplicem, plantę autem simplicē tantū, secundū hanc cōpartionem. Vnde secundum rationē, nō videtur esse tanta distantia durationis arborum atq; plātarū secundū diuersas mundi ætates, quāta est iumentorū: neque tanta iumentorum, quanta est hominum.

CAPVT XXIII.

Quod vnaquaque species viuentium, suum habeat naturalem terminum.

QVomodo itaque propter hunc continuum defectum, diximus singulis indiuiduis esse determinatum, & prę finitum suę cōplexionis terminū, ita & de speciebus dicere nō irrationabiliter possum⁹, esse videlicet vnicuique speciei suū determinatū terminū, secundū speciei naturalem virtutem. Aeque enim hoc de specie & de indiuiduo, cōtinuus probat defectus. Si enim per generationem reparetur species in ęquali virtute vt ante fuerat, posset quidem rectę sentiri generationem sufficere ad perpetuandam speciem: quomodo indiuiduum posit immortale per nutritionem seruari, si ipsa repararet indiuiduum in tam bono statu quàm ante fuerat. At verò cum iam demonstratum sit, & sanctæ authoritas scripturę, simul & ocularis experientia hoc docet, generationem non potuisse cōseruare speciem absq; maximo & summe notabili ipsius defectu, manifesto infertur consequio, quòd tandem aliquando speciei virtus vsq; adeo sit debilitanda, vt non sufficiat ad vlteriorem sui conseruationem, aliorumq; indiuiduorū multiplicationem: sicq; prorsus collapsa cogetur deficere ad eum modum quo indiuiduū (non obstante nutritione) tandem cogitur penitus in seipso deficere, neq; per nutritionem potest perpetuo seruari. Itaque, etiam si naturalem sequamur rationem, ipsa nobis mōstrat omnes rerum viuentium species non posse perpetuo stare, ac tandem necessario corrumpi debere. Errant ergo nō solum contra fidei regulam, sed & contra rationis normam, qui omnes præcipuas species vniuersi dicunt naturaliter esse incorruptibiles, & à parte posteriori æternas, licet aliquando accepisse eas fateantur durationis principium. Quod etiam vulgo dici solet, per generationem res naturales secundū speciem perpetuari, si veritatem habeat, intelligi debet non de perpetuatione simpliciter, sed secundum quid: quatenus videlicet longissimum illud tempus quo species conseruantur vsque in consummationem sæculi, perpetuitas quædā ab hominibus æstimetur.

CAPVT XXIIII.

Quòd humanam speciem mirum in modum gula atque luxuria debilitant.

PRæter vero supra adductam causam naturalem, velocis humanæ defectionis, inuenimus etiam gulam & luxuriam, humanam speciem mirum in modum infirmare, quæ tamen inter causas extrinsecas veniunt computandæ, cum non insint homini hæc vitia à natura, nisi forte quatenus aliquam habet prauā inclinationē ad eiusmodi vitia, vt est homo ab infantia sua pronus ad omne malū. Inter hæc autē duo, luxuria per se facit ad speciei debilitationem,

Est enim luxuria, nimius & inordinatus coeundo affectus. Coitus autem nimium frequens ad vanam delectationem, & non iuxta naturę ordinem ad speciei conseruationem, sobrie in vsum vocatus facit, vt semen (per quod seruatur generatio) non ita potentis sit virtutis ad speciei reparationem quàm esset si sobrie parciusque ac iuxta naturæ ordinem ad ministraretur. Procedit item ex luxuriæ vitio, quòd ante debitam maturitatem & perfectionem naturalem ad validam generationem sufficientem, videmus homines ante tẽpus generationi intendere. Quid enim? An non ante oculos cernimus, puerulos adhuc atque puellulas copulari coniugio, amplexibus vacare, intendere generationi, quorũ anni si pariter iungantur vix ætatem attingent virilem? vt merito in prouerbium sit tractum, Pueros nostra tempestate generare pueros. Ecce enim iam de testa pullos educunt, quibus adhuc testa è qua iam prodiere, adhæret. Iam natulos gestant in vlnis, qui pridie emerserunt è cunabulis. Vix à lacte auulsi, lactant de se genitos: & patres matrésque appellantur, qui necdum ex ephebis excesserunt, quibus nomen altius quàm puerorum non competit. Scilicet in brachijs prolem gestant noui patresfamilias, quos adhuc conueniebat præceptorũ patrumque genibus impositos, ad disciplinæ institutionem ac morum informationem, virgis cædi. Qui autem possit fieri, vt hoc pacto non plurimum debilitetur humana propago? Quemadmodum enim granum immaturum aut semen non debita maturitate perfectum, gignere non potest fructum conuenientem & fortem multæque durationis: ita & in hominibus dicendum videtur, eos qui sic ante tempus suæ proprię perfectionis, generationi vacant, non posse efficaciter suę speciei conseruationem perficere. Vnicuique enim rei tunc conuenit generare sibi simile, cum suam fuerit adepta perfectionem. Huiusmodi ergo qui longe adhuc absunt à sua perfectione, quomodo fœliciter sibi simile generabunt? Et licet verum sit, hominem in anno 14. (quod ad masculos attinet) in anno 11. quantum in fœminis) ad generationem vt plurimum sufficere, manifestum est tamen non posse illis tam perfectam inesse generandi virtutem, vt posteaquam in robur virile euaserint. Donec enim ad ipsius indiuidui augmentationem

plurimum debet esse intenta vegetatrix potentia, non ita sollicita esse potest de specie, ad generationis semen perficiendum. Verum posteaquam augmentatione 'debitam' indiuiduo induxit quantitatem, tum liberius ad speciei multiplicationem potest intendere efficitque tum semper (quod de alimento superfluo resoluitur) potentius ad generandum sibi simile. Cæterum, gula ipsa quanquam per se videatur magis ad iudiuidui detrimentum pertinere (eo quòd per ipsam nimia fit commixtio extranei cum radicali humido & calor minuitur, ac velut obrutus nimia infusione extranei debilitatur atque extinguitur) vergit tamen mediate ad speciei detrimentum. Nam cum per indiuidua debeat generatio fieri, constat ad debilitationem singularium hominum generantium, cõsequi infirmitatem generationis. Nam (cæteris paribus) eos qui fortiores sunt & melioris complexionis, videmus progignere proles fortiores ac durabiliores illis qui infirmi sunt ac debiles. Vnde non dubium est, hominem frugaliter viuentem & conuenienti mediocrique alimento vtentem ad generationem bonam esse magis aptum, eo qui vorator est atque ebriosus. Quemadmodum enim cibo ac potu immodico impeditur bona nutritio & inuidui diuturna conseruatio: ita etiã generatio & bona speciei multiplicatio. Adde & hoc quod plærique nimia venere seipsos exhauriunt. Facit enim nimia seminis emissio celeriorem exiccationem, & humidi consumptionem. Vnde etiam in animalibus brutis videmus illa quæ maxime veneri incumbunt, celerius morte absumi. Propter quod Aristoteles dixit, passerum masculos minus viuere fœmellis: eo quòd masculi (vt ipse ait) plurimam sequantur venerem. Verum illud ad indiuiduum videtur spectare, quantum ad ipsum venere vtentem. Quantum vero ad prolem genitam, etiam in speciem vergit detrimentum. Qui enim immoderate rei venereę indulget & sępius quàm natura docet, ratioque postulat, non potest hic nisi debilem gignere prolem, eo quòd semen non possit in eo tantæ esse virtutis, quantæ foret si hac in re esset moderatior. Cum enim semen multæ sit perfectionis & magnæ nimium virtutis (vt supra ostendimus) verisimile est ipsum multo satis egere tempore, vt suæ virtutis accipiat perfectionem, & vt plenam accipiat ad suas

operationes efficaciam.

CAPVT XXV.

Execratio detestatioque gulæ atque luxuriæ genus humanum infirmantium.

Est proinde nimium detestanda hominũ plurimorũ prana peruersitas, peruersaq; prauitas, qui hisce vitijs abominandis atq; execrandis ita sese fœdé cõmaculant. Similes facti iumentis insipientibus, equis & mulis, in quibus cum nõ sit intellectus, solam insequentes sensus concupiscentiam ad quælibet sensui arridentia absq; interiori retinaculo suo motu feruntur. Imò vero longe superãt iumentorum irrationabilium conditionem homines à deo conditi rationales. In nulla enim iumentorum specie ita videas mala prædicta (cibi dico ac potus, reiq; venereæ abusum) latissime patere, vt in specie humana, quę ob rationis priuilegiũ merito debuit ab illis esse alienissima. Nam iumenta mensuram sibi constituunt, sensus voluptatem, & cum gratum aliquid propositum fuerit, eatenus inde sumunt, quatenus oblectatur sensus: vbi autẽ absceſſerit delectatio, caput auellunt, neque sumunt vltra.

Vide hominum intemperantiam.

Propone (exempli gratia) equo aut asino sitienti aquam limpidissimam, propone (inquam) in abundantia: videbis donec sitis fuerit extincta, donec appetitus ille sensus fuerit sedatus, non habituros requiem: mox vero vbi impletum fuerit sensus desiderium, capite auerso desinunt haurire. Ita & in pascuis vberrimis videmus, posteaquam satietas facit sensum non vltra herbis delectari, à pastu cessare animalia, & vel sopori se dare, vel obambulationi. At vero inter homines facile inuenias, imò non quæsitos passim obuios videas, qui nulla sibi posita mensura, etiam sensibus omnibus reclamantibus atq; abhorrentibus, cibum potumq; ingurgitant, donec crepet venter, indignum existimantes cessare à poculis, aut à cõuiuijs abscedere. Item in animalibus videmus, ea admodũ sobrie rarissimeq; vti venere, & id plerunq; statutis anni tẽporibus. Homines vero qui per rationem etiam perpetuo se refrenare poterant irrationabilitate superantes irrationalia pecora, nullum faciunt modum, etiã ampliora quàm possunt fœdissime attentantes.

Rursum animalia irrationalia à natura deputatũ sibi modum seruãt, neque nisi quantũ natura causa speciei seruandæ extimulat, re huiusmodi vtuntur. Homines vero nulla habita ratione multiplicationis speciei, nulla cõsiderata honestate, modos indebitos, & quales natura horret coniunctiones adinueniũt sic in omnibus optimi creatoris & piissimæ naturæ donis abutentes, in suam temporalem pernicię, multo verò magis in sempiternum interitũ, paratũ reuelari in die nouissimo, quãdo veniet iustus ille scelerũ vltor, summa districtione exquisiturus rationẽ de omnibus humano generi donis collatis, Deus in ęterna secula benedictus. Amẽ.

Finit considerationis Physicæ liber octauus.

PSALMVS HOMINVM GENERI CONmonitorius, pro donis magni Dei futuris atque præsentibus.

Attendite genus hominũ ad beneficia creatoris vestri: quanta cõtulerit vobis, tota mentis virtute cõsiderate.

Ex his autem quę iam præsentitis in tempore isto, transite ad considerationem eorum, quæ sunt quidem nunc abscõdita ab oculis vestris, sed exhibenda in tempore suo.

Quod ad tempus hoc attinet, ecce corpus mirabile & nobilem animam donauit nobis: calorem vitalem ad operãdum in corpore, mirabilia ipse inseuit corporibus nostris.

Cibos omnigenos ad abundantiã præstitit nobis, vt reficiamur ex eis ad abundantiam consolationis nostræ.

Ad sustentationem corporis escam donauit ad sufficiẽtiam: non defuerunt ab initio quæ nostro conducerent pastui.

Per annos singulos germinat nobis terra prę stantissimos fructus suos: cuncta semina è matre terra progignũt fœtus suos.

De terra prodire facit benignissimus creator Deus firmamẽtum panis, & vino quod lętificet cor hominis hortos implet vinearum.

Neque vero solum necessaria prębet sustẽtationi nostrę, sed etiam quę ad voluptatis proficiunt oblectationem abundẽ ministrat nobis.

Poterat quidem panis sufficere ad confirmandum corpora filiorum hominum: & aqua in sitis refrigerium.
Non hæc tamen ipsi pro sua munificentia videbantur sufficientia: delicias etiam voluit adiicere & magnificas cibo rum diuitias.
Præter nanque panem confirmantem, dedit carnes iumentorum magnorum atque paruorum: carnes volatiliũ, natatilium, & gradientium super terram.
Insuper & fructuum suauissimorum miram varietatem ex consimilibus ferè lignis prodire iubet: mellis quoque dulcedinem, & vini iucunditatem voluit adiicere.
Non erant autem hæc omnia humano pastui necessaria: sufficisset vtique nutrimento hominum horum, minus quã dimidium.
Attamen sic ipse voluit, qui gaudet magnificè benefacere: ita illi visum fuit diuiter enutrire filios suos.
Ita illi complacuit gustum quendam præbere superuenturæ æternæ dulcedinis, quam licet non sit contemplatus oculus, ipse tamen absconditam seruat se diligentibus.
O quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam præparasti diligentibus te, quam erit beatus qui manducabit panem in regno Dei.
Si nunc ita diuiter, ita magnificè, ita delicatè enutris corpora nostra, mortis corruptioni necessitatis lege succubitura: o quanta præstabis olim resuscitatis, morteque solutis, in præsentia vultus tui.
Quomodo satiabimur, apparente gloria tua, quomodo inebriabimur ab vbertate domus tuæ: potati voluptatis tuæ torrentibus.
Nunc quidem donec Adæ debito subiacemus cibo tuo instauramus corpora nostra: vsquedum adueniat terminus quem constituisti vnicuique, ad persolutionem debiti.
Quod calor vitalis (quem inseuisti nobis) depascit, instaurat alimentum à te subministratum nobis: donec tandem virtute deficiente mors adueniat: quam superinduxit nobis iniquitas nostra, & iustum decretum tuum.
Illicverò absque metu mortis, & corruptionis pauore persistemus stabiles, nihil erit consumens, nihil instaurandum in locum deperditi.

Tua enim virtute longe illinc omnis profligabitur consumptio: interitus & mors non accedent ad tabernaculũ sanctum tuum.
Non patietur cibus ille tuus quem apud te manducabimus, in perpetuum dissolui compositionem corporis nostri, in perpetua immortalitate glorioſi indissolubilesque conseruabimur.
Panis quem ibi propones conuiuis tuis non exhibebit laborem dentibus: molis nõ egebit dentiũ vt cõteratur in eis.
Illabetur per sese dulciter vt mel gutturi nostro: & penetrabit suauitas eius vsque ad intimum cordis nostri.
Implebit suauitate animas nostras: omnia ossa nostra dicẽt, domine quid simile potest esse huic dulcedini?
Gloria patri & filio, & spiritui sancto:
Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in secula seculorum, Amen.

Finit Psalmus.

LIBER NONVS CONSIDERATIONIS PHYSICÆ, DE sensibus exterioribus, eorumque organis & sensibilibus.

PRAEFATIO.

PRAETER potentias illas vegetatiuas, quibus omne viuẽs ab authore omnium Deo dotatum cõspicimus, vel ad suiipsius cõseruationem siue perfectionem, vel ad suæ speciei sustentationẽ, experimur in animantibus esse alias quasdam vires exteriores, quibus rerum extra existentiũ mirabili modo possunt species atque simulachra in se susciperе, absq; vlla reali susceptione corporum illorũ, quorũ apprehendunt simulachra: sicque fit, vt cætera omnia tam animata quam inanimata, possint hisce viribus animalia variis modis apprehendere: quẽdã quidẽ lõgius absẽtia, quædã vicinius prẽsentia, iuxta vtrium harum diuersitatẽ, secundum perfectionem maiorem atque minorem. Has autem potentias sensitiuas dicimus, & vulgata appellatione ab officio

sensus appellamus. Horum quidam organum habent exterius patens, resque ipsas non nisi exterius præsentes & obiectas percipiunt, vt visus oculum habet pro organo, & non nisi præsentialiter obiectos oculo colores percipit: quos proinde sensus exteriores rectè appellamus. Ac de his nunc præsentis libri aggredimur determinationem, de illis qui interius latent absconditi, posit expeditum horum qui iam propositi sunt tractatum, sermonem (Deo donante) facturi. Ita enim ordo exigit disciplinę, vt de iis quæ nobis nunc sunt notiora, sensibusque nostris magis exposita prius absoluatur determinatio, quam ad ignotiora & occultiora fiat progressus.

CAPVT I.

De numero sensuum exteriorum, & specialiter de visu.

DE potentiiis quas exteriores sensus appellamus dicturi, commodum quot sint, & que ipsorum obiecta, præmittemus.

5. sensus exteriores.

5. Obiecta.

Sunt autem sensus exteriores quinque, visus, auditus, odoratus, gustus & tactus. Obiecta quoque totidem sunt, hec videlicet, visibile, audibile, gustabile, odorabile, & tangibile.

Omne enim sensibile, vel est visibile: vt colores, lux, & lumen: vel audibile, vt soni: vel odorabile, vt odores: vel gustabile, vt sapores: vel tangibile, vt calidum, frigidum, siccum & humidum. Vnde color est obiectum visus, hoc est, id quod per se à sensu visus percipitur, & cuius ratione cætera colorata videntur, sub colore intelligendo lucem & lumen, quæ etiam per se sunt obiecta visus. Sonus, est obiectū auditus: sapor, obiectum gustus: odor, olfactus: qualitas tāgibilis, (sub qua sunt calor, frigiditas, humiditas, siccitas.) obiectū est tactus: ita vt nihil percipiat auditus nisi ratione soni: nihil gustus, nisi ratione saporis: nihil odoratus, nisi ratione odoris: nihil tactus, nisi ratione tangibilis alicuius qualitatis. Ad clariorem prædictorum intellectum faciunt quædam diuisiones Aristotelis, ipsum sensibile in aliquot membra secantes, prior est.

Sensibilium, quædam per se, quædam per accidens sentiuntur.

Id est, eorum quæ sensu percipiuntur, alia ratione suæ naturę, & non ob aliud inexistens percipiūtur, alia ob aliud inexistens. Prioris exempla sunt quinque sensuum obiecta, color, sonus, &c. Posterioris sunt omnia horum obiectorū subiecta, vt homo, equus, lapis, planta, &c. Ratione coloris videtur, soni causa audiuntur, ab odore ab odoratu percipiūtur, & non ex propria natura. Altera diuisio,

Sensibilium per se, alia sunt vniuscuiusque propria sensus, alia communia cunctis. Proprium sensibile est, id quod alio sensu sentiri non potest, & circa quod error fieri nequit.

Id est quod vnico sensu exteriori per se seu speciem percipitur, & circa propriam quod sensus non erat seu decipitur, ita vt videat non colorem, pro colore, aut audiat non sonum pro sono, odoretur non odorem pro odore, & ita in cæteris, licet ignoret quid sit habens colorem, &c.

Sensibilia communia sunt, quæ nullius sunt propria sensus, sed omnibus communia.

Cuius sententia ex definitione præcedenti facile patet, sunt huiusmodi, motus, quies, numerus, figura, & magnitudo seu quantitas cōtinua permanens. Hæc enim à pluribus sensibus exterioribus percipiuntur, licet non ab omnibus, vt motus & tactu & visu est perceptibilis, secundum Aristotelem.

Habent autem hi quinque sensus, suum quisque organum & medium.

Organa sunt hæc, oculus, aures, lingua, nares, neruus tactiuus.

Aqueus siue crystallinus, in quo recipitur species & eius virtute fit visio in oculo. Dicunt enim in centro huius humoris perfici visionem. Et propter hunc humorem Aristoteles dixit oculum esse aqueum, quod probat etiã ex aquæ effluxu, cũ oculus fuerit confossus, & ex prouidentia naturę, quæ circa pupillã circumposuit albuginem pinguem & calidam in modum adipis, illis animalibus quæ sanguinem habent: item & palpebras: hoc ingenioſe factum dicẽs à natura, vt humor ille pupillæ per frigus non aliquando coagularetur vel cõgelaretur. Ab hoc autem humore vlterius tendunt ad cerebrũ, à duobus oculis duo nerui, qui in vnum conueniunt ſeſe inter ſecando, qui neruus opticus, id eſt viſiuus dicitur. Notandum verò quòd tam oculus, quam anima, quam etiam potẽtia viſiua, videre dicitur, verum id diuerſis intelligitur modis Oculus enim videt, quia viſionis actũ in ſe habet. Anima videt tanquam efficiens præcipuũ actus videndi: & viſiua potentia tanquam efficiens inſtrumentale.

CAPVT. II.

De obiecto viſus, colore, & luce.

SVnt autem quę videntur (vt diximus) colores, lux, & lumen: quanquam lumen nõ proprie terminet viſum. Eſt enim lumẽ ſpecies lucis, & lux in lumine videtur, & ipſum deſe ſpargit per medium in organum: ſicut color diffundit ſuam ſpeciem in organo, & per eam videtur. Species autem proprie non videtur, ſed per ipſam videtur id à quo diffunditur in ſenſum. Vbi notandũ, quòd color vt in oculo ſuã ſpeciem diffundat, requirit luminis illuſtrationem. Nõ enim poteſt color immutare medium, neque proinde mouere ſenſum, niſi cadẽte ſuper ipſum aliũde lumine extrinſeco. Lux vero non eget alieno lumine, quandoquidẽ ipſa ſecũ lumẽ affert, in quo videtur. Vnde ſi ſic eſſe color, ſemper eſſet viſibilis tam de die quàm de nocte. Imo verò per contrariũ, ſuperueniente extrinſeco lumine lux impeditur, ne videri poſſit: ſi ſuperueniat, inquã, lumẽ maius. Nã maius lumẽ obfuſcat minus: quẽadmodũ manifeſtè patet in luna, & ſtellis: quæ latent donec ſolis lumen abſcedat, poſt cuius abſceſſum videri incipiũt, ſi aliud non interſit obſtaculum. Attendendum

vero quod diximus, vt color videatur requiri ad luminis alieni illuſtrationem. Nam quædam reperiuntur duabus rationibus viſibilia, partim ratione coloris ſui, partim ratione luciditatis vel fulgoris. Patet hoc ſecundũ in lignis putridis, oculis cattorũ, vermibus quibuſdã, & piſcium oſsibus. Hęc enim in nocte, & ſi quando ab eis lumen extrinſecũ ſecludatur, videntur ſecundum lucem quam habent. Per diem autem cadẽte ſuper ipſa extrinſeco lumine, ſecundũ colorem propriũ longe alia videntur. Vnde & falli nõ raro contingit eos, qui ſulphurata in cattorum oculos impingunt, aut aduerſus trũcos putridos nocte conſurgunt, oſſaue huiuſmodi pro re quapiã precioſa decepti colligunt, exiſtimantes ſe aut carbones videre ignitos, aut homines armatos cõtraſtantes, aut precioſa quæq; metalla reperire. Hæc ergo corpora ſic duabus rationibus viſibilia, ratione quidem coloris (quemadmodũ alia corpora) non videntur niſi in lumine, ratione autem fulgoris illius, non niſi in tenebris. Sunt autem quę ſecundũ idem & de die videntur & de nocte, quemadmodũ videlicet flamma ignis medio die videtur in lumine etiam non proprio. De nocte vero videtur per lumen proprium, quod de ſe diffundit. Secundũ idẽ tamen videtur, quamuis nõ in eodẽ lumine, *Ariſt. ca. 7. 2. li. de Anã ma.*

CAPVT III.

Quibus rebus conueniat color.

NOn inuenitur autem color proprie acceptus niſi tantũ in corporibus terminatis, hoc eſt, opacis, & quæ tranſlucentia, ſiue penitus diaphana non ſunt. Licet autem ſolum color ille qui in extremitate apparet corporis opaci, ſuper quod cadit lumẽ à corpore lucido, moueat viſum, atq; ab oculo videatur, eſt tamen ſecundũ veritatem color etiam in partibus interioribus ipſius corporis opaci, æque atque in extrema, quemadmodum ad oculum patet in corporis diuiſione, vbi manifeſte color in vtraque parte ſe offert, qui non per diuiſionem illic generatur, ſed ante diuiſionem præfuit tametſi non apparuit. Quod autem non videatur niſi ille qui eſt in extremitate, inde eſt, quod hic ſolus lumine illuſtretur. Nã ad colorẽ qui in interius eſt, nõ poteſt luminis fulgor pertingere. Atq; hoc eſt, quod Ariſt. in lib. de Senſu & ſenſato, *Quibus conuenit color.*

Quid color actu sensum mouens.

Colorem actu sensum vel sensationem facientem definit esse extremitatem perspicui in corpore terminato.

Solum enim ille color qui in extremitate est corporis opaci, visum mouet: quoniã lumen aduenies corpus tale in sua extremitate tantum facit esse perspicuum.

Perspicuum est, quod est quidem visibile, nõ autem per se sed per alienum colorem.

Id est, corpora diaphana, id est translucentia, vel trasparentia, quę visum non terminant sed perspicua sunt (vt aer, aqua, cœlestia corpora, & quædam alia corpora solida) non sunt colorata, neq; per se sunt visibilia, nisi quatenus luminis sunt in se susceptiua, ratione cuius fiũt visibilia. Vnde cœlos non videmus vt coloratos, neque aerem, neq; aquam, sed tãtum vt luminosa, cum lumine fuerint illustrata.

Potentia perspicuum est, id in quo nunc idipsum ineſt, nunc tenebræ.

Id est, quod aptum est susciperе lumen, actu tamen nõ habet: cum autem corpora huiusmodi luminis susceptiua, lumine vacant, tenebræ dicuntur.

Perspicuũ versus medium.

Sunt enim tenebræ priuatio luminis corpore susceptiuo. Est autem perspicuum omne aptum medium visus (cum fuerit lumine collustratum) per quod color possit videri.

Vnde Aristoteles definiens colorem ait,

Color est, motiuus eius quod est perspicuum actu, & id est ipsius natura.

Id est, color est qualitas emittens sui speciem visibilem, per corpus perspicuum, lumine collustratum, idq; suapte natura Non est autem actu perspicuum vel diaphanum, sine lumine. Perspicuum ergo actu mouetur & immutatur à colore, quatenus videlicet color in perspicuum imprimit suam similitudinem, ipsum vero perspicuum consequẽter immutat visum. Atque ita per medium perspicuum color immutat visum. Sic etiam lux medium perspicuum prius immutat, lumen in ipsum diffundendo, ac per mediũ ita immutat visum.

Admodum vero apte hoc natura disposuit, vt corpus perspicuum quod est visus medium non habeat vllum in se colorem. Si enim colorem aliquem in se haberet proprium, color ille impedimento esset discernendis coloribus. Nã quicquid per tale medium videretur, consimilis coloris iudicaretur, veluti cum per vitrum rubeum, quod intra se habet rubedinẽ cernimus, quicquid conspicimus apparet rubeũ. Proutdè ergo hoc natura disposuit, Vt mediũ visus per quod debeat color discerni, careat natiuo colore. Ob hoc vero, & lumine proprio, siue propria luce carere videtur, ne luci cuilibet percipiendæ præbeat impedimentum.

Lumen autem (iuxta Aristot.) est actus huiusce perspicui, ea nimirum ratione, qua perspicuum est.

CAPVT IIII.

Medium visus nequaquam impedit visionem.

Opinio Democriti.

EX prædictis patet, non recte sensisse Democritum qui existimabat, si totum spatium, quo cernimus esset vacuũ acutius expeditiusque singula posse videri, adeo vt formica possit per medium vacuum in cœlo videri. Sic enim ista procedit imaginatio, quasi perspicuum intermedium impediat visionem, quod veritatem non habet cum potius eam adiuuet, imò sine eo non possit fieri. Si enim esset vacuum inter cœlum & oculum nostrum, nihil penitus possit eorum quæ in cœlo sunt, a nobis videri. Medium enim, primum à colore vel luce immutatur, & per ipsum medium perspicuum immutatum consequenter immutatur oculus. Illud tamen verum est, quòd medium si incrassatum fuerit, impedimentum præstare possit vt quanto magis à perspicuitate recedit, tanto ægrius per ipsum fiat visio, velut cum

aer in nubium densitatem ingrossatur, quemadmodum per aquam difficilior sit visio quam per aerem, cum tamen vtrũque sit medium visionis. Quod autem medium actu perspicuum esse debeat, & lumine collustratũ, vt fiat visio, quæri solet, an ex parte coloris hoc sit, an ex parte oculi. Est aũt probabilius, quod ex parte coloris hoc procedat, quoniã videlicet color suapte natura non potest immutare medium nisi actu perspicuum, & lumine collustratum, neque potest nisi lumine super ipsum cadẽte, suam speciem in aerem imprimere. Nam (quantum ad oculum attinet) experimur, hominẽ in tenebris densissimis positum videre candelam lucentem a lõge, quod argumentum esse videtur pro oculo. quod ipse ex sua natura non requirat sui ipsius illuminationẽ, sed ex parte ipsius coloris, qui non potest aliter nisi in perspicuũ actu suam speciem imprimere. Et illa, quæ iam supra diximus, in tenebris videri ratione sui fulgoris vel luciditatis, ab oculo non illuminato videntur. Cum autem oculus per suam potẽtiam visiuam possit nullo lumine illuminatus percipere flãmam & huiusmodi fulgorem, videtur ipse quãtum ex se, nõ requirere illuminationem alicuius luminis extrinseci vt videat colorem. Propter quod dixerunt nonnulli esse in oculo quandam lucem, qua sufficiat (etiam si extrinseco lumine non illustretur) quantum ex sua natura, apprehendere visibilia. Quod tamen non videtur de luce proprie dicta veritatem habere, sed tantum de claritate, limpiditate, ac perspicuitate, quæ est in pupilla ad modum crystalli resplendẽtis. Lux autem proprie dicta non illic ponenda est eadem ratione qua nec color. Quomodo enim si color aliquis proprius esset in pupilla, impediret colorum distinctionem, atque ob hoc denudatum esse oportet organum visus ab omni colore, vt omnium possit colorum specie absque impedimẽto suscipere, & de omnibus iudicare: ita & de luce proportionabiliter apparet dicendum.

CAPVT V.

De *auditu & eius organo.*

INter sensus exteriores secundo loco ponitur auditus, cuius est sonos omnes atque voces & eorum differẽtias percipere. Quomodo autem de visu diximus, quod consistit in quodam aqueo, in humore scilicet crystallino qui est intra oculum: ita de hoc sensu, dicunt, quod sit in quodam aereo, siue in quodam aere connaturali circundato membranulla, & intra aurem diligenter abdito, prouideque concluso: ad quam cum species soni per aerem extrinsecum delata fuerit, susceperitque intra se speciem soni: ita causatur audito, fitque ibi soni perceptio: sicut visio fit in pupilla oculi, susceptа in eam coloris speciem. Hunc autem aerem natiuum, prouida natura, siue potius naturæ prouidissimus instituor, egregie muniuit (ne lædi facile possit quouis aeris impulsu) mirabili curuatione, quæ in aure apparet, inter ipsum ad hoc auditus organum multis anfractibus, & tortuoso meatu reddens admodũ difficile: ne si rectà esset ingressus, aer vehementer commotus facile vsque ad organum violenter se ingerens, ipsum lęderet atque destrueret. Nunc vero quum per tot curuitates atque anfractus aer pertranſit antequam ad organum intrinsecus latens pertingat, frangitur eius violentia, ne possit nocere, quantumuis extra aurem fuerit vehemens aeris commotio. Quemamodum videmus aquas in rapidis torrentibus, vbi recto currunt tramite maximo ferri impetu: vbi vero anfractus plures & incuruaturæ occurrerint, frangitur impetus, & ad partes illas que post has curuaturas sitæ sunt, mitiores veniunt aquæ fracta nimirum per alueum tortuosum nimia impetuosi cursus violentia. *Comparatio pulchra*

Cuius simile & in oculi pupilla consideramus, cui ne à subito ingrediente nimio lumine, aut etiam ab aere nimiũ propinquo euenire possit vlla læsio, naturæ author prænia contulit munimenta albuginem videlicet, & reticulos anteriores, quibus à læsione & offẽsione pupilla seruatur: vt non immerito diligentissimam Dei erga se custodiam postulans dixerit Propheta, Custodi me Domine, vt pupillam oculi. *Psal. 16.*

Rursum quomodo in pupilla diximus nullum esse colorem ad hoc vt omnium esse possit colorum perceptiua, sic & de hoc aere dicendum, quod nullum in se proprium habeat sonum, vt absque impedimento omnium possit sonorum differentias suscipere. Quod autem manum admouentes auri audire nobis videamur intra aurem sonum quendam ad modum cornu obscure sonantis, non arguit sonum aliquem esse in organo auditus. Est enim sonus iste in aere, qui extra pelliculam est, inter manum & organum auditus, qui intra *De sono quẽ audimus intra aurẽ immisso digito*

auris anfractus cõclusus, atque coarctatus, per manus arctã compressionem aut digiti immissionem, nec exire valés, monet membranam qua aer connaturalis clauditur, aqua mouetur organum auditus, sicque causatur sonus. Est autem huius soni intra aurem perceptio in homine signũ incolumis auditus, ita vt si manu admota auri, aut digito immisso non percipiatur sonus huiusmodi, signũ sit læsi aut male dispositi auditus: quemadmodum argumẽtũ est sani visus, si oculus obiectus solari radio, vel admoto propius lumine candelæ, non immotus persistat, sed ocyus sese voluat, & palpebras tremulas frequenter claudat, ne nimio lumine ipse offundãtur. & sensus ipsius harmonia dissoluatur. Quibus autẽ hoc deest, visum habent læsum. Vnde cæcos videmus ad nota lucente candela oculus nihil retrahere: & surdi vel surdastri manum auri apponentes, sonum illum supradictũ intra aurem non percipiunt.

CAPVT VI.

De *sono qui est obiectum auditus*

Obiectũ auditus sonus.

ESt autem sonus proprium obiectum auditus, ita vt nihil nisi gratia soni audiri possit, & quicquid auditur gratia soni audiatur.

Est autem sonus, motio eius, quod eo motu moueri potest, quo mouentur ea quæ resiliunt à corporibus leuibus cum quispiam percutit.

Soni definitio.

Hanc definitionẽ patet esse causalem, & hic redditur sensus. Sonus est qualitas quædam causata in medio ex collisione siue percussione duorum corporum adinuicem, qui cum totum oppleuerit medium usque ad organum auditus, efficit auditionem. Ad quemlibet enim sonum causandum tria requiruntur: scilicet percutiens, percussum, & mediũ. Quanquam horum aliqua secundum rem interdum contingit coincidere, vtpote cum vnum duorum fungitur officio, veluti cum quis virga violenter percutit aerem, idem aer quatenus violenter ictus habet rationem percussi: quatenus vero in se sonum recipiens, dicitur medium. Vnum autem corpus per

Tria ad sonum requisita.

se solum non potest sonum efficere. Notandũ vero, quod sonus non in ipso est subiectiue quod percutit, neque quod percutitur, sed in medio circunstante (aere scilicet vel aqua) quod ipsum in se recipit. Cum enim ex ictu mallei super cãpanam sonus editur, non est ille subiectiue neque in campana percussa, neque in percutiente malleo, sed in aere circunstante & per impulsum siue ictum moto & circungyrato, in quo suscipitur soni qualitas. Vnde quod campana sonare dicitur vel malleus, extrinsece intelligitur, quatenus videlicet sonum edunt sua percusiione: quemadmodum solem dicimus calidum, qui tamen vere calorem non habet, sed calori est tantum effectiuus. Atque ita corpora sonora dicimus, quatenus soni sunt effusiua, vbi fuerint icta. Aer vero tametsi in se habeat subiectiue sonum, non tamen ab eo secundum concretum aliquod vulgo vsitatum denominatur. Non enim dicitur aer sonans, neque etiam (iuxta communem vocabuli acceptionem) dicitur sonorus, tametsi sono sit informatus.

Qua in re manifesta inter sonũ (qui est obiectum auditus) & inter obiecta aliorum sensuũ differentia est, quoniam color subiectiue est in re quę per ipsum videtur, & odor in re est quę per ipsum odorem tantũ percipitur, sapor item in re quæ gustatur, & tangibilis qualitas in re quę tãgitur. Solus autem sonus non est in re quę auditur, sed ab ea tantum procedit, & in medio recipitur. Solus etiam sonus in ipso medio realiter existit. Cæterorum autem obiecta sensuum tantum sunt in medio intentionaliter, videlicet secundum suam speciem.

Fit autem sonus non absque locali motu. Cum enim sonus non fiat sine collisione & cõcussione, percussio vero nõ absque motu, consequens est nec sonum posse fieri absque motu. Sic autem fieri dicunt sonum in collisione corporum, quomodo in aquæ superficie fieri videmus, si inijciatur lapillus. Videmus enim circa locum iniectionis in aqua fieri circulos, & primũ quidem minores, ac deinde cõtinue maiores in longam distantiam, iuxta quod iniectio magis fuerit violenta, aut maior fuerit aquę circa locum iniectionis commotio. Ipse autem locus iniectionis videtur esse centrum omniũ illarum circulationum, & circũ ipsum sese gyrant per circuitum apparenter illi circuli. Ita dicunt, cum facta fuerit in aere collisio duorum corporum, ipsum aerem fortiter impul-

sum per circuitum se gyrare(ita vt locus collisionis sit quasi centrum huius circumgyrationis)idque in circulationes cõtinuo maiores:cum quo motu pariter & sonus dispergitur à loco collisionis,donec tandem ad aurem vsque perueniat.

CAPVT. VII.

An sonus realiter debeat ad organum vsque diffundi.

QVomodo vero sonus ad aurem perueniat an secundum seipsum,an secundum suam speciem,dubium est. Quidam dicũt,ipsum sonum sese realiter multiplicare vsq; ad organum auditus, atque ibi suam speciem imprimere organo,vt percipiatur ab auditu. Probabilior tamen est contraria sententia eorum qui dicunt,in aere quidem proximo & circundante locum percusionis,per circuitum ad aliquam distantiam realiter sonum causari,iuxta vehementiam collisionis,quousque videlicet per hunc ictum aer mouetur per circuitum huius percusionis:in partibus autem elongatioribus non esse realiter sonum,sed speciem soni ab ipso sono qui est in partibus viciniorib⁹ diffusus:quomodo color de se speciem diffundit in medium,per quod attingit organum visus. Neque enim causa videtur ob quam amplius debeat sonus per suam realem presentiam immutare organum, quam color. Vnde videtur(iuxta hanc probabiliorem sententiam)sic se habere aer proximus corpori sonanti eique contiguus & sonum in se habens,quomodo corpus coloratũ. Ipsum vero aerem remotiorem, ad modum aeris immutati specie coloris.Vnde quod supra diximus,sonum tunc efficere auditionem,cum vsque ad aurem totum oppleuerit mediũ, intelligendum est,partim secundum se,partim secundum suã speciem. Et id quidem omnino videtur rationi magis cõsentaneum.Videmus enim in corporibus duris, nonnunquã ex paruuli corporis super durum aliquod collisione sonum fieri,qui locum aliquem valde magnum immutat: vt si quis in templo magno,lato,& alto silicem paruulum super lapideum pauimentũ desuper cadere sinat,absq; aliqua singulari vehementia,auditur statim sonus vsque ad extremam partẽ templi.Nequaquam autem videtur sonus realiter pes omnes angulos eius diffundi.Cum enim dicant per aeris motum sonum deferri,quo pacto id videatur rationi consonum, vt ex tam paruuli corporis ictu totus aer qui in tã amplo loco est, dicatur localiter moueri?

Item cum leui ictu in cymbalo fit tinnitus,ictus vtiq; leuissimus est:nec rationabile videtur, vt tam minimo & leuissimo ictu totus dicatur aer qui in templo est moueri.Auditur tamen sonus cymbali vsque ad extremos angulos.Vnde verisimile videtur,quod sonus lapilli istius aut cymbali in partibus elongatioribus non nisi intentionaliter inueniatur,realiter autem tantum in partibus proximis loco collisionis.

CAPVT VIII.

Non semper maiorem sonum audiri remotius.

QVod si quis interroget, quo pacto tam modicus sonus tam longe possit immutare aerem,& paruuli corporis tam modica percusio,quo tam late possit speciem soni spargere:cum corpora multo maiora collisa etiam fortius nõ tam longe spargant,neq; tam late diffundant suam speciem. Vnde si magnum pondus plumbi desuper caderet super pauimentum lapideum,vix tam longe audiretur quãm sonitus parui cymbali,aut cadentis desuper lympidi lapilli super duro lapideo pauimento. Huic quæstioni non admodum difficulter adhibetur responsio, facta analogia ad naturam colorum.Nam vt in coloribus non semper ille longius immutat visum qui quantitate maior est, sed qui ex sese clarior & luci similior (quemadmodum color albus quantitate modicus,longius immutat visum quã color niger quantitate maior:item color rubeus & ceruleus multo longius,quãm viridis aut fuscus)sic & de sonis dicendum, quod quidam ex sua natura sunt magis immutatiui medij, & speciem suam facilius latiusque diffundentes quam alij: vt soni acuti magis sunt motiui auditus,quam graues. Atque hac ratione contingere potest,vt corporum sonantium,illud longius audiatur,quod minorem edit sonum,quam ipsum quod longe afficit realiter maiorem. Et fieri potest,vt duorum corporum

sonantiũ id quod latius realiter diffundit sonum non ita longe audiatur, vt illud quod non ita longe realiter sonum fundit. Potest enim vehemens & fortis corporum duorũ concussio late sonum spargere, quomodo & late mouet aerem per circuitum: ipse tamen sonus editus non erat de sui natura speciei late diffusiuus: alter cum sonus modicus, acutus, clarus, & limpidus, ex collisione leui generatus, late suã dispergat speciem, & per distãs admodum medium possit eam ad auditum transmittere. Nouissime de sono in generali & illud aduertendum est, quod recipi possit non solum in aere, verum etiã in aqua: tametsi in aqua minus percipi possit: fitq; subobscurior, eo quod propter eius crassitiem velut hebescat & suppri mat. Potest quoque etiam homo in aqua audire (tametsi obscurius) quandiu per tortuosum & curuum iter in aurem prohibentur aquæ ingredi. Vbi vero locum hunc occupauerint aquæ, qui est intra aurem, & ad pelliculam qua aer connaturalis tegitur peruenerint, indisponitur organum, ne amplius percipiat sonos.

CAPVT IX.

De voce, quomodo fiat, & quibus conueniat.

Vocis definitio.

EST autem quædam particularis species soni conueniens solis animantibus, licet non omnibus, quam vocem appellamus, definiturque ab Aristotele hoc modo.

Vox est ictus aeris respiratione attracti, qui quidem ab anima fit ea quæ in partibus collocatur, ad eam partem quæ gurgulio appellatur.

Quæ definitio hunc in modum est intelligenda, vox est sonus causatus ab ictu aeris ab anima respiratione attracti, & percussi ad vocalem arteriam, cum alicuius significationis imaginatione. In qua definitione sonus pro genere ponitur. Cætera vero ad exclusionẽ aliorum sonorum quę voces non sunt, adduntur.

Cum enim dicitur vox est sonus aeris respirati ab anima, manifeste ostenditur, vocem non nisi rebus animatis com-

petere: neque illis quidem omnibus, sed iis tantum quibus cõuenit respiratio. Aer enim respiratus dicitur, qui est per respirationem attractus, qui postquam impetu fuerit cõcussus ad vocalem arteriam, siue gurgulionem, ac concesione sonum efficit. Manifestum enim est, quod aer per respirationem attractus inquantum huiusmodi non efficiat vocem. Alioquĩ perpetuo homo vocem ederet, cum perpetuo respiret. Sed neque per solam aeris prius attracti emissionem. Nã & silens homo emittit attractum aerem. Verum cum intus contentus aer cum impetu concutitur ad latera gutturis, ad vocalem arteriam ita demum vox efficitur. Ex quo primum euidens est ratio, quare pisces in aqua vocem non formẽt. Sola enim respirantia possvnt vocem edere, piscibus autem non est respiratio. Item neque vocalem habent arteriam aut gurgulionem. Quidam tamen pisces sonitum aliquem faciunt attritu branchiarum, qui vox non est dicendus, quemadmodum neque sonus quem faciunt apes & muscæ confricatione siue impulsu alarum. Imo neque quilibet sonus ex partibus humani corporis factus vox dicitur, quemadmodum manum cõpulsio, aut pedum concussio non dicitur vox, eo quod non fit ex collisione aeris respirati ad vocalem arteriam. Patet etiam quod sonus ille quem faciunt dormientes dum stertũt non mereatur vocis appellationem: tametsi fiat ex aere per respirationẽ attracto. Non enim fit hic sonus per cõcussionẽ aeris ad vocalem arteriam. Quod autẽ additur in definitione, cũ imaginatione, id est, intentione aliquid significãdi, ideo additur, quia hæc est natura vocis, & ad hoc vox ordinatur à natura tam in hominibus quã in brutis, vt per eã aliquid significetur. In hominibus quidẽ, vt inuicẽ sibi possint indicare mentis conceptum & animi cogitatum, inuicẽque sibi secreta animi patefacere & communicare, nõ necessitatis solum, sed etiam amicitiæ gratia. In brutis autẽ, vt affectus sensuales possint aperire: verbi gratia, cõcupiscentiã cibi aut potus, irã, metum, gladium. Quemadmodum cum canis latrat, iram indicat aduersus incognitũ, vel cibum exposcit a domestico, quasi patefaciens cibi defectũ, & sui postulans fieri memoriam. Nonnunquam vero ad gaudium ostẽtãdum & applausum, exclamãt lætãtque blãdius, vtũturque bruta in singulis affectibus exprimẽdis accõmodatis voci-

bus, iisque diuersis: iuxta quod prudens speciei vnicuique natura indidit. Vnde canes nunc latrantes, nunc gementes, nunc eiulantes, nunc velut secundum multiplicatum sonantes ad diuersorum affectuum demonstrationem percipimus. Ponit quoque Aristoteles aliam breuiorem vocis definitionem, hanc videlicet.

Vox est sonus quidam animantis.

Quæ ex præcedenti supplenda & intelligenda est.

CAPVT X.

Quomodo respiratio item & lingua ad plura conducit, & de vocali arteria.

AD exactius vero perspiciendum naturæ ipsiusque naturæ authoris beneficium, attende non simplex esse respirationis officium. Nam primum conducit respiratio ad præcordiorum calorem temperandum. Nam à corde calor nimius egreditur ad præcordia, qui nisi continua aeris attractione refrigeretur, impossibile foret animal in vita perdurare, facileque caloris excessu absumeretur. Propter quod deus naturæ pulmonem circum præcordia velut fallem posuit per circuitum, qui aerem sese apperiens ac dilatans cõtinuo atrahat, iterumque se cõprimens eiiciat, vt attrahat alium: sicque perpetuo donec animal viuit, hanc seruat vicissitudinem, hac autẽ respiratione non egent animalia exãguia, neque illa etiam quæ licet modicum sanguinem habeant, non tamen tantum vt præcordiorum ab eo inflammatio huiusmodi exposcat refrigerationem, cuiusmodi sunt pisces in aquis habentes mansionem, vbi non potest fieri respiratio. Et quantum ad hunc vsum, est respiratio necessitatis, propter scilicet animalis vitam conseruandam.

Alterum vero ad quod ordinatur respiratio non necessitatis simpliciter est, sed tantum boni gratia, & ad vtilitatem siue commodum animalis, hoc est, ad vocem formandam, per quã animi aut sensus exprimat affectus atque cogitatus.

Atque ita etiam de lingua considerauimus, quod ad duo a natura deseruiat: quorum prius est, ad vitæ animalis quãdam necessitatem, ad gustandum videlicet & discernendũ inter sapores, quod in animali est propter nutritionem, ad

cibi conuenientis acceptionem vel disconueniẽtis abiectionem. Alterum vero est solum boni & commoditatis gratia, videlicet loqui & verba formare: quod simpliciter nõ est necessarium humanæ vitæ, quãdoquidem & muti absque hoc officio vitam seruant. Propter quod etiam primum officium in omnibus hominibus cernitur habere lingua, donec viuũt: secundum vero quibusdã deficit. De vocali autem arteria ad quã superius dictum est fieri deberi collisionem aeris ad formandam vocem, notãdum est, quod distinguitur à via cibi. Est enim alius meatus per quem cibus transit ad stomachum, & alius per quem aer per respirationẽ attrahitur, vox que formatur. Nam via cibi ad stomachum tẽdit, via autem aeris siue vocalis arteria ad pulmonem, cui adfert aerem pro cordis refrigerio: estq; via aeris multo arctior & angustior, quam sit via cibi. Et quia non lõge à via cibi vocalis arteria distat, idcirco prouidissimus naturæ author operimentum ei de super posuit, quod dum animal cibum sumit, viam vocis claudit, ne aliquid alimẽti a suo tramite deuians, inque ipsam incidens, animali adferat vitæ periculum, ipsum suffocando aut strangulando, quemadmodum nonnũquam accidere videmus iis qui inter epulas profosius solent cachinnari: quod vbi contingit, non cessat pulmo tussim concitare, & aerẽ versus partem superiorem fortiter pellere, vt vel impetu abiicia tur (si fieri potest) quod aeris tramitem impedit, & nisi pellatur, animal strangulat.

Vocalis arteria quid sit.

CAPVT XI.

De vocibus articulatis & inarticulatis.

QVædam autẽ voces sunt, quæ certis articulis possunt distingui, & secundũ particularũ aptã distinctionem ita percipi, vt etiam respondentibus literarum figuris describi possint, quemadmodum experientia monstrat, illa nos certis characteribus depingere, quę ab hominib⁹ vocibus articulatis proferũtur. Est enim inter articulos vocis & characteres, huiusmodi mirabilis quædã correspondẽtia per quam fit vt vnum horũ alteri respondeat, possitque alterum alterius fũgi officio. Quicquid enim per vocẽ præsentes facimus, id per scripturam correspõdẽtem absentes quoque agimus: suntque literę ipsæ quædã vicariæ absentium voces,

Quid articulata vox.

Quid vox inarticulata.

QVillam autē Vox quæ nullis certis distinguitur articulis, vt possit correspondentibus characteribus figurari, sed prorsus indistincta est & membris non distinguitur, dicitur vox inarticulata. Cuiusmodi sunt voces brutorum animalium, vt bouis mugitus, ouis balatus, canum latratus, equorum hinnitus, itemque auium garritus, quanquam per artem & humanam industriam harum quosdam videmus pauculas aliquot articulatas voces formare, quod ab illis famis inedia, & importuno præcentu potissime extorquetur. Id quod de psitaco ac coruis Satyricus Persius testatur his versibus. Quis docuit Psitacum suum chære? Coruos quis docuit verba nostra conari? Magister artis ingeniique largitor, venter. Voces item puerorum clamantium, & ebriorum atque furiosorum vociferantium, hisque consimiles, articulatæ non sunt, cum nullis figuris respōdentibus possint depingi. Quis enim bouis mugitum, quis canis latratum aut eiulatū depingat vllis characteribus? Sic & muti vocem quidem dant, quia tamen eam non debite articulateque distinguunt, vocem non profe runt articulatam. Vbi attendendum est, quod longe aliud est loqui, aliud vocem formare. Neque enim quicunque vocem formant, loquuntur. Loqui enim dicuntur illi tātum qui verba formant. Non omnis autem qui vocem edit, verba format. Non format enim verba nisi qui articulatam profert vocem. Nam voces inarticulatæ verba non dicuntur.

Procedit autem hæc articulata elocutio ex mentis conceptione, neque inuenitur nisi in humana specie. Ex ratione enim & mente oritur articulata elocutio quæ dum id quod ordinate concipit, & apud se cogitat, suæ naturæ consorti, id est, conuenientibus hominibus cupit significare, vocem talem edit secundum suos articulos & membra apte distincta, quæ id quod in mente est, possit debite & ordinate (iuxta quod in ea est) representare. Verum quia vox non potuit nisi ad præsentes fieri, neque sonare potest ad nimium distantes, frequenter autem vsuuenit, vt quis lōge absentibus proditum velit animi sui cōceptum, hinc & scripturam adinuenit humana ratio articulatam, qua vocis defectum suppleant. Nvm litteræ apud absentes vocis vice fuguntur. Est autem & scriptura quædam inarticulata, nō minus quā vox: qualis videlicet est quam pueruli antequam characterum formam effingere sint edocti, incerto calami tractu depingunt. Aduerte tamen non esse solum voces articulatas eas quæ in idiomate alioqui determinatam habet significationem. Nam cum interdum homines ad iocum animi gratia, linguam peregrinam aut barbaram se loqui fingunt (velut si fingens peregrinum me idioma loqui, pleno ore dicā buskambarbucachum, vel alia huiusmodi) voces vtique sunt articulatæ, non tamen in vllo idiomate (quod equidem sciam) quicquam significat. Attamen potest omnis vox articulata ad significandum imponi, & vox ad placitum instituentium fieri significatiua: quemadmodum voces nouas, quotidie videmus recipi ad significationem, quæ antehac in nullo idiomate fuerunt significatiuæ. Sciendum est etiam, quòd solæ voces articulatæ ad placitum instituentium significant. Omnia enim idiomata quantumcunque barbara, vocibus vtuntur articulatis ad sui animi conceptus exprimendos. Neque vllum est idioma aut esse potest, quod inarticulatis vtatur vocibus. Pleræque tamen voces inarticutatæ sunt significatiuæ naturaliter, nimirum omnes illæ quas ex naturæ instinctu videmus animalia bruta ad aliquam sensus passionē indicandam formare. Neque solum in brutis, verumetiam in hominibus, vt ploratus infantium, gemitus infirmorum, suspirium dolentium. In animalibus etiam brutis, latratus canum, mugitus boum, balatus ouium. Ad huiusmodi autem articulatæ vocis formationem, non sufficit pulmo & vocalis arteria, sed alia insuper instrumenta sunt necessaria, quæ voci dant articulationem. Nam præter illa duo (quæ ad simplicem vocem formandam sufficiunt) requiruntur etiam lingua, palatum, dentes, vt minimum quatuor, ad quos fiat velut limatio atque colatio, & duo labia, per quæ fiat expressio. Et in quibus hæc instrumenta deficiunt, fuerint impedita, vocem hi efficiunt inarticulatam. Vnde vetulas dentibus deficientes videmus vix articulatum vixque distinguibilem sermonem posse edere, item & eos qui linguā non habent integram, vel non liberam & ligatam.

Vox naturaliter significatiua

Requisita ad vocem articulatam.

Sed hæc de voce articulata & inarticulata dicta sufficiant: quæ ob hoc prolixius aliquanto deduximus, quòd ab alijs plerunque videremus omissa, cum sint tamen valde digna consideratione physica. Vox enim huiusmodi articulata est,

qua homo manifesto & speciali Dei beneficio cætera animalia præcellit: propter quod solus etiam peculiaria ad eam habet instrumenta quæ illa non habent.

CAPVT XII.

De *sono qui appellatur* Echo.

Echo.

QVãdoq; autẽ auditur sonus quasi rediẽs illuc vnde fuit emissus, & velut sonus soni vestigiũ subsequens. Quod fieri accipiendũ est per reflexionem soni repercussi ab obiecto corpore, ficq; reuertentis ad aurem, qui sonus, cũ longinquior aduenias ad autẽ (vtpote reflexus & repercussus, ad modũ pilæ resilientis à loco ad quem directe fuerat proiecta) merito posterior tempore auditur. Fit autẽ hæc reflexio & repercussio maxime circa mõtes aut syluas & aquas aut in corporibus cõcauis vt in templis habẽtibus reflectentes testudines. Et illic tardius subsequitur Echo primũ sonũ, vbi latior est reuerberatio, distãtq; lõgius id vnde fit repercussio. In tẽplis verò breui & apta testudine ecaptatis, vix Echo auditur subsequi, sed simul cum prima voce se adiũgẽs quasi sonũ duplicat, & mirũ cantãtibus est subsidiũ, si pauci sint: quemadmodũ cõtra onus graue, si nimij, eo quòd subsequens fortis reflexio prioris emissi soni, grauet & velut opprimere laboret sonũ directum, emissum posterius. Vbi notandũ, quòd (iuxta Aristotelis sentẽtiã) semper fit soni repercussio, & reflexio, quamuis nõ sen per percipiatur. Interdum enim ita debilis est reflexio, vt nõ valeat percipi: quẽadmodum lumen quidẽ semper reflectitur & reuerberatur, sed plerunq; tã infirma est verberatio, vt lumen nõ iudicetur, qui ad modũ in vmbra candelę per noctem cõtingit, vbi in vmbra est quædã luminis reflexio, sed nõ iudicatur à sensu propter debilitatem. Nã si non esset reflexio luminis, sequeretur per diem loca omnia plena esse tenebris ad quę nõ pertingeret directus solis radius, atq; ita loca plurima destituta essent lumine. Sed quia lumen solis admodũ potens est, idcirco etiam reflexum ipsius luminis facilè cernimus. Ita ergo dicũt in omni sono fieri reflexionẽ, sed nõ semper auditu percipi. Et quanquam communiter Echo non nisi in termination soni auditur, fit tamen priorum partium soni æque reflexio, sed

nõ aduertitur, propter partem soni subsequentẽ quę fortius immutat auditũ (cum sit sonus directus) quam Echo, cum sit sonus reflexus. Verba autem Aristot. sunt hæc.

Fit Echo cum aer factus vnus ob vas vel locum quæ terminauit ipsum atque dissolui prohibuit, inde resilit veluti pila repulsus.

Quorum sensus ex præcedentibus claret.

CAPVT XIII.

Quod visus nobilior est auditu, & quomodo visus auditum anticipat.

QVoniam vero visus mouetur à suo obiecto, absq; motu locali, & absq; reali sui obiecti in medium effusione, tantũ speciem obiecti absq; omni corporali immutatione per mediũ deferens suscipiendo. Auditus verò non nisi per exteriorem motum corporalem, & realem obiecti proprij in medium effusionem: idcirco visus spiritualior & nobilior iudicatur, quàm auditus, ac per consequens cæteris etiam sensibus auditu minus spiritualibus. Visus enim omnium sensuũ spiritualissimus est, & per consequens maximè sui obiecti facillime perceptiuus. Atq; hinc etiã est quod dici solet, visum anticipare, siue anteuertere auditum. Prius enim ad organũ visus peruenit obiectũ ipsius secundum suã speciem, quàm ad auditum perueniat ipsius obiectũ. Quia enim sonus diffunditur per motum localem, qui successiue fieri debet & tẽpus postulat (cum sit motus corporalis) color autem absq; motu corporali suã speciem diffundit in oculo, ad eum modũ quo lux suũ diffundit lumen (id est, in momento absq; successione) idcirco nõ mirũ videri debet si visus citius percipiat colorẽ aut lucẽ quàm auditus sonũ. Hoc autẽ est, visum anticipare vel anteuertere auditũ. Quod experientia quidẽ nobis ad oculum in nõnullis manifestat. Qui enim à lõge spectãt cædẽtes ligna in syluis, prius videt securim ferientẽ trũcum, quàm sonum ex percussione sequentem aduertant. Imò prius in altũ eleuasse eos securim ad iterum feriendũ cernũt,

Visus anticipat auditum.

quàm prioris ictus sonitus ad aurem fuerit delatus. Idem vidét qui à lõge mulierculas super aquas linteorũ immundicias eleuato ligno excutiétes spectãt idipsum quoq; & in coruscatione contingit, dum prius fulminis splendorem oculus cernit, quàm ad aurem tonitrui sonus pertigerit, cum tamen secundum veritatem tonitrui concussio præcedat.

CAPVT XIIII.

Quomodo in homine visus & auditus ad singularem finem ordinantur.

Nota. ILlud autem in consideratione operum Dei & naturæ valde admirabile est, quòd in humana specie non solum plura voluit ponere organa, & nobiliora quàm sint in speciebus inferioribus brutorum animalium, verumetiã eadem illa quæ communiter dedit homini & alijs animalibus, in humana specie ad vsus quosdam peculiares & secundum singularem aliquam excellentiam constitui. Visum enim & auditũ communem fecit etiam alijs animalibus, eatenus videlicet quatenus suæ cõueniret naturę, vt scilicet à lõge possent alimentum & sibi conuenientia videre ac prosequi, aut discõuenięs & inimicum fugere, itémq; per sonũ vel incitari ad id quod conueniens est, vel absterreri ab eo quod disconueniens. Peculiariter etiã propter hominis vtilitatem (cui à natura cætera sunt subiecta) vt per humanę vocis sonitum possent dirigi & gubernari, quemadmodum animalia domestica videmus ad vocem hominũ vel accedere, sumendi pabuli gratia, vel effugere, & à tentato desistere, propter vocis terroré, aut etiam moueri & gradum sistere, secundum directoris imperiũ. In homine autem peculiariter hi sensus altioris boni (vt Aristoteles ait) id est disciplinę & prudentię gratia sunt. Ostédunt enim (vt ipse ait) plurimas rerũ differentias, ex quibus cõsurgit contemplatio, & circa agibilia humanáq; actiones discretio. Hinc senes plærunq; prudentiores sunt, vtpote plures habẽtes diuersarũ rerũ experientias, quę ex particularibus rebus sæpius visis vel auditis gignũtur in homine, per cõparationem intellectus. Est tamen differentia quædam inter visum & auditum, quòd visus ad plura per se dinoscenda secũdum se melior promptiorq; habetur, & quantum ad ea quæ corpori sunt necessaria magis homini deseruit, quoniã vbiq;

Arist. in li. de sensa. 1. cap.

sese offerunt visibilia nõ item audibilia: neque sic ad animalis bonum & vitam intertenendam, est necessaria sonorum vt colorum perceptio atque discretio. Omnia enim corpora accurrentia colorem habent, insuper etiam sensibilia communia magis visus discernit quã auditus. Soni vero in paucis inueniuntur, & non ita passim occurrunt. Vox autem in paucioribus reperitur. Per accidens tamen auditus melior est, & quantum ad animam vere vtilior, quoniam disciplinę plurimum confert, propterea quod ad disciplinam capiendam hic sensus optime subseruiat. Sermo enim quod docens vtitur, non nisi per auditum capitur, atque ita rerum vtilissimarum & dignissimarũ cognitio, auditus ministerio in nobis comparatur. vnde fit vt qui a natiuitate cæci fuerunt, nullum habeant impedimentũ quin euadent doctissimi atq; sapientissimi. Nati autem surdi non admodum possunt esse sapientes, tametsi ex visis possint habere magnã in particularibus experientiam ad ea. Hæc tamẽ vtilitas de qua loquimur, ipsi auditui per accidens conuenit. Sermones enim illi pleni disciplinæ, quantũ ad ipsum corporis auditũ nihil amplius efficiunt in homine, quam si aliã quamlibet edas vocẽ: quomodo in brutis animalibus videmus, quod nihil amplius accipiant ex sermonibus plenis prudentiæ, si in aures eorum insonantur, quam ex vocibus nihil significãtibus. Sed intellectus est, qui per auditus ministerium tantum homini cõfert sublimitatem. Visus ergo per se ad plura eàque animal secũdum vitã corporis magis necessaria est melior, auditus vero per accidens ad ea quæ mentẽ oblectant, & intellectui conducũt vtilior habetur. Q na de re forsitan in libro de intellectu & voluntate latior fiet determinatio.

CAPVT XV.

De olfactu & eius obiecto.

POst visum atque auditum tertio loco ponitur olfactus qui perceptiuus est atque discretiuus odorum. Est autem hæc potentia sita in duabus carunculis, quæ sunt intra nares similes capitibus mamillarum, quæ sunto rganam olfactus. Estque hoc organũ secundũ aliquam participationem naturæ igneæ & igneum aliquid quemadmodum organũ visus supradiximus esse de natura aquæ, & auditus de natura aeris. Ad quod organum cũ odor à corpore

Olfactus instrumentum & obiectum.

odorifero diffusus pertingit, fit odoratio.

Medium olfactus est aer & aqua.

¶ De modo autem quod odor à corpore odorifero diffusus contingit ad olfactum, notandum sicut de sono dictum est, ad eius diffusionem requiri motum localem, ita ad odoris diffusionem fumalem quandam euaporationem siue exhalationem. Corpora enim odorifera dicuntur euaporationes quasdam & (vt ita dicam) effumationes aliquas efficere pertenuis vaporis ab eis resolutionem. Cuius signũ est quod tẽporis successu minui videntur, id quod per euaporationem satis probabiliter videtur contingere: Vnde per diem (quando calor viget) flores experimur magis odorem diffundere, quam per noctem. Cuius non alia videtur caussa, nisi quòd calor diei educit fumositates aut vapores à corpore odorifero: frigus autem noctis, quodammodo condensat atque cõstringit odorabilia, ne tunc ita fumositates effundant.

¶ Manifestissime vero ad oculum cernimus cum odorifera (vt thus & ligna boni odoris) cremantur per multã fumositatum exhalationem copiosissimum effundi odorem. Vnde licet hanc euaporationem oculus aperte non semper percipiat, est tamẽ omnino rationi id persuasibile ex his quæ cernimus, à rebus odoriferis virtute caloris cuiusdam qui in odorifero est aliquam fieri euaporationem, per quam odor diffunditur ad organum olfactus: a quibusdam quidã grossiorem, a quibusdam vero subtiliorem iuxta naturã & dispositionem corporis odorem fundentis. Ex quibus ratio claret, ob quam corpora quædam nullum de se fundunt odorẽ, quia scilicet nullam de se fundant euaporationem, neque effumabilia sint: quæ etiam temporis successu nõ videntur minui. Imo nec in igne posita minuntur, quemadmodum aurum quod dicunt esse minime odorabile, quoniam ex eo nihil resoluitur, propter quod & igne nihil deperdit.

¶ Aduertendum tamen, quod multa corpora aliquem de se odorem fundunt, & aliquam euaperationem, quem tamen non facile homo percipit, eo quod homo sit imperfecti odoratus, neque possit nisi excellẽtiores odores percipere. Vnde dicit Aristoteles, ferrum habere odorem, & magis æs, aurum autem nequaquam, Nobis tamen vulgo vt nõ aurum, ita nec ferrum, neque argentum videntur odorem diffundere.

¶ Quod autẽ homo imperfectũ habeat hunc sensum odoratus experientia satis mõstrat, quoniam quidem animalia quædam acutius exactiusque olfaciũt, vt canes & vultures. Vnde hũc sensum præ omnibus dicũt in homine esse imperfectissimũ causam assignantes, eo quòd iuxta cerebrum eius organũ sit positum: Homines autẽ in cerebri magnitudine & frigiditate, cætera animalia excedere, cõpertum est. Vnde oportet organum olfactus (quod igneæ naturæ est, calidoque & sicco perficitur) impedimẽtũ aliquod accipere ex vicinitate cerebri in qualitatibus cõtrariis excellentis, vt non ita exacte possit singula percipere quomodo in aliis animalib⁹ in quibus non est tãta cerebri frigiditas aut magnitudo, aut in quibus non est tanta vicinitas huius organi ad cerebrum.

CAPVT XVI.

¶ Quomodo odoratus in hominibus secundum aliquid perfectior est, secundum aliquid imperfectior.

VIdetur tamen quod hic dicitur de imperfectione odoratus in homine, secundum debitam moderationem sane intelligendum, non quidem vt simpliciter sit prior olfactus in homine, sed quantum ad aliquid. Simpliciter enim dicendum potius, quod præcellat hominis oderatus.

Duplex odor.

¶ Pro cuius intelligentia aduertendum est, quosdam esse odores, qui grati sunt aut ingrati olfactui, ipsique vel delectationem vel tristitiam adferunt per accidens tantũ & propter alterum, nempe propter saporem & alimentum, quemadmodũ odor carnis igne cõcoctæ, & ad esum aptæ ipsi olfactui gratus est, & propter saporem & propter cibum, vt scilicet ex odore tali grato attrahatur ad appetendum & quærendum huiusmodi cibum, Nam sicut sapores cibariorũ sunt delectabiles & grati esurienti, ita & odores. Odores tamen ad sapores ordinantur. Vnde saturatis & expletis postea quam sapor fit ingratus, nõ amplius gratus est odor ille, qui propter saporem expetitur, sed incipimus fastidire quod ante appetebatur. Vnde etiam fit, vt odor idem qui vni animali est ingratus & execrabilis, alteri sit placens & delectabilis, propter saporem ad quem ordinatur. Quemadmodum (exempli gratia) carni est odor cadaueris gratus, eo quod & sapore oblectetur. Homini vero, quemadmodum sapor, ita & odor detestabilis, Sic alii odoris qui saporem & esum amant, non est ingratus: contra vero, illis est abominabi-

lis odoribus quibus sapor displicet. Hi ergo odores qui sic propter saporem appetuntur, sunt per accidens appetibiles.

Odores non propter saporē grati.

Alij vero sunt odores, qui per se adferunt delectationē, & non propter alterum: cuiusmodi est odor florū, ité & aromatū odoriferorum, quæ non nisi ad olfactum pertinent. Hæc enim non propter gustum expetuntur, neque gratia alimenti, sed propter ipsam odoris in sese gratiam.

Inter hos autem duplices odores ponit Aristoteles talē differentiam, quod primos communiter & homines & bruta percipiant, quoniam æque scilicet vtriq; alimentū accipiūt, quod per odorem cognoscunt esse naturæ conueniens vel disconueniens. Secundos autem odores solum dicit hominē odoratu percipere. Non enim videmus canes (quanquā acuti admodum olfactus) vllo modo moueri ad florum odorem & si canis in gramine locū sibi quærat cubandi, non videtur magis ad locum vbi flores sunt odoriferi, caput reclinare, quam ad locum alium vbi similes non fuerint. Si tamen florum odorem perciperet, videtur quod magis ad locum boni odoris naturaliter olfactus organo ferretur.

Cum ergo homo non solum odores illos qui propter alimentū expetuntur aut fugiuntur olfactu percipiat, verum etiam illos qui per se & nullius alterius gratia olfactum oblectant: manifestū apparet quod simpliciter in homine, quā in aliis animalibus olfactiua potētia nobilior sit atque sublimior. Quanto enim potentia quælibet latius se extendit: tanto videtur nobilior. Et præcipua ratio ob quā homo præter animalia cætera, etiam odores per se appetibiles percipiat, videtur esse nobilitas & præcellentia ipsius potentiæ in homine supra potentiam similem in brutis aliis: quemadmodum in homine auditus nobilior est & sublimior, quam in aliis animalibus, eo quod nō solum sonos discernere, sed articulatas voces distinguere possit. Quod autem superius diximus imperfectum esse hominis olfactum, propter cerebri magnitudinem, frigiditatem, & propinquitatem, ita accipiendum est, quia si fiat comparatio olfactus humani, & olfactus canini ad vnum aliquem odorem qui vtrique sit perceptibilis, id est, ad odorem comestibilis, talis odor citius & longius mouebit canis olfactum quam hominis. Et huiusmodi odorum aliquem contingit canem percipere suo odoratu, qué minime percipiet hominis odoratus. Leporis nāq; qui per viā trāsijt, odorem percipit suo acuto odoratu, quem nequaquā sentit hominis olfactus. Ac iuxta hunc modum & de alijs sensibus intelligendum venit, si quid aliquādo simile dicatur, videlicet aliquem ex eis meliorem aut perfectiorem inueniri in bruto quolibet quàm in homine.

CAPVT XVII.

Non oportere odorem realiter ad organum vsque diffundi.

DE euaporatione autem illa & effumatione per quam diximus odoriferum immutare olfactum. an debeat fieri vsque ad organum olfactus, quæstio est similis illi quæ prius de sono & motu locali aeris facta est, an debeat vsq; ad organum sonus per motum deferri. Quare proportionabiliter de hac fumali exhalatione dicendū videtur, quemadmodum illic de soni per motū localem aeris diffusione: videlicet nō esse necessarium, vsq; ad organum olfactus realiter diffundi odorem per euaporationem, sed sufficere, quòd per locum propinquū odorabili realiter per euaporationē diffundatur odor, qui deinde in medio suam speciem fundit, sicq; per suā speciem ad organum vsque pertingit. Videtur autem hoc manifestare experientia, quoniam animalia quędā ad maximam distantiam dicuntur odorari, ita vt rationi consentaneū non videtur, à corporibus ipsis odorabilibus in tam longum spatium fieri euaporationem. Quod autem in loco propinquo odorabili fiat realis euaporatio, similiter probat experientia; quoniam si quis transeat per agrum valde odoriferū, quando maximè odor viget, sentiet se realiter quasi impleri per euaporationem fumositatum, quas intra se suscipit.

Culinarij quare parum edant.

Iuxta quem modum illi qui iuxta cibos proximi versantur coqui & culinarij, ciborum odori pleni dicuntur. Vt plerunque etiam de delicatissimis ferculis vel nihil parum admodum valeant manducare: quod id eo fieri videtur, quoniam intus existens prohibet extraneum. Quo autem pleni sunt, nisi fumositatibus eiusmodi ciborum, quas per olfactum, & per respirationem intra se suscipiunt, propter crassam euaporationem, quę fit decoquente igne, ac resoluente abundanter vapores, atque exhalationes à cibo qui coquitur.

Ad eundem modum qui in pœnu plenum odorifero vino

ingrediuntur, mox se quasi impleri sentiunt, adeo vt nonnũquam velut ebrij appareãt egrediẽtes. Qui verò à longe tãtum cibi vel potus odorem percipiũt, eos non sic impleri experimur, neq; vllum ex longo odoratu accipere fastidium: imo accenduntur magis & anhelant, vt diu odore perceptũ, commodũ cibum tandem accipiant. Vnde argumentum sumitur, quod nullam in se substantiam odoriferam per euaporationem susceperint, sed specie tantum sint odoris allecti.

CAPVT XVIII.

De diuersitate olfactus, & organi eius varia dispositione.

Duplex odorandi modus.

NOtandum vero, quod non idem est in omnibus odorãdi modus. Quædam enim sunt quæ per respirationem odorant, alia vero absque respiratione. Homo enim & cętera animalia in quibuscunq; est respiratio, non odorant nisi per respirationem videlicet per attractionẽ aeris. Cuius causam assignant ex parte organi olfactus, quod in animalibus respiratione vtentibus comperculo in modum ostij est munitũ, vt nihil possit ad carunculas illas in quibus situs est olfactus pertingere, nisi operculum illud leuetur & quasi ostiolũ aperiatur: quod fit per attractionem aeris, non vtique per os sed per nares. Monstrat enim hoc experientia, si tibi flos quantumlibet odoriferus ante nares teneatur, nunquam eius odorem percipies ab organo, donec aerem contines absq; respiratione, aut donec tantum per os respiras: nisi videlicet per nares aerem trahas ad apertionem operculi, sicq; simul cum aere attracto odorem ipsum vel odoris speciem ad organum olfactus adducas. Sunt autem alia animalia quæ olfactũ habent, & tamen nequaquam respirant, vt pisces, apes, muscę, & formicæ. De his enim experientia certissima monstrat, quod odoratum habent. Nã muscæ de longe ad ẽscam veniũt odore allectæ. Apes verò flores an ad mel exugendum conuenientes sint, an minus, odoratu discernũt. Non enim videtur, quo sẽsu alio id faciãt. Et formicas manifestissime ex horreis videmus ad apothecas rerũ dulciũ cõscẽdere in multo nu-

mero, sola allectas odoris dulcedine. Hęc tamen omnia nõ respirãt. Necesse est ergo alium esse modum in his animalibus olfaciendi, quàm sit in respirantibus. Pro cuius notitia aduertendum est quod sicut animalia non omnia eundem habent modum videndi, sic nec omnia eundem habent modum odorandi. Quædã enim animalia oculos habent molles. Et hæc palpebras habẽt, quibus molles oculi obuoluũtur & operiuntur, vt claudi possint neq; semper pateant. Si enim operculum non haberent, molles eorum oculi facile susciperent læsionem. Molle enim facile suscipit læsionem, nisi aliquo munimento defendatur. Quædã verò animalia duros habẽt oculos, in modum cornu aut solidi vitri. Et his operimentum palpebratum natura nõ contulit, neq; aliquid quo claudi possint, sed patentes semper esse permisit. Nã propter duritiem, nõ est eis periculum læsionis. Illis autem mollibus oculis nõ semper præsentes sunt neq; expositi colores, neq; percipi possunt ab eis nisi reuelato operculo, nisi palpebris disiunctis. Qui autem nullum habent operculum, semper sibi expositos habent colores, neq; vllius egent operculi ablatione vt videãt. Ita sanè & in odoratu dicendum, animalia illa quæ respiratione vtuntur, olfactum habere à natura reconditũ & operculo clausum: quare nõ nisi huius ianuę apertione recipiunt odores. Fit autem hoc aeris per nares attractione. Cætera verò animalia nullum habent huiusmodi operculũ, propter quod semper præsentes sibi habent sęperq; expositos odores, neq; operculi releuatione indigent. Possunt ergo absque respiratione odorare, quod non possunt priora animalia respirantia. Ex quo consequitur, animalia respirantia in aqua non posse odorare, cum illic nequeat fieri respiratio. Pisces tamen in aqua id possunt, eo quod respiratione non habeant opus.

Quorundã animaliũ oculi palpebris nõ operiuntur.

CAPVT XIX.

De gustu & eius organo.

GVstus inter exteriores sensus quartum locum obtinens, sapores discernit, in lingua habens suum organum. Nõ tamen linguam totam, sed neruum, qui in lingua latet abscõ-

Gustus instrumentũ & medium

& obiectũ.

ditus. Cæterum, caro ipsa porosa linguæ, quæ neruum operit & abscondit, medium est per quod fit gustatio. Habent enim gustus & tactus hoc sibi peculiare, quòd medium habeant coniunctum, quoniam videlicet organum ipsum & medium, simul sunt in vnum corpus & in vnum membrũ composita. Sẽsus autem alij de quibus iam ante determinauimus, mediũ habent extrinsecum, aerem scilicet vel aquam, per quam species obiecti ad sensum defertur. Ad hoc ergo vt fiat gustatio, non sufficit, quòd prope adferatur obiectum, id est, sapor, vel sapidum aliquid: sed necesse est quod tangat carnem linguæ, atque in eam suam imprimat speciem, quemadmodum non potest fieri visio coloris, nisi immutato aere & impressa in eũ sua specie. Quemadmodum enim se habet aer ad colorem in ordine ad visum, ita sapor ad carnem linguæ, in ordine ad gustum. Quomodo autem color, vt in medium aerem suam imprimat speciem, requirit illuminationem, sonus verò aeris motum, & odor euaporationem: ita sopor vt linguam immutet, suámq; speciem in eam imprimat, requirit humoris saliua ris coniunctionem. Oportet enim sapidum coniungi & cõmisceri saliuari humori, qui à natura semper est circa linguã vt immutetur gustus. Vnde quando in febricitatibus nimia siccitate humor iste deficit, ægrotos ipsos nullo videmus oblectari sapore. Sunt enim eis omnia quasi insipida, propter ariditatem linguæ & humoris defectum: nisi forte aqua aut fructus aliqui, qui secum humiditatem adferunt, aliqua ex parte suppleant saliuaris humoris officium. Cum verò saliuam aliqua amaritudine cõtingit esse infectam, male iudicat lingua, dulce reputant amarum, propter, infectionem saliuæ. Est autem saliua ab omni sapore denudata, vt cõmode posset omnem saporem discernere. Non est autem saliuaris iste humor proprie medium gustus, quemadmodum neq; lumen mediũ est visus, neq; euaporatio medium est odoratus. Sed est conditio quædam obiecti, requisita vt conuenienter sensum immutet, & tale quiddam, sine quo obiectum nequit immutare suum organum.

Saliuæ quorsum conferat animali.

CAPVT XX.

Quomodo gustus est quidam tactus, & nihilominus secundum veritatem diuersa potentia.

HVnc autem sensum gustus, dicit Aristoteles admodum certum esse in hominibus, quod sit quidam tactus. Tactus autem certissimus & optimus est in homnibus, quemadmodũ posterius declarabitur. Verum de huius dicti intelligentia dubitare solent, an senserit Aristoteles, secundum rẽ vere eundem esse sensum tactus, & gustus, neque realem esse ponendam diuersitatatem, an secundum similitudinem potius id debeat intelligi. Est autem secundum hoc probabilius, vt tantum secundum assimilationem quandam dictũ intelligatur, quomodo statua hominis interdum appellatur quidam homo. Vnde nõ simpliciter ait, gustum esse tactum, sed quendam tactum, tali nimirum adiecta diminuente particula, quomodo statua hominis quidam homo dicitur, non simpliciter homo.

Gustus est quidam tactus.

Cõsistit autem similitudo hæc in eo quod supra tetigimus, quòd sicut gustus habet mediũ coniunctum cũ organo, sic & tactus. Item quia vtriusque organum ponitur neruus.

Secundum veritatem tamen probabilius est ponere duas distinctas potentias, quarum vna per se percipiat saporũ distinctionem, altera qualitates tangibiles caliditatem, frigiditatem, & cætera. Cuius est argumentum quòd in lingua dicunt Medici posse lædi gustũ absque hoc quod lædatur tactus. Et cum defectu saliuaris humoris lingua non percipit sapores, tangit nihilominus, & qualitates tãgibiles nihilo pe ius percipit. Videntur ergo secundum rem distinctæ esse potentiæ, quarum vna læditur vel impeditur absque altera.

Sunt autem saporum multæ species, quẽadmodum & colorum. Est enim sapor dulcis & amarus, qui sunt sapores cõtrarij. Sunt præterea sapores alij, pinguis, salsus, austerus, acutus, acerbus, acidus, & alij quidam, quos Aristoteles in lib. de sensu & sensato secundum analogiam & cõparationẽ ad colores extremos atque medios accipit.

Varij sapores.

CAPVT XXI.

De tactu & eius organo.

INter omnes sensus exteriores nouissimus est tactus, vt omnium materialissimus atque crassissimus. De cuius organo dixerunt aliqui, quod sit iuxta cor proportionem habens qualitatum tãgibilium. Sed experiẽtia docet,

sum tactus per totum corpus esse expansum, ac proinde etiã eius organum. Vbicunque enim & in quacunque parte inuenitur operatio alicuius sensus, illic & potẽtiam talem adesse consequitur: & vbi potentia adest, oportet ibidẽ esse & organum eius: quemadmodum si visionem experiremur in pede, oporteret & illic potentiam visiuam constituere, simul & oculum, aut aliud visui organum præter oculum assignare. Quia ergo tactionem fieri experimur per omnia corporis membra, idcirco & potentiam tactiuam & organum ipsius consequens est per totum corpus fateri expensum. Est autem eius organum, non caro, vt quidam existimauerunt. Nã tangibile immediate applicatum carni immutat tactũ: quòd non faceret, si tactus organum esset caro. Est enim maxima seu propositio ab omnibus vera concessa.

Sensibile positum supra sensum nequit efficere sensationem.

Vnde si caro esset organum tactus, non posset tangibile apprehendere absque medio sibi applicatum. Neruus ergo qui carne vestitur, ipse est tactus organũ, qui per omnia mẽbra expansus, animali dat in omnibus partibus tãgendi potentiam. Caro autẽ neruo huic pro medio est, neque requirit aliud. Tangibile enim carnem contingẽs, per eam qualitatis tangibilis speciem transmittit ad neruum tactiuũ, vbique fit tactio. Obiectum autem tactus est qualitas tangibilis, hoc est caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, graue & leue, asperum & leue, durum & molle, viscosum & frangibile, grossum & subtile. Omnia enim hæc sensu tactus percipimus, principaliter tamen quatuor primas qualitates, sub quibus aliæ comprehenduntur.

CAPVT XXII.

Tactum omni animali donec viuit esse necessarium.

Nueniuntur autem inhoc sensu tactus multa singularia quæ non ita sunt in alijs iam determinatis sensibus. Primum enim, tactus solus omni animali inest & semper quandiu viuit vt insit necesse est, neque potest esse animal sine tactu, neque potest aliquid habere tactum quod non sit animal. Vnde solus tactus ad esse animalis requiritur. Cæteri vero sensus ad bene esse, vt declarat Aristo. vltimo cap. 3. libri de anima. Visus enim, inquit, additus est animali, quo vitam in aere aut aqua aut aliquo perspicuo sibi vẽdicet. Auditus, quo ei aliquid indicetur. Odoratus, quo odore à longè percepto ad alimentum se conuertat. Gustus, quo iucundum sit ei alimentum, & triste refugiat. Hæc autẽ omnia ad esse animalis non faciunt, sed tantum ad bene esse. Et verisimile est, quædam esse imperfecta animalia, in quibus nec gustus quidẽ reperiatur vtpote terræ affixa, aut in alimento suo perpetuo natantia. Nam cum speciali nullo egeant cibo, sufficiatque eis id in quo perpetuo natant, aut cui affixa sunt, non eis gustu est opus, quo alimẽtũ secũdũ saporem discernant, sed tactus eis sufficit, quo alimentum percipiant. gustus enim illis conuenit animalibus, quæ cibum habẽt disquirere atque eligere per saporis diiudicationẽ. & aliũ quidẽ occurrentem, vt noxiũ relinquere atque respuere, aliũ vero vt salubrem, & conuenientem admittere atque diglutire, aut non occurrentem diligenter venari. Quod si in aliquot locis Aristoteles videatur contrarium dicere, esse videlicet tactum & gustum omni animali necessarios, gustus impropriè accipi debet, secundum quod tactus ipse vt alimenti perceptiuus, gustus quidam in eiusmodi imperfectis animalibus appellatur. Ratio autem quare sensus tactus sit omni animali quam diu est simpliciter necessarius, hæc est, quia tactus sequitur proportionẽ & hormoniã qualitatum primarum animali omnino necessariam: quam harmoniam statim vbi dissolui aut destrui cõtigerit, ipsum quoque animal mox interire necesse est simul cũ sensu tactus proportionem illam consequente. Et quãdiu manet in homine harmonia illa quatuor primarum qualitatum sufficiẽs ad vitam conseruandam, tam diu neque tactus destruitur. Pariter ergo & vita & tactus in animali ex eadem causa deficiunt. Aliorum autẽ sensuum nullus proportionem illã primarum qualitatum necessariam animalis subsistẽtiæ consequitur. Nam quanuis omnes sensus in quodam cõtemperato, & in quadam proportione rectè dicantur consistere, ita vt illa dissoluta harmonia, disipata sit potentia illa sensi-

Aristo. 3. lib. de anima.

Tactus omni animali simpliciter necessarius.

tiua quæ ex ea cõsequebatur (quemadmodum visus destruitur contẽperamento illo quod in oculo est dissipato) potest tamen manere illa præcipua & prima harmonia primarum qualitatum, quæ ad animalis vitam conseruandam requiritur dissolutis aliis contẽperamentis. Itaque fit, vt absque cæteris omnibus sensibus possit tactus solus in animali persistere.

CAPVT XXIII.

Quare tactum naturæ author per totum corpus voluit expandere præ omnibus aliis sensibus.

EX hoc verò simul ostenditur, debere necessario per totum corpus expandi sensum tactus. Quomodo enim proportio illa & harmonia qualitatum primarum vitæ animalis necessaria, nulli membro debuit abesse, ita neque tactu potuit vllum membrum destitui. Quemadmodum si per totum corpus idem esset illud contemperamentum quod est in oculo, ad quod consequitur visus, indubiè consequens esset, per singula membra diffusum esse sensum visus.

Quare natura tactũ per corpus totum expãdit.

Est autem singularis etiam necessitas, ob quã debuit tactus nõ vnam aliqua parte tantum (vt cæteri sensus) specialem habitatationem accipere, sed per omnia corporis mẽbra diffundi. Videlicet quia excellentiæ qualitatum tãgibilium id est, ipsæ tangibiles qualitates, vbi in excellẽtia fuerint, per se natæ sunt corrumpere ipsam animalis vitam. Cæterorum autem sensuum obiecta quantumcunque excellẽtia, nõ sunt per se corruptiua animalis, quanquam ipsum suum sensum valeant corrumpere, vt (verbi gratia) excellens lumen cadens super oculum, non potest animal interficere, quanquam possit visum indisponere, impetficere, aut penitus auferre. Item sonus quantumuis vehemens, non potest animal interimere per seſe, quanquã auditum possit obruere, perturbare, aut perimere Nam quod nõnulli graui sonitu tonitrui inueniuntur subitò deficere, nõ ex sono est, sed ex vehemẽti percussione, vel ex fulminis aduenientis virtute, aut cõsimili modo. Neque odor, neque sapor in quantacunque fit excellẽtia, per seſe corrumpit animalis vitam. At verò excellens caliditas aut frigiditas, facilimè animalis vitam aufert propria sua actione. Iam verò, si in vna tantã parte fuisset repositus sensus tactus, nõ esset à natura sufficiẽter prouisum animalis vitæ: cum passim occurrant, & in omnia membra corporis offerant seſe tangibiles qualitates, quæ per suam excellentiã à partibus illis, vbi tactus non esset, facillimè animali inducerẽt corruptionem. Quemadmodũ (exempli gratia) si lumen excellens imaginemur per seſe corruptiuum esse vitæ animalis, nõ habeat autem homo nisi oculum potentẽm percipere lumen: hoc posito, si oculus tantũ in vna parte corporis habeat locũ, contingit animal ipsum facillimè interire cũ videlicet à tergo vel à pedibus lumen tale excellens (non aduertente oculo) animal corripuerit: eritque iam absumptum animal, prius quàm percipiat oculus corrumpentis qualitatis excellentiam. Recte ergo ad animalis vitam conseruandã naturę author sensum tactus per membra omnia extendit, vt nusquã quicquam posset corruptiuũ occurrere, quod nõ statim deprehẽderetur, deprehensumq; pro virili caueretur, aut fugeretur. Cæterorũ autem sensuum nullum obiectum per se actiuũ est, nisi in partem illã in qua sensus talis positus est, vt color & lumen quatenus visibile nõ agit nisi in oculũ, & sonus nõ nisi in aurẽ, & ita in cæteris: propter quod sufficit pro totius corporis cõmoditate, vnicũ esse membrũ in quo tales sensus habeãt suã sedẽ, & ad quod obiecte omnia diiudicãda perferantur. Qualitates autẽ tangibiles, in omnem partẽ corporis æq; sunt actiuę, neq; determinatum aliquod membrũ spectãt. Ideoq; prouisum oportuit animali ex omni parte, & vndiq; vigilem adhiberi custodiam, ne alicunde subito ab excellenti qualitate arreptum, ante tempus occideret,

CAPVT XXIIII.

Tactum non penitus esse denudatum à primis qualitatibus, sed tantum ab earum excellentijs.

ILlud quoq; in tactu peculiare est, nec vlli aliorũ sensuum cõueniẽs, quod ipsius solius organũ à qualitatibus illis quas habet sensus, pro obiectis nõ est denudatũ. Cæterorũ enim sensuũ organa (vt supra ostẽdimus) nihil eorũ quæ ipsi percipiũt, actu habẽt: vt oculus ab omni est colore & lumine proprio liber: aer naturalis organũ auditus ab omni ꝓprio sono organũ olfactus ab omni ꝓprio odore: organũ quoq; gustus ab omni ꝓprio sapore. Huiꝰ autẽ tactꝰ organũ nõ videtur esse à primis qualitatib. denudatũ, quoniã (vt iã dictũ est) prima-

rum qualitatum contemperamẽtum & harmoniam consequi tur. Oportet ergo qualitates aliquo modo in ipso organo tactus inueniri, videlicet secundum temperamentum, & mediocritatem quandam. Ab excellentijs tamen qualitatum tãgibilium, ipsum denudatũ esse oportet. Ad hoc enim tactus datus est animali, vt per eum percipiat excellentias qualitatũ tangibilium, quas non posset percipere, si ab eis non haberet suum organum denudatum. Atq; in hoc nõ omnino ab alijs sensibus dissonat. Est enim eius organum sic denudatũ à suo obiecto, quomodo ipsum perceptibile est à sensu. Nam tactus qualitatum primarum secundum suas excellentias est perceptiuus. Eas autem secundum hunc modum, (id est, secundum excellentias) organum ipsius non habet, sed tantũ secundum mediocritatem & contemperationem.

CAPVT XXV.

Qui fiat vt molles carne, tactus sint melioris atque etiam melioris ingenij: econtrario autem in duris.

EX hoc autem quod tactus dicitur consurgere ex proportione primarum qualitatum, consequitur, quanto in homine fuerit tactus melior, tanto meliorem debere esse illius hominis complexionem. Ac rursum, quia iuxta corporis bonam complexionem est qualitas ingenij, fit, vt ex bonitate & præcellentia tactus, rectè etiam argui possit bonitas vel præcellẽtia ingenij. Propter quod Aristoteles libro secundo de anima, in capitulo de odore, ex præcellentia tactus arguit hominem esse animalium prudentissimum. Quoniam enim homo (vt ipse ait, & veritas cõfirmat) certissimum habet tactum, atq; in hoc vno superat atq; euincit cætera animalia, cum in alijs sensibus ab animalibus quibusdã superetur, hinc fit, vt homo animalium prudentissimum cognoscatur. Siquidem ex tactu, mentis aptitudo vel ineptitudo, id est, ingenij bonitas aut pravitas deprehenditur. Duros enim carne, mẽte hebetes & ineptos: molles verò, bene aptos esse dicimus.

Molles carne apti mente.

Quæ quidẽ Aristotelis dicta ita possint intelligi. Ingenij enim aptitudo consequitur bonitatem complexionis & bonum contemperamentum humani corporis, eo quod corpus humanum sit animæ in suis operationibus instrumentum. Vnumquodque autem operans (cæteris paribus) melius agit

secundum dispositionem instrumenti quo vtitur: quemadmodum scriptor calamo apto melius pingit, quàm inepto & prauo. Vnde cum anima quantum ex sese in omnibus æque sit potẽs operari & apprehẽdere, oportet ex diuersitate corporis, vt instrumenti, prouenire diuersitatem ingenij. Itaque bonam corporis dispositionem & proportionem sequitur bonitas ingenij. Eandem quoq; bonitatem cõplexionis in homine consequitur bonitas tactus. Melioris autem tactus experimur esse illos qui carne molles sunt, quàm eos qui sunt duri carne. Vnde illos qui sunt molles carne, experimur facillimè affligi in contactũ vel leuis excellentiæ alicuius tãgibilis qualitatis, quam alius carne durior vix perciperet, si nõ in maiori excellentia ipsius organo admoueretur. Manifestum ergo est ex eadem radice proficisci hæc tria, nempe bonitatem tactus, bonitatem ingenij, & carnis mollitiem, ex aduerso autem pravitatem tactus, ineptitudinẽ ingenij, & carnis duritiem. Propter quod, rectè ex eo quod oculis & sensui patentissimum est, videlicet ex carnis mollitie, argumentari possumus quod occultũ est, nẽpe ingenij bonitatem: non quidem vt ex causa effectum, sed quemadmodum duorum effectuum ex eadem causa prodeuntium is qui manifestior est: arguit eum qui est occultior. Sic de carnis duritie ad prauitatem complexionis & ingenij. Hoc tamen aduertendum est, quod interdũ contingit inueniri in quibusdam carnis aliquam mollitiem ex nimia humiditate & nimia abundantia flegmatis, quales videmus homines qui in locis frigidioribus atque humidioribus generãtur multũ carneos succoq; plenos, propter quod molles carne iudicantur. Verum hæc mollities bonitatem nõ arguit ingenij, quoniam ex mala complexione & non bona cõtemperatione procedit, neque proprie & vere eiusmodi carne molles dicendi sunt, sed potius succosi, aut alia quauis appellatione nominandi. Neque de hac mollitie volebat sua dicta intelligi Aristoteles.

Duplex mollities.

Cæterum ex carnis mollitie & cõplexionis bona dispositione, aut ingenij bonitate, argumentari nõ rectè possumus aliorum sensuum bonam dispositionem, neq; econtrario ex aliorũ, sensuum bona dispositione argumentabimur ingenii bonitatem, aut carnis mollitiem. Cõtingit enim ingeniosos esse carne molles, & bonę cõplexionis, in quibus nõ sit visus

bonus, aut integer auditus, siue odoratus. Vicissimq; contingit optimũ habentes visum siue auditum, siue olfactum, parum esse ingeniosos: nimirũ quia stat in homine bonam esse complexionem secundũ qualitatum proportionem animalis vitę necessariam, vbi tamen illa quę in organis prædictorum sensuum exigitur, non fuerit admodum bona.

CAPVT XXVI.

Quod Christo domino pro suæ complexionis nobilitate, passiones omnes fuerint maxime afflictiuæ.

Passio Christi summe afflictiua.

EX prædictis manifestè consequitur, admodum rectè ac pié sanctos patres id tradidisse de amarissima Christi filij Dei passione, quod ipsius personæ fuerit summe afflictiua, multo amplius quàm si hominum cæterorum vlli, earundem pœnalitatum fuissent inflictę passiones. Decens enim & rationabile erat, vt homo ille qui simul erat verus Deus, & homo verus, corpus haberet iuxta dignitatem dispositum in complexione optima, & nobilissima harmonia primarum qualitatum, videlicet vt corpus illud quod sibi mirabili & ineffabili vnione voluit vnire Diuinitas verbi, & in vnitatem assumere suppositi, complexionem haberet maximè nobilem: quo sic animæ nobilissimæ omnibusque gratijs & donis summe plenæ, corpus responderet iuxta suum modum absolutissimum atq; perfectissimum. Quod amplius etiam fiet credibile, si ipsum corporis huius attendamus nouum opificem. Non enim cæterum more corporum virilis seminis efficacia corpus istud contemperauit, neq; composuit, sed virtus illa ex alto descendens, de qua Gabriel paranymphus virginem matrem alloquens Mariam, ait, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obũbrabit tibi. Et ad Ioseph in somnis angelus. Quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. Hic ergo potentissimus, sapientissimus, optimusque est artifex, qui corpus illud de quo loquimur, absque temporis mora in momento perfecit, quique animam corpori ac pariter vtrunque verbo in vnitatẽ suppositi mirabiliter copulauit. Quis autẽ absq; artificis huius iniuria possit asserere, opus illud, in quo ita singulari ac præcellenti modo sese præsentẽ exhibuit imperfectũ fuisse & mala proppportione distẽperatũ? Quomodo nõ magis perfectissimũ corpus iuxta suam rationem fuisse illud credimus, quod tali animę omniũ præ-

Lucæ. 1.

Matth. 1.

cellentissimæ iungi debebat, & non animæ tantũ creatæ in tempore, sed verbo genito ante secula? Habebat ergo Christus dominus corporis dispositionem, vtique optimã & præcellentissimam, qualem nec vnquam habuit quisquam, nec post est habiturus. Quod si ita pium est credere, statim sit consequens (vt iam ostensum est) eum carne fuisse tam molli, tam tenera, tactu tam bono, tã viuaci, plus quam vllus fuerit hominum cæterorum. Afflictiones ergo omnes quas in corpore sustinebat ab initio suæ natiuitatis, ad exitum vsque suæ fœlicis cõsummationis (præter quod plurimæ extiterũt) fuerũt illi singulari modo summe afflictiuę. Quapropter nimium vanè iudicant qui passionibus his filij Dei vel omnino nihil, vel parum admodũ commouentur, ea causa quòd putent ex diuinitatis vnitæ commercio pœnalitatem & afflictionem omnem illi fuisse leuiorem. Facilè (inquiunt stolidi quidem) erat illi hæc siue illa perpeti. Deus enim erat. nõ (vt nos) homo purus. Imo verò hac ex parte, superdignissimę Diuinitatis societas secundum accidens modo quodam fecit cuncta grauiora, & magis afflictiua reddidit quæcunque in corpore pertulit: dum propter dignitatem verbi æterni corpus illi vniendum in proportione nobilissima compoui debuit, ad quam infallibili cõsequio in carne tenerrima & viuacissimo sensu maxima consequitur passibilitas. Ad cuius veritatis confirmationem plurimum facit, si consideremus filium Dei non ad hoc nostram sibi assumpsisse naturam, vt seculi huius frueretur delitiis, ac dura euaderet. Verum ad hoc potius de loco pleni gaudij in hanc descendisse lachrymarum vallem, vt iuxta verbum Prophetæ, de torrente in via biberet, nimirum vt pro generis humani persoluendo debito, amarissimas amaritudines ad probrosissimam vsque mortem gustaret: atque adeo ab ipsa hora sui partus semper quæ duriora fuerunt, elegit, paupertatem, egestatem, nuditatem, esuriem, fatigationem, & quæcunque sunt huiusmodi. Nonne (ait idem ipse post mortem loquens discipulis) opportuit Christum pati, & ita intrare in gloriã suam? Et alibi, Filius hominis (inquit) ministrari non venit, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis. Neque ignorabat Propheta Esaias, quid loqueretur, cum in spiritu venturum illum præuidens, virum dolorum appellaret,

Psal. 109.

Luc. 24.

Matt. 20.

Esa. 53.

& scientiem infirmitates. Est etgo prædicta pia patrum assertio rationabilis omnino & pietati consona, ac præter hoc ratione etiam & authoritate haud minimum corroborata. Neque nos huius rei tractatum, nacti locum tam commodum, silentio præterire potuimus, quin suauissimi ac planissimè mellei nostri Iesu amaritudines plusquam felleas reduceremus tibi o lector Philochriste, in memoriam. Tu verò quæ paucis indicata sunt, quæso latius apud te rumina, ac mentis pariter & affectus ima reconde:

CAPVT XXVII.

De *conuenientia quinque sensuum adinuicem.*

Sensus recipit speciem absque materia.

HAbent autem sensus isti quinque iam secundū particulā rem determinationem expediti, quædam in quibus cōueniant: habet & quædam in quibus differant.

Primum quidem omnibus hoc est commune, formas siue species rerū absque materia suscipere.

Id est, sensibilium species & similitudines, absque reali immutatione, aut vllius partis sensibilis, reali intra sese susceptione. Comparatur enim sensus hac in parte ceræ, quæ cū à sigillo impressam sibi recipiat similitudinem, nullam tamē ferri, vel auri vel alterius vllius materiæ vnde facta est, partem in se accipit, sed absque materia tantum impressam formam siue effigiem. Patet autem hoc experientia in singulis sensibus. Cum enim per visum oculus videt parietem neque ipse paries, neque parietis vlla pars in oculum recipitur, imo neque ipse color neque coloris vlla pars, sed tantū species vel similitudo ipsius, que per medium intra oculū diffunditur, quæ species eius similitudo est, oculo ipsum illud repræsentans, à quo est impressa, nempe parietis colorē. Sic & in aurem (cum campanam audit sonantem) neque cāpanæ sonantis, neque aeris sonum habentis, neque etiā ipsius soni pars aliqua ingreditur, sed tantum species soni, quæ sonum ipsum repræsentat auditui, & campanam facit audiri, à qua diffunditur sonus. Itidem & in aliis sensibus dicendum. ☙ Ex hoc autem ratio patet, quare plantæ, tametsi animam quandam habeat nempe vegetatiuam, non tamen sentiunt quoniam videlicet nullam rem sensibilem valent absque materia suscipere. Potest enim planta in se recipere, & continuo recipit dum nutritur & augetur, qualitates tangibiles, calidum, humidum, frigidum, & siccum. Ex his enim quomodo omnis generatio, ita & omnis nutritio est. Sed ista non recipit absque materia, sed simul cum ea suscipit: ac proinde planta vt nimis terrea & nimium crassa non potens absque materia rerum species suscipere, sensitiua iudicatur carere potentia.

CAPVT XXVIII.

☙ *Sensum corrumpi ab excellenti sensibili.*

ESt etiam omni sensui commune quod ab excellentia sui sensibilis corrumpitur. *Maxima.*

Vt excellens lumen corrumpit visum, & sonus excellens auditum, excellens qualitas tangibilis dissoluit tactum. Est enim sensus velut harmonia quædam atque in mediocritate dispositā compositio. Vnde quemadmodum harmoniam cōcentus dissoluit, qui fides vehementius pulsauerit, & concentus melodiam perturbat: ita excellens sensibile sensus proportionem natum est destruere atque dissipare. Quēadmodum autem concentus saluatur melodia, donec mediocriter pulsantur fides: ita saluus cōsistit sensus, donec temperatū & mediocre contemperatur sensibile. Dicimus autem in proposito sensibile excellēs, quod excedit exuperatque sensus proportionem: vt homini nimia lux aut lumē magis excessiuum quam ferat hominis oculus, cuiusmodi est humano oculo lumen illud, quo directè in Solis ratam inspicienti offunditur. Et contingere potest, vt quod huic sic excellēs sensibile, alteri non sit excellens: quemadmodum lumē splēdentis Solis, hominum & animantum cæterorum plurimorum oculis non est excellēs: noctuæ autem oculis est excellens: quapropter ipsum vt sui visus corruptiuum fugit, tenebrarum quærens latibula, donec Sol agit super terrā: Luna autem procedente vel stellis, audet & ipsa procedere, agnoscens sibi temperatum lumen. Quemadmodum autem sensibile excellens sensum corrumpit, ita sensibile ex altera parte nimium deficiens, & nimis paruæ quantitatis, vel intensionis, non est natum sensum conuenienter immutare. Sēsibile

enim minimæ quãtitatis, nõ bene potest à suo sensu discerni.

Insuper commune est omnibus sensibus habere suum determinatum obiectum à quo patiantur: suũ determinatũ organũ, in quo operentur: ac medium per quod ipsorum organa ab obiectis immutentur.

Ita vt nunquam sensus nisi determinatum suum obiectũ percipiat, neque nisi in suo organo operetur suam sensationem, neque nisi per medium. Quemadmodum videlicet visus non nisi colorem aut lumen apprehendit, nunquam nisi in oculo visionem efficit, & semper per medium interuenięs aeris vel aque, quod autem vniuscuiusque sit organũ, quod obiectum, & quod medium, supra iam determinauimus.

Item nullus sensus potest proprij obiecti alterius speciem in se suscipere, neque alienum obiectũ percipere.

Vt visus non potest sonum videre, neque caliditatem, neque odorem, neque saporem. neque olfactus colorem potest odorare, & ita in cæteris.

CAPVT XXIX.

De aliis quibusdam sensuum conuenientiis.

PRætereà & hoc sensibus commune est, quod congruam requirunt distantiam sensibilis ad sensum, vt neque nimium distet sensibile à sensu, neque ex altera parte nimium sit propinquum.

Nã sensibile positũ supra sensum (iuxta Aristotelis dictũ) non efficit sensationem, quemadmodum videmus de colore proximè oculis admoto, quem absque medio nequaquam videre sufficimus. Et si qualitas aliqua tangibilis immediatè super neruum tactus poneretur, non perciperetur à tactu. Atque hinc est, quod visus (qui in humore crystalino situs est) neque oculi ad palpebram, neque carneam tunicũlã, quę

est circa oculos percipit: neq; tactus carnẽ sentit, qua vestitur ipsius neruus. Si vero plus iusto elongetur sensibile, vt iuxta proportionem sensus ad ipsum nõ possit in organũ suã speciem imprimere, vel non sufficienter tunc vel nõ fit, vel male & imperfecte fit sensatio. Oportet ergo esse mediocrẽ distantiam, iuxta proportionem sensus & sensibilis. Nam in hac re determinata mensura nõ potest cõstitui. Quod enim meo visui nimium est distans sensibile, alterius visui est proportionatum. Ita fit, vt quod ego vel non video, vel admodũ imperfecte id alius perfectissime cernat: cum tamen secundum rem in æquali consistamus ab obiecto distantia. Ita eundem sonum, qui melioris est auditus, facile percipit quem alius in eadem positus ab obiecto distantia nequit percipere. Et manifestum est, quosdam talis esse visus, vt de ijs quæ admodũ longe distant rectius iudicent, quàm de ijs quæ minus distãt. Contra vero, sunt qui parum distantia exactissimę percipiũt magis autem distantia minime. *Oculus quare non videat palpebram.*

Est etiam omnis sensus sui obiecti & priuationis oppositæ perceptiuus.

Vt visus lucẽ percipit, & tenebras. Quomodo enim visus de luce iudicat, ita & de tenebris Sunt enim tenebræ luminis priuatio. Verum non sic priuatio visum mouet, vt habitus. Non enim tenebrę videntur per aliquam speciei diffusionem (Quam enim speciem de se funderet pura priuatio?) sed tantum per absentiam lucis. Tenebræ enim sunt priuatio lucis in corpore perspicuo, apto nato susćipere lumen. Sic iudicatur aliquid absonum, vel insonum, id est, sine sono, item inodorum & insaporum, hoc est absque odore & sapore per eosdem sensus per quos odorabile & sonorum. *Tenebræ quomodo videntur.*

Aduertendum quoque est, quod in singulis sensibus terminus significans priuationem dicitur tribus modis. Quẽadmodum (exempli gratia) inuisibile dicitur tripliciter. Primo, quod omnino videri non potest, vt Deus, Angelus, sonus, caliditas, & huiusmodi. Secundo, quod difficulter videri potest, vt lumen admodum debile, quemadmodum est lumen in vmbra per reflexionem, & color admodum paruus & obscurus, Tertio, quod visui nocet & aduersatur, vt excellens lumen & improportionatum, quod non absque damno *Inuisibile dicitur tribus modis vt reliqui termini priuatiui.*

cernitur. Sic inaudibile dicitur, quod vel non potest audiri, vt color: vel difficulter, vt sonus nimium tenuis: vel quod prauũ habet sonũ. Ita inodorabile, & ingustabile, quod omnino odorari vel gustari nequit: aut quod difficulter potest, aut quod prauum habet odorem, siue saporem. Sic & de intãgibili dicendum. Cæterum, ipsæ sensuum differentiæ ex præmissis & singulorum particularibus determinationibus sunt manifestatæ.

Et hæc quidem de sensibus exterioribus & eorum sensibilibus ita declarata sufficiant. Nunc vero ordinato progressu, exterioribus percursis, ad interiores transeamus: vt quomodo mirabilem in externis vtcunque ostendimus naturæ authorẽ, sic & in internis non minus magnum, neq; minus admirabilem (quantum dabitur) commonstremus: vt sic tam in ijs quæ intra sunt, quàm in ijs quæ extra apparẽt, glorificetur sapientia conditoris nostri. qui & intima & extima nostra, eadem sapientia cuncta formauit, qui in trinitate & vnitate viuit semper benedictus in secula. Amen.

Finit considerationis Physicæ liber Nonus.

PRO CONSIDERATIONE PARVVLI in membris oculi, ad gloriam magni artificis qui eum admirabilem condidit, Psalmus.

VEnite qui quæritis miranda, & videte quod commonstro vobis digito isto: pomulum istud parnulum attendite, quod me demonstrante, conspicitis oculis vestris.

Consistite ex aduerso mihi, & lumen oculorum vestrorum (vtique si libet amborum) defigite in pomulum istud: ecce claudo oculum alterum, vt vnum hunc considerare valeatis attentius.

Est ne ex vobis aliquis, qui pomuli huius sufficiat miranda comprehendere? qui explicare ad plenum possit nobis rationem compositionis eius.

Si tu iactabundus asseris posse te omnem eius explicare rationem: age, virum te præbe, & compone nobis aliud simile.

Calidum, frigidum, humidum, siccum, ecce appono tibi in abundantia: fac si potes pomulo huic quod tibi demonstrat in meo vertice meus digitus, fac (inquam) si potes, pomum huic simile.

Quid enim? si rationem omnem pernosti compositionis eius, & omne comprehendis artificium: præbita tibi copiosa materia, qui obstabit quo minus condas nobis opus simile?

Ecce enim calidum, frigidum, humidum, & siccum apposita sunt tibi: ex his autem est omnis membrorum compositio.

Quod si labori operis non te putas sufficere, elige tibi artifices industrios & operarios fortes: experire in omni adiutorio, num opus simile poteris efficere.

Ergo si fateris supra omnem artis virtutẽ eminere opus, da gloriam authori omnium: & fatere minimum esse quod nosti, agnosce minimum esse quicquid tibi videris de opere eius cognoscere.

O pomum paruulum. O membrum pusillum, oculus qui cõsistis duplicatus in excauata domo tua, in specu mirabili, in medio faciei, loco honestissimo: quam nobilem habes in te virtutem, & quàm admirabilem seruas potentiam.

Immenso interuallo super me eleuatur luna in orbe suo: superat enim vniuersam aeris regionem, & ignis globum transcendit permaximum.

Sol vero longe scandit altius: ac super hunc incredibili spatio eleuatæ stellæ quæ sunt in firmamento, consistunt immobiles.

Attamen super hæc omnia tu conscendis altius, & superas omnia: neque tamen (quod est omnium mirabilissimum) locum deserit, in quo te posuit altissimus conditor tuus.

In specu vultus excauata, quasi in rupe tua munita manes, & non egrederis: transcendis tamen elementa omnia, Lunã, Solem, atque cuncta sydera.

Vere magnus, qui te fecit ita mirabilẽ: qui talem in te posuit virtutem: si non est ille magnus artifex, mirabor vbi inueniemus quem iuste appellabimus artificem.

Qui talem in te nouit compositionem efficere humidi, sicci, calidi, & frigidi, vt tali præemineres virtute: si non est in

illo sapientia: clamo ego quod nusquam inueniatur sapiẽtia.

O magne deus, quam es magnus in omnibus operibus tuis: & in hisce minimis quam glorioſe te ipſum monſtras maximum.

O quàm debes eſſe in teipſo lucidiſsimus, qui hanc opacam creaturulam tuam tali donaſti natiuo lumine: vt tanto diſtantia interuallo, ita nullo negocio poſsit percipere.

Potentiam, ſapientiam, & omnem perfectionem lux beatiſsima, ego aſcribo tibi abſque menſura: agnoſcat hoc ipſum omnis homo in quo poſuiſti dona tua.

Non pergo ego longius: digitum impono ori meo: ſtupore me obtundis in præcellentia magnitudinis tuæ.

Hoc tantum abſcedens loquor ad gloriã tibi, multos ego vidi celebres hominibus artifices: hactenus autem non contingit videre tui ſimilem.

Gloria patri & filio, & ſpiritui ſancto:

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Finit Pſalmus.

LIBER DECIMVS CONSYDERATIONIS PHYSICÆ de potentijs ſenſitiuis interioribus.

PRAEFATIO.

TAmetſi magnum videatur ſtupendumq; miraculum in organis exteriorum ſenſuum, de quibus iam in præcedenti libro tractatũ eſt, multo tamen iudicaret homo magis admirãdas vires illas, quę ſub oſſeo capitis tegmine interius deliteſcũt, in abſcondita ſubſtãtia cerebri, ſi eas poſſet oculis contemplari, ſi ipſam cerebri ſubſtantiam, eiusq; nobiliſsimam cõplexionem & admirabilem virtutis dignitatem cellularumq; pulcherrimam diſtinctionem, & officiorũ in diuerſis partibus varietatẽ, oculari poſſet cognitione deprehendere: quæ tamen vix vlli digna admiratione ſuſpiciunt, propterea quòd abſcondita ſint ab oculis hominũ, & pauciſsimis vel tenuiter cognita. Poſt exactam ergo præcedenti libro exteriorum determinationem, volumus ſuo hũe ordine ad omnipotentis omnium exreriorum pariter atque interiorum conditoris gloriam, de his quoque interioribus ſentiendi viribus non nulla dicere, quantum tenuitas noſtri ingenij vel ab aliis tradita capere, vel diligenti conſideratione examinata potuerit perueſtigarer. Poſtremo loco quædam de ſomno & vigilia pro loci opportunitate annexuri, cum ſumnum à natura in ſentientibus omnibus ad virium ſenſitiuarum reparationem, à Deo cernamus inſtitutum. Nihil autem eſt operum domini, quòd non omni ſit conſideratione digniſsimum.

CAPVT I.

De ſenſu communi, & eius loco atque officiis.

SVnt autem ſenſus interiores, ſenſus communis, imaginatiua, phantaſia, æſtimatiua, memoria, & reminiſcentia.

Inter quas potentias primo loco conſtituitur potentia quædam locum habens in anteriore parte cerebri, ad quam ex omnibus ſenſibus exterioribus ſpecies tranſmittuntur, omnium illorum quæcunque per ſenſus externos fuerint apprehenſa. Quam ob cauſam, notiſsimo nomine ſenſus communis tam apud Philoſophos quam apud Medicos appellatur: nimirum quod omnibus exterioribus ſenſibus æquè ſit cõmunis, quod æqualiter ſpecies omnium exteriorũ ſenſuũ ſuſcipiat. Propter quod ab Ariſtotele comparatur cẽtro circuli, ad quod tendunt omnes lineæ à ſuperficie circuli protractæ. Sic enim omnes ſenſus exteriores a ſenſu communi interiori, tanquam a centro egrediuntur, & ſenſatorũ ſuorũ ſimulacra ſinguli ad eundem reducunt, per neruos qui a ſingulis eorum ad ipſum proficiſcuntur. Ab oculo enim neruus dirigitur ad anterioré partẽ ceribri, itemque ab aure, à lingua, ab organo olfactꝰ, & a neruo tactiuo, qui omnes in parte cerebri aneriori (vbi ſic ſenſus ſitus eſt) quaſi ad centrũ

Senſus communis.

vnum conueniunt. Estque sensus communis iste velut fons, à quo occulto miraculo sensus exteriores profluunt atque procedunt, recipientes videlicet ab eo spiritus sensitiuos, per quos suas exerceant in suis organis operationes. Ac rursum, quasi finis est eorundem sensuum externorum: vtpote ad quem velut ad commune consistorium sua quisque sensata inefabiliter statim deferunt atque transmittunt.

Ad hunc sensum spectat, primum quidē sensibilia, prius diuisim exterioribus sensibus percepta pariter velut vnite apprehendere, sicque diuersorum sensuum obiecta adinuicem comparare, vel componendo, vel diuidendo: vtpote iudicando hoc esse colorem, istud sonum, illud odorem: vel hoc esse coloratum, vel albū, vel nigrum, illud odoriferum, istud calidum, &c. Item de eadem re potest hic sensus iudicare quod sit alba, dulcis, calida, humida, odorifera, & sapida. Cum enim in lacte visus inuenerit albedinē, gustus dulcedinem, tactus caliditatem, odoratus bonum odorem sensus communis acceptis singulorum sensuum particularibus iudiciis, isque in vno simul cōpertis & ad inuicem collatis iudicat lac istud esse album, calidum, dulce, & odoriferum.

Sensus communis officia.

Deinde per eundem hunc sensum iudicat homo se videre, audire, gustare, tangere, odorare: & sic de omnibus actibus omnium sensuum exteriorū. Hæc enim sunt duo sensus cuius communis officia, videlicet sensibilia exteriora sensibus exterioribus diuisim percepta, vna apprehensione cognoscere, & de actibus sensuum ipsorum iudicare.

CAPVT II.

Necessitas ponendi sensum communem distinctum à sensibus exterioribus.

NEutrum autem prædictorum officiorum per vllum sensuum exteriorum potest fieri. Impossibile nanque est, vt sensus aliquis exterior sensibilia diuersorum sensuum diiudicet comparando ad inuicem. Non enim potest sensus aliquis diiudicare, distinguere, & comparare aliqua ad inuicem nisi vtrunque cognoscat: quēadmodum non possum inter res duas discernere, nisi vtrāq; cognoscam. Cum ergo sit impossibile, sensum aliquem exteriorem diuersorum sensuum obiecta apprehendere (Nam quisque suum tantum obiectum apprehendit) consequitur, fieri nequaquam posse vt sensuum exteriorum aliquis inter obiecta diuersorum sensuum discernat. Et tamen id animali erat necessarium, posse inter sensibilia diuersa discernere. Oportebat ergo talem aliquem communē sensum poni, qui sensibus exterioribus excellentior, de eorum sensatis ferret iudicium. Alioqui quid opus fuisset diuersis sensibus ad distinctè percipiēdum sensibilia, si nō esset qui potuisset inter ea discernere? Quod si quis dicat, pluribus sensibus posse hāc fieri sensibiliū distinctionē, vno sensu vnum obiectum, altero alterum cognoscente: an non id videbitur ad distinctionem posse sufficere? Minime. Quemadmodum enim impossibile est duos homines ferre de rebus diuersis iudicium, nisi vtrique tota sit causa cognita, nisi adinuicem communicantes in commune conferant vterque suam cognitionem, neque sufficit, quod hic illius, iste alterius causam probissimè norit ad rectè discernendum atque diiudicandū: ita nequaquam sufficere potest sensuum diuersitas, ad sensibiliū diiudicationem, nisi vnus sit superior iudex ad cuius consistoriū & cognitionem pariter omnes sua sensata adducant.

Sensus communis necessitas.

Iterum, officiū, illud iudicandi de operatione sensus: vt cum homo apprehendit se videre, audire, &c. nequaquā sensui exteriori potest cōpetere. Non enim potest visus cognoscere se videre, neque auditus cognoscit se audire. Cū enim obiectum visus sit color vel lux, consequitur nihil posse videri aut visu percipi, nisi quod color est vel coloratū, aut lux vel lucidum. At verò visio (quæ est operatio visus) neque color est, neque colorata, neque lux est, neque lucida. Quo pacto ergo sensu visus percipietur? quomodo fiet vt possit videri? Ita & de aliis sensuum operationibus in analogia ad suos sensus, proportionabiliter est dicendum.

Vnde communis est regula, quòd nullus exteriorum sensuum super suum actum reflectitur.

Regula cōmunis de sensibus.

Reflecteretur autem super suum proprium actum, si visus posset percipere se videre, vel auditus se audire &c. Sensus

ergo communis ponendus est, qui de operationibus singulorum exteriorum sensuũ possit iudicare. Percipimus enim per sensum communem nos videre, dum ab oculo simulacrum rei visæ ad ipsum transit. Ponitur autem hæc virtus in anteriore parte cerebri, cellulam habens satis amplam, in loco vbi concurrunt nerui sensitiui quinque exteriorũ sensuum, qui locus admodum medullosus & humidus est. Nam humido perficitur, eo quod humidum facile sit perceptiuũ. Hoc est autem potentiæ huius officium, omnium sensibiliũ formas, mox vt exterioribus sensibus fuerit sensata, suscipere. Quamobrem iuxta huius partis bonam dispositionẽ, iudicamus homines esse faciliscapacitatis, & bonę apprehensionis, bonique iudicij. Vnde physiognomi tradũt, & monstrat experientia, facilis apprehensionis esse, qui frontem habent cornutam: quod non dubium est ratione bonæ dispositionis cerebri in hac anteriori parte prouenire. Contra verò qui fronte sunt obtusa & nimium rotunda, male iudicantur apprehensionis, quod cerebrum in hac cellula non habeant sufficienter dispositum. Denique & in vulgato prouerbio receptum est, vt homines rudes & iudicio carentes, dicamus carere sensu communi.

Frons cornuta quale signum.

CAPVT III.

De virtute imaginatiua, eiusque officio & loco.

POst hunc sensum communem proxima est alia quædam potentia, ordinata ad conseruandas species in sensu communi à sensibus exterioribus receptas. Sensus enim communis in præsentia obiecti exterius sensati, speciem illius recipit, simul vt exteriori sensu percipitur. Sed non est eius officij, species ita absc edente obiecto, & exteriori sensu à sua operatione desistente, in sese conseruare: sed ad alteram spectat potentiam sibi proximam, quam imaginatiuam appellamus. Est enim hæc imaginatiua velut cellarium, specierum à sensu communi præsente obiecto, susceptarum contentiuum atque conseruatiuum: propter quod, vulgo thesaurum formarum eum appellant. Quemadmodum autẽ sensu communis (cuius est recipere) perficitur humido, ita hæc potentia perficitur siccitate quadã & duritie ad bene conseruandũ. Nam sicut humidum bene recipit, ita siccum bene conseruat. Et vbi cũ humiditate moderata fuerit siccitas, non omnino male recipiet, neque male seruabit. Consistit autem hæc virtus simul quidem cum sensu cõmuni in anteriori parte cerebri, ac velut in prora capitis: estque locus ille cerebri in quo consistit imaginatiua minus medullosus, minusq; humidus, & aliquatenus magis siccus, quã sit pars illa cuius sedes est sensus communis. Nõ enim talis intelligi debet hęc siccitas, quasi in parte ista cerebri omnino debeat dominari. Est enim id contra rationẽ cerebri, quod de se frigidum & humidum est: sed hoc tãtum volumus partem illam esse minus humidam & medullosam, atque ita aliquo modo magis siccam & magis duram quam sit altera pars anterior.

Imaginatiua.

Imaginatiua cellariũ sensuum communis.

Ex prædictis ergo patet differentia inter sensum cõmunẽ & inter hãc imaginatiuam potentiam. Sensus enim cõmunis, præsente exterius obiecto, suscipit suã speciem ab exterioribus sensibus ad se transmissam: sed non conseruat in obiecti absentia. Vnde in hoc cum exterioribus sensibus aliqua ex parte cõmunicat, quod egeat præsentia obiecti. Imaginatiua autem, species & simulacra rerum sensatarũ retinet & cõseruat. Vnde cum in absentia rem ipsam statim apprehendimus, non sensus communis, sed huius imaginatiuæ est operatio.

Quæstio.

Quæstio tamen moueri solet, an sensus communis ad nullam morã possit species susceptas in absentia obiecti in se retinere: quibusdã dicentibus, quod omnino non possit nec ad tempus modicum, quemadmodum neq; sensus exterior. Alijs contrariũ sentientibus quod ad tempus aliquãtum possit speciem susceptam retinere, & circa ipsam operari, per eã de re sensata etiã absente iudicando: maxime donec alia nõ adueniat, quæ ipsam pellat sibiq; cedere cogat.

CAPVT IIII.

De potentia æstimatiua.

POst imaginatiuam istam (de qua iam dictum est) ponitur virtus alia, cuius est officium ex speciebus in imaginatiua seruatis elicere intentiones non sensatas, id est, nullo sensu alio perceptas, videlicet neque exterioribus sensibus, neque sensu communi. Quemadmodum (exempli gratia) ouis per sensum exteriorem visus apprehensa forma lupi, eáque ad sensum communem transmissa, & ad imaginatiuã deducta, nõ ibi sistit, sed ex specie formę lupi intra imaginatiuã susceptã elicit intentionem & existimationem inimicitiæ

Æstimatiua.

propter quod etiam mouetur ad fugiendum à conſpectu eius Hæc autem intentio ſiue exiſtimatio inimicitiæ à ſenſu alio percepta non fuit. Nam viſus non videt amicitiam, aut inimicitiam, neque etiam ſenſus communis, cum ſenſus communis non niſi ea quæ per ſenſus exteriores ſunt ſenſata cõprædãt. Imaginatiua vero noui nihil fabricat, neque nouas elicit intentiones, ſed ea tantum quæ ſibi à communi ſenſu tranſmittuntur ſeruanda, cuſtodit. Oportet ergo, præter hactenus enumeratas potentias, aliam eſſe poſteriorem prædicta imaginatiua, quæ ex ſpeciebus in ea ſeruatis non ſenſatas intentiones (iuxta ſpecierum naturam & conditionem) poſſit elicere. Per eandem hanc potentiam ouis audiens vocem nati ſui miſerabiliter balantis, ex ſpecie vocis intra imaginatiuam ſuſcepta, elicit intentionem & exiſtimationem defectus pabuli: atque ita mouetur ad præbendum vbera: qui quidem pabuli defectus, nullo ſenſu fuit ab oue perceptus. Sic pulli gallinæ audientes matris vocem, eliciunt intentionem congregationis ſub alas, ad quas proinde confugiunt. Ita canis videns præbentem ſibi alimenta, aut blande colludentem, elicit intentionem amicitiæ, & cauda applaudit. Videns autem ſubſannãtem, aut ſentiens percutientem, elicit intentionem inimicitiæ, contractiſque naribus hoſtiliter aduerſus illum latrat, aut etiã ſi potens eſt ferociter inſurgit. Ita odore percipiens cibum bonum, ex ipſa odoris ſpecie elicit intentionem conuenientiæ aut diſconuenientiæ: iudicant ſcilicet hunc cibum ſibi eſſe conuenientem aut diſconuenientem. Harum autem intentionum aut exiſtimationum nulla ſenſu eſt perceptibilis. Eſt autem hæc potentia, ſecundum quam animalia bruta ad conuenientes ſibi actiones mouentur, mouendo videlicet ſe ſecundum locum, aut alia quælibet operando, ſecundum ſuæ naturæ conditionem. Per hanc enim proſequuntur quæ ſibi conuenientia ſunt, & ad ea ſecundum locũ ſe mouent: deteſtantur vero & fugiunt ea quæ ſibi ſunt diſconuenientia: agunt quoque ea quæ per hanc potentiam ex ſpeciebus perceptis eliciunt agenda. Quemadmodum in exemplis ſuprapoſitis, ouis lupum (quem inimicum iudicat) fugit: nato vero (quem dilectum & indigentẽ iudicat) vbera præbet. ad cibum (quem conuenientem viſu vel olfactu percipit) ſeſe mouet canis, amico applaudit, verbera minantem

Quomodo æſtimatiua intentiones elicit non ſenſatas.

Æſtimatiua in animalib. principium motus.

fugit, domino ſuo & benefacienti applaudit cauda, & amice ſequitur: alienum vero, & quem inimicum reputat iracundo latratu, hoſtiliter inſequitur: atq; ita in cæteris. Quapropter hęc virtus æſtimatiua nõ ſolum apprehẽſiua, ſed etiã motiua.

CAPVT V.

Duplex eſt modus æſtimatiuæ in operando vel mouendo.

SVnt autem quædam animalium operationes, in quibus ſecundũ iſtam potentiã mouentur quidem, ſed aliter quàm prędicto modo. In exemplis enim ſuprapoſitis, per intentiones elicitas à rebus ſenſatis diximus animalia moueri ad tales operationes ſiue motiones. In quibuſdã vero tantum ſecundum naturæ inſtinctũ, & impreſsionem naturalem æſtimatiuæ inditam operantur atq; mouentur: quemadmodum aues ſecundum naturalem impreſsionem certo anni tempore ad generationem à natura ſtatuto nidos ſibi cõſtruunt, formicę cõgregant per æſtatem quod per hyemem comedant, apes mellificant, & ſtructuras mirabiles extruunt, aranea texit telam, animalia perfectiora certis temporibus coeunt generationis gratia, atq; ita in aliis huiuſmodi. Hæc autem non videtur ex vllis ſenſatis per æſtimatiuam in animalibus elicita.

Per æſtimatiuam aues nidificant.

Quod enim auis iſta æſtimat ſi vt iudicat, nunc eſſe ędificandũ nidum, & ex tali materia talique forma, & ordine, id ex nullius rei ſenſatæ ſpecie elicit. Neq; enim dici poteſt, ita hoc eam agere aut iudicare ex eo quod alias vidit ſuę ſpeciei aues ſimilia ſimiliter agere. Manifeſtum nanq; eſt, quod ex naturæ inſtinctu id faceret auis, etiam ſi nunquam id ab alijs ſuæ ſpeciei ante conſpexiſſet. Et manifeſtũ eſt non tam diſciplinabilia eſſe volatilia, vt tam artificioſam ſtructuram ad vnum conſpectum poſsint addiſcere, quam nec artifex induſtrius multa conſideratione poſſet aſſequi. Nequaquam ergo ex rei prius ſenſatæ ſpecie iſtas eliciunt intentiones.

Attamen per æſtimatiuam hanc potentiam in hiſce agẽdis mouentur, ſed alio modo. Eſt enim in eis naturalis impreſsio, quæ eſtimatiuam naturaliter mouet ad ea ſic certo tẽpore, certo modo, & ex certa materia peragenda. Propter

quod videmus omnia animalia eiusdem speciei consimiliter operari, eodem tempore, eodem modo, & ex eadem materia. Natura enim in omnibus vna est. In ijs verò in quibus mouentur, secundum proprias intentiones, iuxta primum suprapositum modum elicitas, non vno eodémque modo, neque omni tempore similiter agunt. Videmus enim canem qui dũ esurit ad alimentum odore tractus accurrit, postquam saturatus fuerit, nihil cibi odore amplius permoueri, nec vltra accurrere: nimirum quia id quod prius iudicabat conueniẽs & & prosequendum, iam non vltra tale æstimat.

Ob hunc autem supradictum duplicem modum mouendi secundum æstimatiuam potentiam, quidam eam diuidunt in æstimatiuam, naturalem, & animalem.

Differẽtia inter æstimatiuã & imaginatiuam.

Ex prædictis patet manifesta differentia inter æstimatiuam & imaginatiuam. Ad imaginatiuam enim solam nõ sequitur prosequutio, aut fuga: licet possit sequi delectatio vel tristitia: vt cum homo tantum imaginatur aliquid, videlicet magnificas epulas, amplos honores, multas diuitias, potest in eorum sola imaginatione delectari, quemadmodum econtrario ex sola imaginatione terribilium rerum, vt mortis, suspensionis, combustionis, potest contristari. Nunquam autem ex sola imaginatione oritur in animali prosequutio, aut fuga nisi accedat æstimatiuæ potentiæ iudicium.

Sic enim est imaginatio nuda, quomodo inspectio alicuius picturæ: quæ quidem si fuerit pulchra, & delectabilis rei repræsentatio, poterit efficere delectationem: sin autem horribilis fuerit, poterit efficere horrorem. Nemo verò ex hoc mouetur. Veluti si picta in lance poma aspiciam, non oritur prosequutio, neq; mitto manum ad ea accipienda. Et si conspiciam inferni caminum magno hiatu flammas emittentem depictum in tabula. non fugio, neque manum retraho. Non est enim illic æstimatio conuenientis, neque hic disconuenientis: propter quod prosequutio non oritur nec fuga. Pueros verò cernimus subinde paruulas manus ad poma in lance depicta extendere, quod secundum æstimationẽ iudicent,

Nota.

poma esse manducabilia, quæ admodum prosequuntur. Secũdum eundem modum, meticulosi homines cum in tenebris existentes de rebus horribilibus cogitant, frequenter aut exclamant, aut fugiũt quod quasi præsens aliquid terribile sibi

existimẽt, vtpote specie defuncti alicuius, aut cacodæmonẽ.

CAPVT VI.

De virtute phantastica, componente & diuidente species.

EST autem huius æstimatiuæ potentiæ, non solum elicere intentiones non sensatas verumetiam species in imaginatiua seruatas adinuicem componere & diuidere: vt cum ex compositione specierum montis & auri aliquando per se & diuisim sensatorum fingimus nobis montes aureos: & ex specie Indiæ, vel Arabiæ, de qua aliquando loquentes audiuimus, simul cum prædictis composita, fingimus montes aureos in India vel Arabia. Ita agit in sensu exteriori pictor, cum exterius in tabula quam pingit, humano capiti (iuxta illud Horatianum) ceruicem iungit equinam. Et varias rerum tentat coniungere formas. Ita phantasiamur hominem sine capite, domum sine tecto, equum sine ventre, & huiusmodi. Et in prædictis quidem comparat species diuersas adinuicem. Componit etiam hæc virtus res sensatas vel species earum, cum intẽtionibus elicitis & non sensatis. Vt cum ouis iudicat lupum esse inimicum. Lupi enim habet speciem, quem vidit, inimicitiam autẽ elicuit ex figura. Interdum vero intentiones cũ intentionibus coniũgit, vt cum iudicat inimicum hunc fugiendum, cum iudicat hũc beneficium sibi pastorẽ esse assequendum, alienum verò non sequendum, sed fugiendum. Quidam autem hoc officium diuidendi & componendi attribuunt alteri potentiæ, quã ab æstimatiua putant esse distinctam, appellantes eam peculiari nomine phantasiam. Nobis tamen in proposito magis placet, vt phantasiam cum æstimatiua eandem potentiã reputemus, quam nihil refert æstimatiuam an phantasiam appellemus. Neque enim ratio sufficiens videtur, ob quam necessario ponenda sit harum virtutũ distinctio. Nihil enim prohibet vnam esse eandemque potẽtiam, quæ & non sensatas intẽtiones ex speciebus rerum sensatarum eliciat, & species vel intentiones adinuicem componat atque diuidat. Imò admodum conuenienter hæc videntur vni conuenire potentiæ. Ouis enim componẽdo intentionem amicitiæ cum forma lupi, sic iudicat lupum esse inimicum, & fugiendum. Et sciendum quod hæ interiores potentiæ admodũ diuersis appellationibus à diuersis nuncupantur. Quidam enim, se-

Phantasia.

Diuersa.

harum potentiarum appellationes.

cundam potentiam suprapositam vocant phantasiam, & hãc virtutem tertiam componẽtem & diuidentem appellãt imaginatiuam. Vnde vulgo dicere solent Medici, quod imaginatio faciat causam: quod de phantasia intelligũt. Alij vero malunt secundam illam vocare imaginatiuam, & meo sanè iudicio, rectius ab imaginibus videlicet & simulachris que cõseruat, hoc est à specibus rerum sensatarũ. Hanc autem tertiam, rectius vocant æstimatiuam, ab æstimando siue iudicãdo. Per hanc enim iudicant animalia & æstimãt quid fugiẽdum, quid prosequendum. ad quid accedendum, a quo recedendum, quid amicum, quidue inimicũ, vt per huius iudicium omnino se regunt atque gubernant animalia. Aristoteles verò plerunque imaginatiuã & phantasiam pro eodẽ videtur computare, & nunc quidem secundam potentiam intelligere, interdum tertiam. Ait enim, animalia per phantasiam vel imaginationem moueri. Manifestũ est autem, ad æstimatiuã hoc pertinere. Alibi autem dicit, æstimatiuam ab imaginatione differre. Et quoniam tam diuersa in his appellatio est, vt facile possit confusionem gignere, certius possent hæ vires à suis officiis denominari, & secundũ officiorum expressionem distingui, quam secundum alias appellationes.

CAPVT VII.

Quod æstimatiua est in homine aliquanto nobilior.

Considerandum est autem, quod quantum ad formas atque species sensibiles, non est differentia inter homines & alia animalia, cum similiter ab exterioribus sensibilibus immutentur, primum videlicet id sensum exteriorem impressa specie, ac deinde ad sensum cõmunem transmissa, & in imaginatiua seruata. Sed quantum ad intentiones prædictas inter hominem & cętera animalia est differentia: quod animalia cætera percipiant huiusmodi intentiones ex quodam naturali instinctu, quemadmodum ouis ex specie lupi naturaliter fugam elicit, iudicatque sibi fugiendum tali forma apprehẽsa. Homo vero tales intẽtiones elicit per quandam collationẽ. Et ideo illa quæ in aliis animalibus dicitur æstimatiua solum, in hominibus aliquãto altiori denominatione cogitatiua recte appellatur, quod per collationem quandã huiusmodi intẽtiones adinueniat. Vnde etiam interdum ratio particularis appellatur. Est enim

collatiua intentionum indiuidualium sicut ratio intellectiua vniuersalium. Vnde homo ex apprehensione formæ lupi, non naturaliter mouetur ad fugam. Nam si videat eum ligatum catena forti, aut alio modo constrictum, vt nõ timeat nocumentum, non solum non fugiet ab eo, sed etiã accedet ad videndum & contemplandum propius, tanquam dignum curiosa inspectione spectaculum. Verum per quandam collationem, dum videt eum ad se hostiliter accurrere, & conspicit fortem impetuose accurrentem, apprehenditque vt se fortiorem, & a quo timet superari, ita fugam eligit, aut resistentiam iuxta quod (facta collatione) magis videtur eligendum. Sub seruit quoque hæc potentia rationi, cũ illi fuerit coniuncta, vt in hominibus. Per eam etiã ratio & intellectus dirigit hominẽ in omnibus actionibus particularibus, quæ ad corpus spectant. Quomodo etiam intellectui ad intelligendum subseruit, dicetur posterius suo loco.

CAPVT VIII.

De loco & dispositione huius æstimatiuæ.

Æstimatiua cur posita in medio cerebri.

Habet autem potentia ista phantastica & æstimatiua locum in medio ventriculo cerebri sita in medio, inter memoratiuam a parte posteriori & imaginatiuam ex parte anteriori, tanquam indifferenter ad vtranque sese potens cõuertere. Nam circa species quæ in imaginatiua seruantur, manifestum est eam operari, dum ex eis (vt iam diximus) elicit intẽtiones non sensatas, dum (species illas cõponendo & diuidendo) format sibi quas vult imagines & intentiones. Ad memoriam vero se conuertit, quando in ea (vt posterius dicemus) suas intentiones reponit, & quando vult rursum eas inde accipit, vt circa eas phantasietur.

Medius autem cerebri ventriculus in quo hãc potentiã sitam dicimus, locus est admodum calidus ad quẽ multi spiritus continuo ascendunt: propter quod in continuo motu est, plusquã aliæ vires prædictæ. Atque hinc experimur mirabilem huius potentiæ in phantasiando, componẽdo & diiudicãdo celeritatem & instabilitatem, & facilem de vna ad aliam transitum. Maxime vero febricitantes id experiuntur propter spirituum inflammatorum continuã sursum agitationem, qui in phantasia operãtur mirabiles compositiones & diuisiones. De virtute autem huius potẽtiæ, mirãda tra-

dunt medici, quod frequés in humanis corporibus ex ea fit realis immutatio, quemadmodum etiam quotidiana nos docet experientia. Illi verò qui hanc potentiam (quam vt vnam tractauimus) in duas malunt diuidere, priorem vocát phãtasiam, quæ componit & diuidit species in imaginatiua seruatas: posteriorem verò dicunt æstimatiuã quæ (vt dictũ est) intentiones elicit ex speciebus in imaginatiua seruatis.

Phantasiæ & æstimatiuæ officiũ

CAPVT XI.

De memoria sensitiua.

QVomodo autem sensum communem diximus habere proximum sibi repositorium suarum specierum à sensibus exterioribus susceptarum: ita & hæc vis æstimatiua proximum sibi habet à posteriori parte cellariũ atq; repositorium suarum intẽtionũ a speciebus imaginatiue per cõpositionem & diuisionẽ elicitarum. Quemadmodum enim necesse fuit sensum communẽ habere tale repositoriũ, eo quòd ipse species in absentia diu seruare nõ posset, propter continuo noua occurrẽtia sensibilia, atque etiã propter complexionẽ organi sui, quod ad suspiciendũ non ad cõseruandũ est a natura dispositũ: ita virtuti æstimatiuæ necessarium fuit habere cellariũ in quo suas intẽtiones reconderet, eo quod non posset in se eas diu conseruare, propter cotinuã aliarum aduenientium susceptionẽ atque effor mationẽ: propter quòd adiunctũ debuit habere tale cellarium, in quo iã elicitas intẽtiones absconderet, ac velut in thesaurario poneret, ad quod opportuno tẽpore posset recurrere, quoties sibi placitũ esset huiusmodi intentiones resumere. Hæc autem virtus intentionũ eiusmodi sic conseruatiua, appellatur memoria siue vis memoratiua, quæ ob causam prędictũ rectè thesaurus intentionum potest appellari, sicut imaginatiuam nuncupare solent thesaurũ formarum. Quemadmodũ enim imaginatiua conseruat species rerum, sic memoria cõseruat intentiones specierum. Licet autem vtrunque hoc cellarium (imaginatiua scilet & memoriæ) deseruiat æstimatiuæ siue phantasiæ, memoria tamen præcipuus ipsius est thesaurus.

Comparatio pulchra

Et (vt manifesta ad cõparatione ex sensibilibus declaremus) imaginatiua comparata ad æstimatiuã velut fouea est, vnde effodit homo argentũ vel aurum, & tanquam ager in quo metitur frumentum: memoria vero est tanquam arca in quam effosum infertur atq; reconditur aurum vel argẽtum & tanquam horreum in quod congregatur frumentum ab agro. Quomodo enim ex terræ venis effoditur aurum: sic ex speciebus in imaginatiua seruatis æstimatiua elicit intentiones. Et quomodo aurum effossum infert homo in arcam, sic erutas elicitásque intentiones recondit in memoriam.

CAPVT X.

Vbi virtutis memoratiuæ locus quis, & quomodo dispositus.

ACcipitur autem nomen memoria triplíciter. Primũ, pro ipso actu memorãdi, cum videlicet ad intentionẽ seruatam in memoria phãtasiã excitata, actu rei præteritę recordatur. Secundo, pro habituali memoria, quomodo rem illã dicimur vulgo habere in memoria, cuius intentionem sic seruatã apud nos habemus, vt cum voluerimus, possumus actualiter de ea meditari, vel phantasiari. etiam si actu nihil de illa cogitemus. Tertio (vt in prẽsenti loco principaliter oportet accipi) pro ipsa virtute & potentia, quę intẽtiones ab æstimatiua accipit & retinet. Quæ quidem virtus locum habet in posteriori parte cerebri, & est nouissima potentiarum interiorũ. Vnde ex occipite, physiognomi rectè coniiciũt memoriam. Qui enim bonum occiput habent, & quasi tumorem quendam magnũ in occipite, hi plærunq; bonam habent vim memoratiuã, quemadmodum experientia ad oculũ monstrabit animũ aduertenti. Et quoniã sicci est bene cõseruare oportet hanc partem cerebri magis siccam essę, & aliquantulum duram, minusq; humidam, & mollem quàm sint partes aliæ cerebri priores. Neque sufficit siccitas talis & durities qualis est in parte imaginatiuæ, sed est subiectum memoratiuæ maioris siccitatis quàm imaginatiuæ, Nam imaginatiuę non incumbit tam diu seruare susceptas a sensu communi species, quàm retinere debet memoratiua suas ab æstimatione vel phantasia acceptas intentiones. Imaginatiua enim maxime propter phantasiam siue æstimatiuam est, vt tandiu teneat species rerum, donec conuenienter phantasia intentiones elicuerit, & velut negociata operatáque fuerit circa eas, Non autem propter sensum communem, vt ipse rursum inde accipiat in rei absentia sensationem. Memoratiua verò ordinatur ad firmam retentionem intentionum susceptarũ,

Triplex memoriæ acceptio.

quas in ea recõdidit æstimatiua, vt post longum etiam tẽpus (cum opportunũ fuerit) possit hęc ad illã habere recursum, & velut depositũ reposcere, cũ iterũ vti placuerit. Vnde hęc virtus memoratiua, dici debet pręcipua virtus conseruatiua.

CAPVT XI.

De memoratiuæ virtutis diuersitate ex organi dispositione.

Celeriter apprehendentes, malæ sunt memoriæ.

EX prædictis de perfectione memoriæ in siccitate, patet ratio, quare ij qui excellenter sunt bonę apprehensionis plerunq; non admodũ valeant memoria: quoniã videlicet in eorum cerebro nimia est humiditas à qua bonã illam & celerem habent apprehensionem. Illi vero qui mediocris & vt cunq; tardę sunt apprehensionis, plærunq; magis pollent memoria. Nam tarditas illa apprehensionis, argumentũ est maioris siccitatis: quę tarditatem illam efficit in apprehendendo, in conseruãdo autem apprehensa, confert. Illi vero qui omnino sunt nõ dico tardę sed malæ apprehẽsionis, vt sunt nimiũ hebetes quibus vix quicquam potest imprimi, nequeũt esse bonæ memorię, propter nimiam duritiem, quæ difficillime recipit impressionem.

Comparatione sigilli multiplex ostenditur memoria.

Posimus autem memoriæ differentias, secundum diuersitatem sigillaris impressionis distinguere, hoc modo: Sigillum enim si imprimatur in materiam valde mollem, suscipiet quidem facile impressionem, & figuram accipiet à sigillo impressam, sed nimium leuiter ab ea deperibit, neque est impressio stabilis. Ita sunt quidam quibus ob nimiã humiditatem substantia cerebri est nimium mollis. Et hi facile quidem recipiunt impressionem, intentionémque transmissam à phantasia cito suscipiunt (quemadmodum facile est in luto imprimere vestigium) sed non diu retinent quod impressum est, moxque eius obliuiscuntur, & euanescit quod fuerat memoriæ commendatum.

Si vero materia sigillanda sit nimium dura (vtpote cornea) adeo vt vix possit qualemcunque suscipere impressionẽ, ne sic quidem bona erit conseruatio, eo quod sufficienter non potuerit imprimi imago. Atq; huiusmodi sunt, quibus est cerebrum nimis durũ, vt vix suscipiat à phantasia impressionẽ, aut nimis tenuiter suscipiat. Quæ impressio quoniam nimium superficialis est, facile obruitur: quemadmodum in tenaci & compacta terra modice impressum vestigiũ quanquam magna violentia impressum, facile tamen opplet pulueret, nec perdurat ad vllum tempus. Si vero in materiam satis mollem non tamen nimis mollem sed vtcunque durã, fiat impressio, apta ac bona erit sigillatio. Efficiet enim mediocris mollities (quę ex temperata est humiditate) vt ad suscipiendũ sit materia idonea. Mediocris autẽ durities (quę ex mediocri est siccitate) hoc præstabit, vt firmũ permaneat quod est impressum, huiusmodi sunt, quibus subiectum memoratiuæ bene temperatum est, vt neq; nimis durum sit neq; nimis molle. Hi enim nõ difficulter recipiunt impressionem & difficulter deleri, auferriq; permittũt quod fuerit impressum. Quorundã vero memoria, secundum aliquid bona, & secundum aliquid mala dicitur. Qui enim ita durum habent cerebrũ vt difficulter satis impressionem accipiãt, non tamen ita duram quin forti impressione (id est, magno labore, & longa frequentiq; meditatione) bene possint & perfecte tandem imprimere, nõ minus etiam quam alii qui videntur facile receptiui, hi secundum aliquid mala dicuntur esse memoria, quatenus nimia exigitur difficultas in imprimendo. Non tamen omnino mala, sed secũdum aliquid bona, quatenus videlicet id quod ita magno labore & diligentia (bene tamen & perfecte) acquisierũt, fœliciſsime retinent vt per omnem vitam vix possit obliuisci. Atq; huiusmodi videmus nonnullos, ea quę ante multos annos improbo valde labore memorię insculpserunt, potius quàm impresserunt, in longã ętatem ea ipsa optime tenere: adeo vt iam senes possint grammaticorũ rudimentorũ canones quasi ex recenti depromere memoria. Est autem hoc signum magni laboris, quem in huiusmodi ediscendis impenderunt adolescentes. Namq; paruo negocio ediscuntur, memoriæq; imprimũtur labore modico, hæc vt plurimum facile excidũt: iuxta quod vulgo dici solet, cito deperire, quod cito acquiritur: contra vero, fixius hęrere quę cum difficultate acquisierimus.

Quod labore multo ac quirũt, stabile est.

CAPVT XII.

Senes & pueri quare non bene memorentur.

EX his patet ratio, ob quam senes plærunque videmus esse obliuiosos, ac malæ memoriæ. Facit enim in eis

continuus defectus humiditatis, & nimia exiccatio cerebri, pariter & frigiditas calore naturali deficiente nimiũ excrescẽs, vt cerebrũ plus iusto exiccatũ & induratũ nõ bene possit impressiones suscipere. Propter quod (vix tenui relicto vestigio intentionis impressę) facile ipsum obliteratur, quẽadmodum supra diximus de ijs qui sunt supra modum hebetes.

De memoria senum, notatu digna.

Intelligimus autẽ hanc malã memoriã in multũ senibus, quantũ ad ea quę in senectutis tempore cõmendãt memorię. Nã ea quę in adolescentia siue in iuuentute ętatéq; virili (cũ adhuc valerent vigore corporis) memoriæ impressa vsque in senectutem seruauerũt, ea tenacissime retinẽt, neq; obliuiscũtur facile. Quod enim cerebro (donec molle esset ac bene dispositũ) bene perfectéq; semel fuit impressũ, in senectute quã quam durescat atq; exiccetur, nihil per hoc impressioni nocetur, imo magis ipsa videtur hoc ratione firmari. Quemadmodũ (exempli gratia) si in cerã iã mollem imprimatur sigillũ apteq; ac plene ipsa suscipiat imaginẽ, impressa autem cõuenienter imaginem fingamus cerã illã in modũ cornu indurescere, manifestũ est, per hoc susceptæ figuræ nullũ fieri detrimẽtũ. Imò verò fit tanto ipsa firmior atq; solidior, quãto magis induruerit materia. Cæterũ, quod ad nouas impressiones artinet suscipiendas, nihil dubium est duritiem istã superuenientem magnum præstare impedimentũ. Atq; ita profecto se habet senũ memoria.

De puerorũ memoria.

Pueri vero, propter rationem contrariã, memoriã in principio nullã habent, vel admodũ modicam propter nimiũ humiditatis excessum, quę in eis maxime abundat in annis prioribus. Impedit enim ista ne impressionem possint retinere: quoniã humidũ male retinet. Imò verò cũ nimia fuerit, impedit etiã susceptionẽ. Quemadmodũ videlicet si in aquam aut lutũ nimia cõmixum aqua sigillum imprimas, nulla relinquitur impressio. Tametsi enim verũ sit humidũ esse bene susceptiuũ, id tamen intelligi debet de mediocriter humido. Oportet enim tantã esse siccitatem, vt sufficiat ad suscipiendũ. Arist. vero in libro de memoria & reminiscentia, aliã assignat in senibus & infantibus causam vtrisq; communem, videlicet quod in continuo sint motu: illi quidem, propter decrementum: hi vero propter augmentũ. Videbitur tamen diligentius rei veritatem contemplanti, causa alia superius assignata esse potior magisque præcipua.

CAPVT XIII.

Quare quædam memoriæ diutius inhæreant, quædam citius abeant.

NOn solum autem inter homines diuersos secundum organi diuersam dispositionem consideramus memoriæ diuersitatem, verumetiam in eadem memoriæ quædam attẽdimus fixius hærentia, quædam citius euanescentia. Nam id vnumquéque in sese docet experientia, quædã eorũ quę cogitauimus, aut cognouimus hærere diutius, alia ocius effugere. Huius autem potissima causa esse videtur bona & fortis in memoriã impressio. Quanto enim fortius aliquid in memoriam impresseris, tanto minus potest effugere.

Contingit autẽ id dupliciter. Primũ quidẽ vnica vehementi impressione, cũ intentio ipsa multo vehementi que spiritu a phantasia in memoriã defertur, illique a phãtasia seu æstimatiua diligentissimè commendatur, & velut in profundo collocatur, fortiterque ex phantasiæ vehementi ad ipsam cõuersione memoriæ infigitur. Ac tunc quidẽ ita se habet phãtasia, tanta diligentia & vehementia memoriæ hanc rem sic cõmendans, quomodo solent homines rem quam nequaquã perditam vellent, custodibus magna attentione & multa vehementia fideliter cõmendare. Et quomodo eaque bene seruata volumus, & nequaquã perdi sustinemus, in profundo et in intimis penetralibus reponimus. (Quæ enim in propatulo aut in ipso statim vestibuli ingressu exposita sunt, facile auferũtur) ita ea que nolumus nobis excidere, & de quibus alias aliquando phãtasiari volumus atque cogitare, quasi in profundo reponimus memoriæ. Huiusmodi autem sunt vel ea que nos vehementer offendunt, & de quibus vltionẽ opportuno tempore intendimus meditari, quemadmodũ de Iunone apud Vergilium dicitur, Manet alta mente repostũ Iudicium Paridis. Sic & canes eorum à quibus grauiter affecti sunt plagis, agnitionem profundissima retinent memoria. Item beneficia singularia solent grati in profundo collocare memoriæ, si quãdo opportunam possent referre gratiã. Cuius egregium etiam in bruto animali exemplum describit Aulus Gellius, in libro noctium Atticarum, de leone quodam, damnatum ad bestias seruũ, propter veteris amicitiæ beneficiũ, memori sua gratitudine à morte præseruante,

Vergilius.

Aulus Gellius.

Secundo modo infigitur aliquid memoriæ, non quidem propter vnam aliquam vehementem impressionem, sed per frequentem ipsius quod in memoria repositū volumus reuolutionem, & sæpius iteratam talis rei cogitationem: quomodo facere solemus in disciplinis, vbi aliquid didicimus quod seruatum volumus. Frequentes enim illius cogitationem reuoluimus, vt singulis cogitationibus aliquo in memoriam relicto phantasiati vestigio, tādem firma solidaq; quasi per habitum relinquatur impressio. Et hic modus est disciplinæ maximè accōmodus. Non enim potest memoriæ melius fœliciusque stabiliri in re apprehensa semel & cogitata, quam per frequentem eius meditationem & imaginis crebram reuolutionem. Nā prima illa per vehementiam fortis impressio, maximè ex rebus insolitis fit, accedēte aliqua perturbatione insolita in homine: vt cum homo ex nihil sibi facta iniuria, vehementissimè irascitur, aut ex magno accepto beneficio plurimum lætatur, potissimum cū præter opinionem & spem ista euenerint, vt cum ab eo quis accipit iniuriam, à quo minimè credebat, aut ab eo beneficium a quo minimè sperabat. Item cum de præsenti malo aliquo graui, grauiter tristatur, aut cū ex re aliqua admodū insolita magna consurgit in homine admiratio, in huiusmodi enim absque frequēti meditatione, facilè fit impressio tantū per vnam rei cognitionē. In iis autē quæ ad disciplinā spectāt, plerūq; nō ita enuenit, sed frequēti meditatione est opus. Neque difficile fuerit ita in corporalibus per analogiam declarari. Potest enim tā fortis fieri vnica sigilli impressio in materiam, vt alterā adiicere nō sit opus. Quod si vnica impressione nō sit perfecte expressa imago, frequens expressio repetita perficiet, quod solitudini prioris impressionis deerat. Atque hoc est quod in libro de memoria & reminiscentia ait Aristoteles, meditationes (id est, crebras imaginū repetitiones) tueri memoriā atque confirmare.

Arist. li. de memoria et reminniscentia.

CAPVT XIIII.

De memoria angusta, & ampla, & prouida dei dispensatione.

INueniuntur autē quidam memoriam quidem habentes bonam, sed angustam & modicam, neque nisi paucorum susceptiuam. Alij vero amplam habent & plurimorum conseruatiuā. Primi plerunque ex hoc cognoscuntur, quod tumorem in occipitio habeant nō magnū, sed sed tamē aptè

dispositum. Atque huiusmodi frequenter sunt, qui magno pollent ingenio, & frontem habent cornutam, magnumque finciput. Posteriores verò magnum habent tumorem, & in altum vtcunque ascendentem, vel a posteriori parte protensum. Et hi plærunque non ita magno sunt ingenio. Non debet autem vtrisque horum eadem esse ratio studij, neque idem in memoriæ cōmendando conatus. Non enim omnibus omnia cōueniunt, sed vnicuique iuxta sui ingenij qualitatem, suæque complexionis dispositionem sunt instituenda sua studia. Primis expedit, pauca eaque optima in memoria reponere maximeque necessaria: & cauēdum illis est ne in angustum hospitiolum nimis multa velint per vim intrudere atque simul cogitare, amplius quam possit angustia ferre memorialis horrei. Non enim hoc illis cedet prospere, si tentauerint. Eligant proinde optima, & scitu dignissima, maximeque necessaria, quæ in memoria recōdant, maximè autem generales veritates & vniuersaliores notitias, & quibus alia possint plurima elicere. Qui verò alterius sunt cōditionis, his magis licitū est per multa vagari, & plura sibi in memoriam recondere. Habent enim horrea ampliora, & in quę plura possint inferre. Id tamen prouideant, vt hæc multa secundum congruum disponant ordinē, alioqui paruū ex multis possessionibus fructum relaturi. quod huiusmodi hominibus sæpenumero solet accidere. Vbi enim non est ordo, adest mox confusio. Attende autem, quam prouide, quam sapienter, sua dona bonorū omnium largitor distribuit, vnicuique prout opus habent ad mensurā dispensans, nulli verò Deus omnia dedit. Illi enim qui bono sunt ingenio, quibus bona est apprehensio, bona imaginatio, bona æstimatiua siue phantasia, hi plerunque memoriam cernuntur habere angustam. Qui autem in prioribus vtcunque deficiūt, in posteriori frequenter supplementū accipiunt. Nimirū, quia bene ingeniati (id est, bene aprehēdētes & æstimātes) nō ita multis egēt in memoria cōseruādis. Et pauculis enim quæ in sua angustia memoria tenēt, absq; magno negotio possunt plurima per suū ingenium & inuētionem efficere. Nō est autē opus multorū iā perfectorū cōseruatione, si absque negotio prōptè possis ea ex tēpore prout necessariū fuerit, fabricare. Neque necesse est multa secum deferat præparata antequam

Diligenter attende.

Vide prouidam dei dispensationē

egeat, qui omnia quibus eget, mox vbi indiguerit, ex sese põterit adinuenire. Atque ita qui magno sunt ingenio, & æstimatiua præcellunt, cum ex seipsis plurima possint adinuenire, atque vt fuerit oportunũ de nouo fabricare, nihil opus habent, vt multa secum iam fabricata iam adinuenta semper circunferant. Illi vero qui ingenio sunt tardiores, qui per sese ad inueniendum vel fabricandum non multum sunt idonei, his opus est, vt ea quæ operata sunt diligenter custodiãt, & quę adinuenerint (vel per seipsos, vel per alios) diligẽter cõseruẽt. Quemadmoũd (verbi gratia) si quis artem habeat, vbilibet locorum fuerit, ex terra aut lapidibus passim obuiis facili labore (modici pulueris, quem ipse nouit, admixtione) fabricandi aurum, huic quorsum opus erit, si peregrinari velit, multo se auro onerare, quod per omnem viam secum circunferat? Nonne huic sufficiet, quòd secum ferat puluerem aut substantiam illam modicam, per quam possit vbilibet locorum ex materia obuia facere sibi aurum, quantum indiguerit? Illi vero qui hanc artem nesciunt, necesse habent pro totius itineris necessitate copiam auri secum deferre. Ita sanè prudens omnium bonorum largitor Deus mirabili sapientia cuncta distribuit, vt in omnibus ipse laudetur & glorificetur benedictus in secula, Amen.

CAPVT XV.

Quomodo reminiscentia differat a memoria.

Quomodo reminiscimur.

NOn est autem idem reminiscentia & memoria, neque reminisci & memoriari, cum hoc etiam brutis conueniat, illud solis hominibus. Reminiscimur enim alicuius rei, quãdo ipsam prius, cõgnitam sed obliuioni datam & elapsam è memoria, per alterum in memoria conseruatum iterum reducimus ad memoriam. Hoc est, cum rei alicuius habuimus notitiam, quam rem non possumus memoria cum volumus, atque ita ex aliquo quod adhuc in memoria nobis remanet, procedimus ad illius rei oblitæ cognition ẽ. Sienim (exempli gratia) hesterno die librum aliquo in loco reposui, cuius loci hodie nequeo memorari, & quantumcunque de hoc cogitem, non mihi occurit locus, excidítque memoria, ita vt non possim illius pro meo placito memorari, si deinde (ad rem illam obliuioni datam reuocandam

in memoriam) reuoluam apud meipsum loca omnia in quibus pridie fui, & eos cum quibus habui colloquium, & negociorum quę in vnoquoque locorum egerim, sicq; ex memoria alicuius horum deuento in cognitionem loci illius vbi librum reposui, iam dicor huius loci reminisci, cuius tamen simpliciter non potui memorari. Ex quo patet, quod ad reminiscendum plura requiruntur, quàm ad memorandum. Nam ad memorandum sufficit, quòd de re prius cognita iterum cogitemus, vt præterita est & antè cognita. Id enim adiici oportet, quoniam non dicitur simpliciter memorari, quisquis de re ante cognita iterum cogitat. Nam si quis rem aliquã ante cognitam penitus obliuiscatur, eandémq; post annos vel dies aliquot denuo addiscat, ita quasi nunquã ante cognouisset, neq; aliquando se cognouisse in præterito attẽdit hic nõ memorari rem illã dicetur, sed denuo addiscere. Qui enim memoratur, is ex specie conseruata apud sese mouetur ad cognitionem rei antè cognitæ. Qui autem non ex cõseruatione speciei apud se mouetur ad cognitionẽ, saltem secũdum partem aliquam, is nõ memorari dicendus est. Aliquando vero hæc commixta sunt, vt rem aliquam partim memoremur, partim de nouo addiscamus. Veluti cũ mihi alicuius hominis notitia pene exciderat memoria, nondum tamẽ penitus. Seruatur enim adhuc aliquo modo in memoria eius species, sed tam debilis, vt per se solam vix sufficeret ad talis rei cognitionem reducendam, nisi simul aliquid extrinsecũ accederet, quod secundum partem aliquam denuo docẽdo memoriam adiuuaret. Ad memorãdum ergo requiritur & sufficit rem antè cognitam vt talem iterum cogitare. Reminiscẽtia autem plura exigit. Requiritur enim præcedẽs obliuio, & velut discontinuata, siue interrupta memoria. Quorum enim non præcedit obliuio, eorum non reminiscimur, sed memoramur. Non tamen quælibet rei oblitæ resumpta cognitio, reminiscẽtia dicitur (alioqui iterũ discere esset reminisci) sed cum fit illa notitiæ resumptio ex aliquo memorato, & non oblito, ex quo procedimus ad vlteriorem notitiam eius, cuius memoria exciderat. Neque satis est quod aliquantum tempus interce serit, quo illius rei non habuimus actualem memoriam, sed necesse est ita fuisse rem extra memoriam, vt volẽtes ipsius memorari non potuerimus, per propriam spe-

ciem. Vnde quod antè diximus (iuxta Aristotelis sententiã) reminiscentiam esse memorię discontinuatę & velut interruptę, id non est intelligendum secundum actum, sed secundum habitum. Tunc autem dicitur secundum habitum memoria discontinuata, quando etiam volentes memorari non possumus. Patet insuper, posse nos reminisci eius rei, cuius species adhuc seruatur in memoria. Frequenter enim id cõtingit, vt species in memoria seruata tunc non occurrat, neque se offerat phantasię, quando maxime quæritur. Nam id sæpenumero nobis accidit, cum rem aliquam maximè cogitare volumus, tunc eam velut effugere, & quantumuis requiramus nõ occurrere, ita vt sępius hac ex causa nobis ipsi graviter in patientia conturbemur. In tali ergo statu positi, si propter rem illam cuius propria species nõ occurrit, & quæ vltro sese nõ offert iterum cognoscendam, ad aliud aliquid quod actu memoriæ occurrit conuersi, ex tali aliquo redeamus ad cognitionem rei quã quærimus, vtiq; reminiscimur rei illius, eo quòd ex altero memorato non per speciem propriam, illius notitiam in nobis recuperauimus, manfit tamen verè in nobis species talis rei, licet non tum occurreret, cum quæreretur. Id enim frequenter nobis vsu venit, vt quod hac hora volenti memorari nequaquam occurrit, hora sequenti etiam vltro non requisitum sese offerat: quod vtique non fieret, si penitus species ipsa emigrasset. Quomodo enim ampla supellectile cõtingit interdum, vt illud quod pene ante oculos est, non inueniamus, etiam tunc cum maxime quærimus, quod postmodum vbi quærere desinimus, vltro sese offert conspectui: ita & in speciebus, intentionibusque seruatis in memorię cellaric (sunt enim illę supellex memorię) cõtingit sæpenumero, tunc minime occurrere ipsa etiam quæ verè secundum speciem suam præsentia sunt, quãdo diligentissime, sollicitissiméq; quæruntur, quę postmodum abeunte sollicitudine sese non requisita produnt.

Interdum res dũ maxime quæritur minime inuenitur.

CAPVT XVI.

Quare bruta non possint reminisci, & quid sit virtus reminiscendi.

Aristo. in lib. de me. & remin.

COlligimus ex predictis, verum esse quod ait Aristoteles, memoriã quidem & in irrationabilibus animãtibus inueniri, reminiscentiam non item. Experientia enim certa discimus, animalia memorari: quemadmodum canis videns eum à quo aliquando cesus est, recordatur verberum & inimicitia, propter quod latrans in fugam se conicit. Reminisci autem non possunt. Qui enim reminiscitur, rem illam de qua vult cogitare nõ offerentem seipsam cogitationi proponit per aliud velle inuestigare, & ad hoc faciẽdum medium quærit ordinatum per quod posit in illius deuenire notitiam. Tanta autem facultas non est irrationabilibus animantibus, vt ita ordinate à proposito posint ab vno procedere ad aliud. Quanquam enim ex vno posit venire in aliud per sensus cognitionem & æstimationẽ, non tamen nisi quantum naturaliter vnum ex altero cõsequitur, quemadmodum ex apprehensa forma lupi, ouis ad inimicitię æstimationem transit, & ex vòce prolis apprehensa transit ad amicitię æstimationem. Verũ id non nisi ex naturę est ordine, quoniã videlicet secundum naturalem inclinationẽ ex vno illorum, in eis alterius consequitur æstimatio. Non possunt autem bruta id quod vltrò non sese offert proponere sibi inquirendum atque inuestigandum, atque propter hoc medium quærere eligeréque ad illud rememorandum quod quęritur oportunum. Hoc autem ad reminiscentiã requiritur. Quãtum ergo ad actus reminiscendi atque memorandi, videtur magnifestum quod non vnum memorię, & reminiscentiæ actus diuersi sint. Quod si de ipsis potentijs interrogetur, qualis sit ipsa reminiscendi virtus, an sit ipsa potentia memorativa in homine nobilior, quàm in alijs animalibus, vnde hoc habeat vt sic posit discurere, an alia aliqua sit potentia distincta, verisimilior videbitur respõsio, quod non vna aliqua potentia singularis debeat poni ab alijs prędictis distincta, vnde habeat homo vt posit reminisci. Neque tamen cum memoria videtur esse eadem potentia. Memoria enim ad hoc non sufficit, vt ita ordinate proponat inquirere quod nõ occurrit, neque eius est medium sibi proponere ex quo ordinate procedat alterum. Hæc tamen ad reminiscentiam diximus spectare. Non videtur ergo virtus reminiscitiua eadẽ esse potentia cum memorativa. Virtus autem æstimatiua secundum eam nobilitatem quam in homine obtinet (vti supra diximus) sufficere videtur ad reminiscendi actum. Potest enim in homine discurrere in particularibus, eáq; ad inuicẽ cõfe-

Memoriæ & reminiscẽtiæ actus diuersi.

rendo ex vno ad aliud ordinate procedere, atq; ex alio aliud perueſtigare, quemadmodum ratio in vniuerſalibus. Neque ſolum in ſeipſa poteſt ex vna intentione elicere aliam, verũ etiam in memoria (quod ipſius eſt cellarium) ex vna offerẽte ſe ſpecie ducatum accipere poteſt perueniendi ad alteram latere volentem.

CAPVT XVII.

Qui bene reminiſcatur, & quomodo debeat fieri bona reminiſcentia.

ET quoniam reminiſcentia nõ ad memoriam ſpectat, fieri poteſt, vt is qui bonam habeat reminiſcentiam (id eſt qui bene faciléque reminiſcitur) mala ſit memoria. is vero qui male reminiſcitur, bona ſit memoria præditus. imo plerunq; ingenioſi (in quibus eſt bona æſtimatiua & bona imaginatio) non ita bonæ ſunt memoriæ, attamen bene admodum reminiſcuntur, quoniam bene & ordinate ſciunt procedere ad eius quod quærunt inueſtigationem. Contra verò contingit, admodum bona eſſe memoria eos qui malæ ſunt reminiſcentiæ: vt homines male ingeniati memoria pollentes optime memorãtur, male tamen reminiſci poſſunt ſi quid non occurrat, eo quod æſtimatiuæ defectu non poſsint ordinate procedere, & per media congrua quod intendunt perueſtigare. Sciendum autem eſt quòd ad reminiſcendum oportet accipere medium conueniens ſecũdum aliquem modum ad id cuius volumus reminiſci. Oportet enim id quod accipitur ad inueſtigandum aliud, habere cum illo aliquam habitudinem, vel ſimilitudinis, vel coexiſtentiæ, vel ordinis, vel diſſimilitudinis, vel contrarietatis, vel cuiuſlibet coniunctionis. Solemus enim rerum geſtarum, quarũ nos cepit obliuio, ex ijs quæ ſimul tempore geſta ſunt recordari. Et cum quid eorum quæ memoriter tenemus forte nos fugerit, vt nõ ad voluntatem mox ſuccurrat, ad ea quę antecedunt conuertimus memoriam, ſicque ex iis quæ præcedunt ea quæ ſecũdum ordinem ſubſequuntur reuocamus ad memoriam. Item ex vno contrario in recordationẽ alterius obliti cõtingit deuenire: ex ſimilitudine quoque reminiſcimur ſimilium, item ex vicinia & ex ordine quolibet vnius ad alterũ. Et quia vna eadémq; res habitudinem habet ad plura, ſuntq; ex vno plura nata conſequi ſecundum diuerſum ordinẽ, hinc eſt, q; etiã

Bene ingeniati bene reminiſcuntur, ſed non ſemper bene memorantur.

conuenienti aſſumpto medio ad reminiſcendũ non ſemper contingit reminiſci eius quod quæritur. Sæpe enim medium quod aſſumitur, ducit nos ad id quod non quærimus, & impeditur quæſiti recordatio.

CAPVT XVIII.

De ſomno & vigilia.

PRius autem quam ſenſitiuarum virium claudamus determinationem, ſuperſt, vt de ſomno & vigilia, vel pauca dicamus. Sunt enim hęc, ſenſus paſsiones (vt ait Ariſtoteles) & circa ſenſum habẽt fieri. Neque enim in vlla ſpecie inueniuntur ſomnus & vigilia: niſi vbi inueniuntur ſenſus. Nam plantas nemo dicit vigilare aliquando aut dormire, quoniam ſenſum non habent. Cætera autẽ animalia ſenſum habentia, interdum vigilare, interdum dormire percipimus. Quod tametſi non de omnibus compertum ſit experientia, ob quorundam ſenſuum imperfectionem: putat tamen Ariſtoteles rationi conſentaneum, omne quod ſenſum habet vel vnicum (vtpote ſolum tactum) aliquãdo dormire, aliquando vigilare. Sunt autem ſomnus & vigilia cõtrariæ paſsiones, ac proinde circa idem habent fieri, adeo vt cuicunque conueniat vigilare, eidẽ & dormire, atque ecõtra rio. Contraria enim circa idem habent fieri ſubiectum. Vnde nullum animal vel ſemper dormire poteſt, vel ſemper vigilare, ſed aliquando quidem dormire, aliquãdo vigilare debet. Eſt autem vigilia, ſenſuum libertas atque ſolutio cum ſenſus animalis liberi ſunt ad operandum ſuas operationes, obiecto oblato, & impedimento ſecluſo. Somnus vero, ſenſuum vinculum eſt, atque ligamẽ, quo ligantur ſenſus, vt nõ poſsint ſuas exercere operationes, etiam ſi obiectum offeratur, & impedimentum omne extrinſecum remoueatur. Nam id manifeſte in dormientibus cernimus, nullo ſenſu eos donec ſomni paſsione præmuntur quicquã percipere. Neque enim vident coram aſtantes, neque audiunt, neque tactu aliquid percipiũt donec expergiſcantur. Non ſufficit autem vnum aliquem ſenſum animalis ligatum eſſe, cæteris ſolutis: ſed neceſſe eſt omnes ſenſus quos animal ipſum habet, eſſe pariter ligatos. Non quælibet tamen ſenſuum ligatio, ſomnus dicendus eſt. Sunt enim morbi quidam priuantes hominem ſenſu atque motu, & dicunt eſſe venas quaſdam in

Ariſt. lib. de ſomno et vigilantia

Quid ſónus & vigilia.

collo,quas si quis apprehendat atq; constringat, ipsum animal mox sensu ac motu priuatum collabitur . Manifestum quoque id est in morbo apoplexiæ, quæ penitus hominem motu & sensu priuat. Non appellatur tamen huiusmodi sensuum ligatio,somnus.Somnus enim quies est sensuum a natura illis deputata,ad recuperationem virium In morbis autem huiusmodi nulla est sensuum quies aut reparatio, sed potius destructio atque debilitatio.

CAPVT XIX.

Duplex somni vtilitas animalibus.

VT autem cognoscatur, quod non temerè neque frustra Deus naturæ in animanibus somnum posuerit,aduertendum est duplicem ipsius somni in animalibus esse vtilitatem,imo necessitatem . Primum enim ad animalium virium facit reparationem . Omnis enim virtus naturalis, quæ non absque fatigatione perpetuo potest exerceri, aliquando indiget quietis intermissione, vt possit instaurari quiete,quæ nimia fatigatione deficeret. Id manifeste videmus in motu progressiuo animalium. Q nia enim in perpetua continuitate ambulare non valent, necesse est subinde quiescant,ad demũ resumptis viribus progrediãtur. Ita & organa sensuum,quoniam nimia vigilia fatigantur,indigent intermissione quietis,vt resumptis reparatisque viribus iterum ad suorum officiorum possint aptam functionem redire.Sunt autem vires istæ,tam exteriores sensus,quam interiores,maximé tamen videtur propter interiores sensus somnus esse necessarius. Secũdo est somnus vtilis atque etiã necessari⁹,proprer virtutes vegetatiuas.In animalibus enim virtutes vegetatiuæ(nutritiua scilicet,augmentatiua,& generatiua) impediuntur per exercitium virtutum animalium. Q uanto enim vires animalis,id est,sensitiuę & motiuæ,magis intenduntur,tanto naturales,id est,vegetatiuæ magis remittuntur.Propter quod in hominibus studiosis & in re qualibet multum sensu occupatis,peior fit nutritio atque augmẽtatio:in hominibus autem ignauis quique animalibus viribus minus vtuntur melior fit nutritio atque augmentatio maior. Et multum vigilantes macrescere videmus atque palescere,somniculosos autem vehementer impinguari. Q uoniam ergo virtutes naturales per exercitium virtutum animaliũ impediuntur,ideo propter salutem animalis, ipsiusq; valetudinem firmandam prouidè naturæ author tempus somni instituit: vt animalibus viribus ligatis,naturales virtutes(sine quarũ operatione nõ diu potest animal subsistere) tum possint liberius pleniusque suis actibus vocare,atque ea quæ ad animalis vitam intertenendam sunt necessaria, conuenientius operari. Atque hinc est , quod vulgo dici solet,somnum non minus quam cibum ad bonam valetudinẽ conducere,somnoque moderato non minus quam cibo hominem nutriti:ecõtrario autem,nimia vigilia nõ minus quã immoderato ieiunio corpus exiccari , atque tabefieri . Non quidem ob hoc quòd ipse somnus sit hominis nutrimentum, sed qui efficit,vt naturales potentiæ suas conuenienter operationes exerceant,& quia eius defectus impedit alimẽti debitam diuersionem in substantiam rei,propter impedimentum virtutum naturalium,per immoderatum & nimis diuturnum animalium virium exercitium. Hinc apte per Sapiẽtem dicitur:Vigilia honestatis,tabefaciet carnes. Et prudenter viri sancti,quibus cura est edomandæ carnis,eiusque molestiis & afflictionibus debilitandæ,ne supercrescat spiritui, vigiliis æque atque ieiuniis insistunt,scientes carnis vigorẽ non minus somni quã cibi subtractione infringi atque imminui. Hoc enim est quod quærunt,carnem vidilicet atterere & velut supprimere,ac iuxta Apostolum,castigare, & in seruitutem redigere,vt dominetur spiritus.

Quorsum Deus somnium indidit animalibus.

Secũda somni vtilitas.

Nota attẽte

Ecclc.31.

1.Cor.9.

CAPVT XX.

Q uomodo somno vtiliter iuxta Dei institutionem vtendum.

Q Voniam ergo ad duo hæc somnus ab authore naturæ Deo est institutus, videlicet ad sensuum reparationem, & vegetatiuarum virium adiumentũ nequaquã sapiẽtis hominis fuerit prorsus sibi somni velle quietem subtrahere. Non enim minus peccatũ habebit huiusmodi,quã si alimentũ sibi ipsi velit in totũ subtrahere,aduersus sapientissimi Dei ordiné & institutionẽ.Vnde & benedictus Dei filius cum in mũdo nobiscũ cõuersaretur,sõni necessitatẽ nequaquã a se repulit,sed quo modo cæteras humanæ naturæ infirmitates,ita etiã hãc sensuũ a somno ligationẽ in sese voluit suscipere. Nam in nauı super ceruical eũ dormiuisse legimus,& a discipulis fuisse

excitatum. Est autem sapientis eatenus somno moderatè vti quatenus ratio dictat eundem esse cõducibilem: quomodo alimento vir bonus frugaliter vti debet pro interrenenda corporis vita, non pro eodem enutriendo ad lasciuiã. Et hac in re necesse est vnusquisque attendat suæ cõplexionis qualitatem. Quomodo enim alimento sumendo non omnibus vna est mensura ponẽda, ita nec somno. Quod enim huic nesatis quidem est, illi et nimiũ. Quidã enim ad sensuũ eorũque organorũ reparationem pauco indigent somno, etiam post multam vigiliam: moxque vbi paululũ quieuerint, exurgunt alacres ad pristina animaliũ vitiũ exercitia. Alij vero lõgiori egent somno, antequã possint eorũ vires recuperare. Videtur tamen ista diuersitas ex varia dispositione siue complexione cerebri prouenire. Et solicite quisque sibi debet attendere, vt discat quantũ sit sibi ad virium reparationẽ necessarium. Quomodo enim moderatus somnus cuncta organa virium animaliũ apta reddit, & bene disponit ad sibi cõgruas operationes, ita cũ minus fuerit, reddit ea pigra, tarda atque inhabilia ad exercendas cõuenienter suas functiones. Vnde homines nimio somno deditos videmus esse pigros, desides, oscitabundos, graues, & velut immobiles, malæ apprehensionis, mali iudicij, tardi motus, imo non ita limpide videntes oculis, neque etiã (si diligentius quis aduertat) lingua, ita exacte gustantes: & omnino in omnibus que ad vires animalis spectãt operationibus inueniuntur inhabiles. Cũ econtrario qui moderati sunt somni, cõspiciãtur ad omnia prompti & alacres, viuacitate quoque sensuũ gaudentes.

CAPVT XXI.

Quomodo generatur in animalibus somnus.

Somnus quomodo fiat.

Fit autem somnus ex euaperatione, cum videlicet à corde eleuantur vapores sursum versus cerebrum qui illic infrigidati à cerebri frigiditate & condẽsati opplent meatus spirituum sensitiuorum, ne possint a cebro in organa sensuum diffundi. Cum enim vapores isti sic incrassati meatus illos occupauerint, per quos cerebrum diffundit spiritus sensitiuos ad organa sensuum, itemque a posteriori parte illos meatus per quos spiritus motiuos diffundit ad organa motus, nũc contingit sensus omnes ligari sicque animalia contingit & motu & sensu priuari per spi-

rituum sensitiuorum & motiuorum defectum. Non enim potest in oculo fieri visio, nisi mediante spiritu sensitiuo, qui illi à cerebro per neruos ad hoc à natura dispositos (quẽadmodum aperte in anatomia est videre) diffunditur: sic & de omnibus sensibus alijs dicendum. Hoc ergo visionis instrumento absente nequit in oculo visio fieri. Ita non possunt se membra mouere secundum locum, nisi per spiritus motiuos, qui similiter à cerebro transmittuntur ad membra. Omnes enim spiritus animales (id est tam sensitiui quàm motiui) in cerebro gignuntur, & à cerebro in cætera organa atque membra deriuantur. Sensitiui tamen suos meatus habent maxime in parte anteriori, ortum habẽtes à sensu communi, à quo nerui oriũtur, ad organa singulorum sensuum. Motiui vero suos habent meatus, à parte posteriori, à ventriculo memoriæ, à quo in nucham subiacẽtem diffunditur spiritus motiuus: atq; ita per nucham cõsequenter diffunditur ad omnia corporis membra. Fit autem somnus fortior aut debilior, iuxta quod vapores isti plenius occupant meatus spirituum sensitiuorum. Cum enim vapores multum fuerint grossi, & ita multi vt totos meatus sufficienter oppleant. grauis est somnus, neque leuis est excitatio: quemadmodum in illis est qui multo potu sunt obruti. Cum vero vapores fuerint subtiles, neque multum ingrossati, aut cum non ita multi fuerint vt meatus ipsos sufficiant penitus opplere, somnus est debilior, & est facilior excitatio: quemadmodum in illis qui frugaliter sunt refecti. Vnde etiam fit, vt ij qui venas habent valde amplas, non admodum fortis sint somni, facilliméque excitentur: eo quod vapores non sufficiant meatus spirituum opplere, sed propter latitudinem aliqua ex parte facile transeunt spiritus, velut cedentibus vaporibus in via latiori. Qui autem angustiores habent spirituum meatus, somno grauiori premuntur, & excitantur difficilius: eo quòd obsistens vapor facilius impediat transitum spirituum: quemadmodum ad oculum videmus, in via angustiori consistentem facilius prohibere occurrẽtis cuiuspiam ingressum ac transitũ, quàm in via latiori. In lata enim via facile est transire volentem (si celer agilisque extiterit) ad partem aliquam sese inijcere: & ocyus trãsire. Ita sane qui amplos habent meatus, frequẽter expergiscuntur etiam vltro, & leuissimo excitantur strepitu.

Motu cur dormientiæ priuentur

somnus fortis aut debilis vnde

Frequenter enim propter amplitudinem viarum, ſpiritus animales ſua celeritate illabuntur in organa ſenſitiua atq; motiua, & facilem aliquam ſibi parant celerem tranſitum, ſicque frequenter & facile contingit animalia eiuſmodi expergiſci Expergiſcitur enim animal, mox vt ſpiritus ipſi animales, trā ſitum acquirūt ad ſua organa. Tunc enim fit ſenſuum ſolutio, in quo conſiſtit vigilia. Fit etiam ſomnus maxime poſt ſumptum cibum, quod tum eleuentur copioſius vapores ſomnum generantes: & maximè cum talia fuerint alimenta (cibi atque potus) quę multas de ſe fundant fumoſitates, aut ad modum craſſas, ac pingues. Non quilibet tamen vapores cauſant ſomnum. Quidam enim potius, ſomnum impediunt, vt vapores acuti & ſalſi. Item cū fuerint cum cholera multa cōmixti. Tunc enim ſomnus impeditur, quemadmodum docet experientia, cum vinū nimium acutū biberimus, aut nimium calidum, & cum choleram in nobis moueri ſentimus. Oportet enim vapores ſomnū inducentes eſſe dulces, facile in cerebro ingroſſabiles, pinguéſq; & velut mulcebres. Alioqui non patiuntur ſe ligari ſpiritus, qui ſunt in cerebro, magis timentes deſtructionis nocumentum quam reparationis profectū.

Poſt cibum maxime fit ſomnus.

CAPVT XXII.

Quòd somni pars aliqua pro nutritione, aliqua pro generatione, aliqua pro ſenſuum reparatione.

QVanquam autem ſupra diximus ſomnum naturaliter ad duo ordinari, videlicet ad ſubſidium, auxiliumque vegetatiuarum potentiarum, quę in animalibus per virtutum animalium vſum & exercitium impediuntur, & ad reparationem virtutum animalium quæ in ſuis exercitijs fatigantur continuo labore, videtur tamen ipſa vegetatio (tanquam animalis, ſubſiſtentię magis neceſſaria) priorem locum ſecūdum temporis ordinem obtinere, & tempus etiam amplius quàm animalium virium reparatio ſibi vendicare. Nā quod ad animalium virium reparationem attinet, videtur illi modicum tempus poſſe ſufficere: quemadmodum experiuntur interdum ſtudioſi, cerebro vtcunq; defatigato, facili illi poſſet ſubueniri, ſi vel ſedentes in ſella ſtudij capite aliquātulū reclinato in manu paulum ceſſent ab exercitio, & mirā perſentiunt in tantilla requie ſubleuationem. Quod autem

plurimum horarum tempus ad ſomnum exigatur, magis videtur propter vegetatiuas eſſe potentias. Et plane hoc experientia docet, in principio ſomni maxime nutritionem adiuuari, minime autem ſenſuum fieri reparationem. Experimur enim eos qui in principio aut paulo poſt principium ſomni excitantur ante ſomni medium, animalibus viribus eſſe multo magis deſtitutos, quàm ſi omnino non dormiuiſſent: neq; id ſolum momentum, verumetiam per multum tempus, imo per totum nonnunquam ſubſequentis diei ſpacium. Et videntur qui ſic poſt ſomni principium excitantur, quaſi ebrij, nullo ſenſu, nullo etiam motu rectè vtentes, quaſi animalibus viribus omnino perturbatis, neque vlla ſentitur reparatio. Cæterum ipſa ſenſuum reparatio maxime videtur circa finem ſomni poſt medium eius fieri. Prius enim ſibi natura animalis proſpicit de eo quod ad eſſe ipſius eſt neceſſarium, quàm de eo quod ad bene eſſe. Nutritio enim ad eſſe animalis requiritur. Senſuum autem vſus, non ad eſſe ipſius, ſed ad bene eſſe exigitur. Pueros enim & mariones videmus abſque ſenſuum bono vſu, validos corpore perſiſtere. Sitamen plus iuſto ſomno extenditur, rurſum deinde cerebrum indiſponitur. Propter quod multum ingenio conducit, ſommo mane è ſuaui ſtrato exurgere, dulcéſq; relinquere plumas, videlicet vt ſenſibus reparatis antequam iterum indiſponantur, ſomnus abrumpatur. Maxime verò ijs qui caſtitatem mentis atque corporis ſeruare volunt incontaminatam, & nec illuſionibus fœdarum imaginum, nec ſpurcitijs pollui nocturnarum immunditiarum, prolixus ille ſomnus matutinus diligēter eſt cauendus. In fine namq; ſomni experientia monſtrat, huius rei maximum eſſe periculum. Quod ideo eſſe videtur, quoniam in principio ſomni & per tempus maximum ipſius, nutritiua & augmentatiua ſuas potiſſimum operationes exercent: perfecta autem ſufficienter nutritione, circa ſomni finem videtur potentia generatiua ſecundum ordinem ſuo officio ſuccedere. Quia enim ſecundum ordinē temporis prior eſſe debet nutritio & augmētatio generatione (propter quod in pueris non prius generatiuæ potentiæ operationem experimur, quàm nutritiua & augmentatiua ad iuſtam perfectionem eos perduxerit) ideo priꝰ nutritioni inſiſtitur, poſtmodū vero generationi. Quod

Principiū ſomni maxime pro nutritione facit.

Matutinus ſomnus caſtitati periculoſus.

etiam inde est, quia semen ex superfluo est alimenti, atq; ob hoc nutritione perfecta in illud quod superfuerit alimẽti se conuertens vegetatrix potentia agit in ipsum, & efficit vt in seminis naturam conuertatur, & circa seminis dispositionem atq; perfectionem tum maxime agit, efficiturque ad generationem homo paratior atque pronior nutritione perfecta. Atque hinc fiunt in phantasia illusiones fœdarum imaginũ generatiua potentia suum actũ quæritante: & non raro fiunt coinquinationes inordinatæ corporũ, quas euadere possunt qui tẽpus illud præueniendo, somnum antequam eò pertingat abrũpũt. Et licet in aurora sit somnus carnalibus maxime suauis, ijs videlicet qui Venerẽ amant & corporis delicias: veris tamen Dei amatoribus castitatisq;, & omnis virtutis zelatoribus somnus ille maxime est fugiendus.

Sõnus auroræ non probandus.

CAPVT XXIII.

Quomodo in homine contingant insomnia.

COntingit autem in somno sensus interiores interdũ solui, exterioribus sensibus in suo vinculo permanentibus apparentq; tunc phantasmata & varię imagines in phantasia atq; in æstimatiua: quas apparitiones, imaginationésque & phantasiationes, vocant somnia, vel insomnia (vt videtur) à somno, quoniã videlicet in somno fiant. Fiuntq; hæc somnia maxime post medium somni, cum iam vapores incipiunt minui ac subtiliari, & ita primũ sensus interni soluuntur, incipiuntq; operari exterioribus sensibus in suo ligamento nihilominus permanentibus: eò quòd vapores adhuc meatus occupent, quibus à cerebro ad ipsorum organa trãsmitti debẽt spiritus animales. Causa autẽ quare somniantes omnia iudicent ita se habere vt somniãt, videtur esse ex defectu operationis sensus cõmunis. Quòd enim dũ vigilãtes multa phãtasiamur, componentes & diuidentes, nõ ea sic habere putemus quomodo nobis in phãtasia occurrunt, inde videtur esse, quia sensus cõmunis iudicat & cognoscit per sensuum exteriorũ obiecta, nihil tale esse præsens. Quod enim nec à visu, nec ab auditu, nec ab aliquo aliorũ sensuum vt actualiter sensatũ percipit, id ipse iudicat non adesse. Atq; ita quanquã vigilantes multa phantasiamur, non tamen illa vt præsentia iudicamus, quoniam sensus communis nobis contrarium iudicat. In somniantibus verò quia sensus exteriores ligantur neque sensus communis nisi quæ ab ipsis recipit, iudicat, ita tũ de est, quæ phantasiæ atque æstimatiuæ falsas compositiones & diuisiones iudiciaque refutet, & conuincat esse falsa mendacia. Itaque fit, vt videantur verè præsentia, & sic se vt apparent habere, nemine præsente qui euincat falsitatem.

somnia quomodo fiant.

Somniãtes quare omnia sic esse putant vt somniãt

Atque hæc est etiam causa, quare in tenebris phantasiantes terribile aliquid homines terreantur, & exclamant ac fugiunt: præsente autem lumine, eadem imaginantes non ita terreantur: quoniam videlicet absente lumine non potest id quod æstimatiuæ præsens est, argui quòd non ita, Nam lumine absente, nequit iudicari quod coram sit. Lumine autem allato manifeste iudicat sensus communis per visum, nõ adesse quod habet imaginatio phãtasiæ, Quemadmodum videlicet quum vanus atque mendax homo miranda proponit, si nemo adsit qui falsitatem redarguit, creduntur vera esse quę narrantur. Si vero adsit qui arguat falsa eiusmodi proponentem, manifesteque comprobet nisi taliũ sic esse vt dicit, nemo credet talia proponenti, neque se quisquam propter mẽdacis hominis confutati verba loco mouebit, quicquid tandẽ ille dixerit.

CAPVT XXIIII.

De somnis supernaturalibus, animalibus & naturalibus.

DIstinguuntur autem multipliciter somnia. Quędam enim desuper à Deo legimus immitti, quemadmodum in diuersis scripturarum passibus inuenitur de somnis videlicet Iacob & Ioseh, de somniis Pharaonis, itemque pincernæ & principis pistorum regis Pharaonis, de somnio Nabugodonosor, & plerisque aliis. Hæc enim omnia à deo benedicto videbãtur ad futurorũ præsignationem immissa. Vnde Ioseph cum expositurus esset somnium Pharaoni, dicebat: Quæ facturus est Deus, ostendit Pharaoni. Et iterum: Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni, tacite sic indicans, quod & somniorum illorum immissio foret à Deo. Idipsum aperissime & Daniel coram rege Nabugodonosor: Est deus (inquit) in cœlo, reuelans mysteria, qui indicauit tibi rex Nabugodonoso: quæ ventura sunt nouissimis temporibus. Ac rursum: Qui reuelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt. Sed & in nouo Testamento mul-

Somniorũ distinctio

Somnia supernaturalia.

Gene. 41.

Danie. 2.

ta solet per somnia immissa sanctis hominibus Deus futura demonstrare. Vnde Ioseph legimus ab angelo Domini in somnis admonitum, de virgine Maria accipienda, de filio in Ægyptum adducendo & reducendo. Matth. 1. & 2.

Quur autem Deus ita in sumnis velit futura indicare, causa videtur, quia tunc sensus hominis magis sunt quieti, exterioribus omnibus ligatis, interioribus etiam circa pauciſsima vel omnino circa nulla occupatis, ac proinde diuinæ impreſsionis & internæ commonitionis facilius ſuſceptiui. Huiuſmodi autem ſomnia non paſsim vulgaribus ſolét accidere, ſed illis qui ſunt præeminentes, vel ſanctitate, vt in quibus magnum & ſingulare aliquid Deus operari diſponit, vel dignitate, aut authoritate, vt in iis qui ſunt in adminiſtratione regnorum. Quod enim Abrahæ, Iacob, Ioſeph, Danieli, Iudæ Machabeo, & huiuſmodi ſomnia fuerint à Deo immiſſa, propter ipſorum fuit præcellentiam. Quod autem Pharaoni & Nabugodonoſor, non propter ipſorum dignitatẽ, ſed certè ad diuini nominis gloriam & amicorum Dei glorificationem fuit. Quod etiam magiſtris piſtorum atque pincernarum Pharaonis fuit ſomnium præſagium futurorum immiſſum a Deo, propter Ioſeph exaltationem factum fuiſſe creditur. Nihilominus Deo liberum eſt cuicunque voluerit, etiam peſsimis ſomnia immittere.

Omnia animalia.

Alia verò ſunt ſomnia, quæ appellantur animalia: illa nimirum quæ contingunt ex prius in vigilia ſenſatis & maxime ex iis circa quæ fuimus in vigilia ſoliciti, ſiue anxiè diligenterque occupati. Hinc fit, vt auarus ſomniet de pecuniis, de negociationibus, emptionibus atque vẽditionibus. Guloſus de epulis & conuiuiis: luxurioſus de mulierum conuictu & colloquiis, aliiſque huiuſmodi. Homo autẽ miſericors ſomniat de pauperum neceſsitatibus, de miſerorum patrocinio. Qui zelat pro iuſtitia, ſomniat iniuſtitiæ punitionem, oppreſsorum ſuſpenſionem, atque huiuſmodi.

Notæ diligenter.

Nota de ventorum proſperitate, & de nauigando ſomniat, & literis ſtudens de ſuo ſtudio. Et vniuerſaliter, circa qualia occupatur homo in vigilia, circa talia verſatur in ſomnio. Offerunt enim ſeſe ſpecies illæ dormienti, quæ ſolent vigilanti.

Ex huiuſmodi autem ſomniis poteſt vtcunque conijcere homo, quid potiſsimũ ipſius affectui inhæreat. Vt ſi quis frequenter de honoribus & laudibus humanis ſomniet, meritò ſibi metuere poteſt, ne forte ſit ipſe homo ambitioſus: item ſi de epulis ac lautitiis, ne forte ſit homo delicatus & guloſus, atque ita in cæteris.

Quo naturaliter diuerſæ in hominibus cõplexiones diuerſa faciunt ſomnia.

Sunt alia ſomnia naturalia, quæ ſecundũ complexionis humanæ conditionẽ cauſantur in phantaſia, ipſo videlicet quod in complexione hominis dominatur immutante cerebrũ, atque ſpeciẽ ſibi cõformem imprimente in phantaſiã, aut ſpeciẽ ſeruatã in ea mouente. Sic homines ſanguinei, in quibus dominatur ſanguis, de rebus rubeis, pulchris, & lætis ſomniãt, & frequẽter exiſtimãt ſe volare, eo quod ſanguis cõueniat cũ aere, eſtq; hæc cõplexio læta & aerea, propter quod lęta & amœna ſomniãt naturaliter. Illi autem in quibus cholera dominatur, multum ſomniant de igne, cũ quo conuenit cholera: item de bellis, iurgiis, & contentionibus, ad quæ cholera extimulat. Flegmatici (in quibus dominatur aqua) ſolent de aqua ſomniare, vt pote iuxta aquas ſe ambulare, aut in aquas ſe incidiſſe aut ſubmergi, hiſque ſimilia, quę plurimũ ſolẽt pueris (in quibus adhuc humidũ dominatur) accidere: ſomniant etiam de glacie, niue, & huiuſmodi, vt quod per niuem ambulant, aut ſuper glaciem labant. Melãcholici vero (in quibus dominatur terra) frequenter ſomniant ſe in terra defeſſos, aut terra oppreſſos, aut de ſepulchris mortuorum deque aliis huiuſmodi, potiſsimũ quæ ad oppreſsionẽ pertinẽt: maximè autẽ de rebus grauibus & triſtibus, vtpote de inferno, de morte, de perſequutione ab aliis illata, aliiſq; ſimilibus, quoniam maximè grauis eſt & triſtis illa complexio. Naturaliter etiam ſomniat homo de illo quod ſibi deeſt, & quod appetit, vt eſuriẽs ſomniat de cibo, ſitiens de potu, micturiens de pariete, aut loco aliquo ſeparato, vbi liceat ſecundũ honeſtatẽ mingere: cacaturiens vero de cloaca. Vnde etiam interdũ huiuſmodi ſomniis contingit homines decipi vt lectum impleãt pro ſtimario, & condormientium latura humectent pro pariete.

De exonerationе naturali notatu digna.

Ad eundem modum cum natura ſe oneratam ſenſerit alimenti ſuperfluo, quod ad generationem pertinet, dũ ſe exonerare atque liberare cupit, p ſomniũ in æſtimatiua imagines apparere facit taliũ rerũ ad quarũ præſentiam ſolet fieri ſuperflui talis eiectio, eo quod non aliter (niſi forte ex defectu virtutis retẽtiuæ) cõtingat eiuſmodi emiſsio. Natura ergo de ſalute viuentis ſolicita, id ita procurat, & æſtimatiuam

sic mouet: ne si nō fiat superflui illius exoneratio, variis morbis & miseriis miserè consumat, id quod frequenter solet accidere. Atque ita contingit etiā castissimos viros, nocturnis illusionibus solicitari atque vexari, illos maximè in quibus valida est vis generatiua. Quod si quis interroget, quonā pacto fieri id possit in imaginatiua. vt talis fiat imaginū efficio, cum præuiæ non antecesserint cogitationes, ex quibus videantur posse oriri? Dicimus, sicut in animalibus irrationabilibus æstimatiua potentia naturaliter mouetur, quantū ad ea quæ sunt naturæ opera, vt ad nidum struendū tali materia, tali forma, tali tempore, ad coeundū cū animāte sui generis diuersi sexus, &c. ita æstimatiuā hominis in hac parte moueri naturaliter, & imprimi in eā quandā impressionē, per quam excitetur ad tales efformandas imagines, ad quarū in æstimatiua præsentiā solet tale naturæ opus fieri. Neque verò mirum, si dicamus naturaliter aliqua ex parte hanc æstimatiuam moueri, quandoquidem opus istud quod quęritur (nempe superflui corruptiui animalis expulsio) omnino naturale est, ad viuentis salutem conseruandam.

CAPVT XXV.

Quod boni & studiosi virtutum possent subinde mala perpeti somnia.

Totum hoc caput diligenter expendæ.

EX qua somniorum distinctione nō modica sumi potest consolationis materia aduersus quorundam nimium pauidorum inordinatum & scrupulosum timorem, qui grauiter tristantur, si quando per somnium aliquid eis cōtigerit, quod virtuti videatur contrarium, atque ita se affligunt, quasi talibus sint vitiis apud Deum coinquinati, cum tamen secundum rationem viuant, & pro virili secundum spiritū aduersum talia vitia vigiles decertent, neque ex eo quod per somnium ita cōtigit, vllā apud Deū habeant culpā. Omnino enim contingere potest, & cōtingit nō raro eum qui secundū rationē & voluntatē vere castus est somniis rerū venerearū illudi, & eū qui secundū rationē verè sobrius est ac temperans gulositatis somnia perpeti. Iterūque qui secundū rationem mitis ac placidus est, atque longanimus somniis iracundiæ & ferocitatis vexari. Sit enim quis (exempli gratia) à naturali complexione ad rem venereā vehementer inclinatus propter virtutis generatiuæ in ipso fortitudiem, hic

quantumuis secundū firmū castitatis propositū viriliter resistat, & nequaquā consentiat, ita vt propositi firmitate & cōtinua resistentia, maxime autem desuper veniente Dei gratia (sine qua iuxta Sapientis sentētiam, nemo castus fieri potest) habitum castitatis sit adeptus, continget nihilominus hunc interdum somnijs malæ concupiscentiæ illudi. Et qui vigilās præsente ratione, neq; pro vita, neque pro morte in muliere consentiret appetitum, nec vllum ferret familiare colloquiū aut cōmercium, dormiens subinde etiam amplexus & oscula accipiat & quæritet. Ad eundem modum qui à naturali est cōplexione vehementer pronus ad iracundiam, plenus flauente cholera, hic quantumuis multo labore & multa Dei gratia sit adeptus mansuetudinis patientiā, adeò vt vigilans, neque in pilo, neque in obulo velit nocere, quantumuis in ipsum delinquenti, hunc tamen cōtingit per somniū pugnare, interficere, dilaniare, discerpere hostem, eius domū ac segetem succendere, & cuncta eius bona diripere. Ita melancholicum qui Dei gratia multo labore secundum rationē atque volūtatem pusillanimitatis vitium debellauit, & timorē pepulit inordinatū, contingit per somnia graui concuti timore. Et qui in vigilia de Dei misericordia optime cōfidit se cō sequuturū ęterna gaudia, per somniū pati sibi videtur inferni tormenta: quiq; per vigiliam cōfidit se circundatū lætantium angelorum caterua, per somnium interdum sibi videtur in medio terribilium dæmonū iacere oppressus. Ita pure sanguineus aliquis quanuis vere secundū rationem & voluntatis affectū ex dei gratia omnes auersetur mundi voluptates subinde tamen per somniū videtur sibi in medio delitiarum iucundari. Imo verò si diligentius aduertamus, comperiemus ista omnia etiam in vigilia ita accidere. Hinc enim tētationes sunt quę à carne exurgunt etiā in bonis & sanctis viris, videlicet vel gulę, vel luxurię, vel iracundię, & cęterorum malorū: quomodo de seipso narrat beatus Hieronymus quod cum in vasta eremi solitudine exeso esset corpore, & arctissima seipsum stringeret inedia, Romanis tamen se putabat interesse delitijs. Qui ergo huiusmodi se sentit somni rerum nō bonarū tāgi, aut etiā in vigilia eiusmodi vexari motibus, nō statim deiiciatur animo, nō se mox dei existimet inimicū. Veruntamen examinet seipsum diligenter an non ex pręuijs

Hieronymus ad Eustochium.

Examinanda somnia vnde proficiscantur.

in vigilia voluntariis cogitatibus, aut effectibus, ista sic exurgant an non exorta fuerint à causa aliqua volûtarie subministrata, vnde eiusmodi somnia per se nata sunt sequi. Et quidem si post diligens examen nullius huiusmodi mali sibi est conscius, nihil est quod metuat, non est cur multum anxietur animo: hoc tamen discat & consideret, in sua carne adhuc viuere concupiscentiam, discat non debere se esse securum, discat nondum perfecte deuictum esse siue subactũ domesticum hostem, discat sibi adhuc standum super custodiã: & humilitatis ac prouidentię sibi sumat occasionem, ne mox vbi aliquem virtutis habitum aut donum aliquod acceperit, omnia in tuto putet, seque in portu nauigare securum. Agat quoque gratias Deo, cuius gratia ita sibi aduersissimum hũc hostem subiugauit, suiectumque fecit (carnem dico & sanguinem) vt non nisi in somno absente ratione, vel in vigilia per surreptionem, velut à tergo aut à longe audeat accedere, & non in vigilia aperte prodire in aciem. Est enim hoc signũ euidens infirmati hostis, cum iam non palam, sed velut per surreptionem tantum ex abdito, audet aduersarium impetere. Cæterum de somnijs quatenus ex eis prognosticari aliquod liceat aut non, item quomodo ea obseruare & non obseruare, præsentis non est negotij. Ad moralem enim spectat doctrinam, tametsi non minima ex parte ex præcedentium hæreant cognitione. Nos ergo de plurimis paucula quædam dixisse contenti (quoniam profecto etiam si velimus multa, non valemus, ob ignorantiam rerum intus latentium) fessum nunc calamum abditarum rerum curiosa inspectione atque perscrutatione, ad quietẽ reponimus, quo deinde ad id quod totius considerationis nostræ erit supremum, reparatis viribus alacriores redeamus: si tamen prius (iuxta hactenus in libris omnibus seruatam consuetudinem) magni Dei gloriam cantico celebrauerimus, cuius sunt opera hæc mirabilia, hisque infinito maiora, quæ nostri sterilitas calami minime valet explicare: qui in trinitate & vnitate perpetuo beatus viuit, regnat, & gloriatur in secula seculorum, Amen.

Finit considerationis Physicæ Liber decimus.

PSALMVS MAGNO ARTIFICI QVI est fabricator humani cerebri.

VIdebam ego nuper anatomiam, incisionémque humani corporis: aderat qui secabat, chirurgus, aderat qui demonstrabat omnia medicus.

Ille quidem diuidebat subtilissime, & vsq; ad venulas minimas tenuissimosque neruulos incidebat omnia: hic vero digitis sollicitissime cuncta monstrabat, verbisque declarabat quantum poterat.

Super membris singulis quantumuis paruulis faciebat sermones prolixissimos: & post finita verba omnia adiiciebat nondum se membri naturam explicuisse vel vsque ad dimidium.

Tantum (inquit) quæ magis sunt cognitu vtilia, quæ magis exposita proferimus: & tamen protrahebat dies multos prolixis sermonibus.

Admiratus sum vehemẽter in pluribus sagacis naturę operibus, dũ ita mirandũ cõspicerem in cunctos ordinẽ ita stupendam in singulis virtutem, & vsum necessarium.

Nihil erat superfluum, inordinatum nihil nihil indecorũ, nullum erat membrum, à cuius cõtemplatione post inspecta auditáque omnia cum stupore non abscederem.

At verò posteaquam ad verticem peruentum est ad anatomiam cerebri, ibi videlicet quæ prius videram iudicabam nihil esse omnia.

Secabat ille summa sollicitudine, incisionibus subtilissimis. iste de rebus minimis nescio quæ declarabat maxima.

Pape, quàm stupenda, quàm admiranda, quàm spectatu digniſsima illic erant demonstranda: vix tota oculorum intenta acie sufficiebã intueri, de quibus iste tractabat mirabilia.

Ibi cranium & pericranium, ibi pia mater & dura mater, miringa maior & miringa minor: ibi nescio quæ nimiũ mirandæ connexiones & immissuræ, quibus ista nectebantur adhærebantque inuicem.

Ibi vẽtriculorum distinctiones variæ, & cellulæ distinctæ distinctione visibili: ibi rete mirabile, vere mirabile, de cuius inuolutionibus narabat ille miranda, cum vix præ tenuitate ipsum posset conspicere acies oculorum meorum.

Ibi neruorum à cerebro exeuntium spectatu dignissima colligatio: ab anteriori parte molliorum, duriorum à posterioribus.

Naturæ prouidentiam miris efferebat prœconiis singulorum adinuicem prouidam dispositionem ostendens, ad salutem & commoditatem animalium.

Pergebat ille his cõmonstratis plura ostendere: ego verò longius nõ valebam progredi, neque præeuntem valebã insequi, quoniam me stupor inuaserat.

Et nunc, artifex magne, nulli arte secundus, præcellentior omnibus: quid dicã ego, quid loquar de operibus artis tuæ?

O vtinam contingerent tibi spectatores, artifices periti operis: ab his enim posset tibi dari gloria.

Qui inter homines, magnę artis fabricauerint opus nihil æque optant ac peritos artis ad spectandum illud.

Si magnæ artis opus in possessionem venerit hominibus rudibus qui artis sunt ignari: perdit artifex gloriam artis suę quantumuis sit præcellens artificium.

Ita profecto nobiscum res habet, quantum ad præstantissima opera tua: fabalibus stipulis grossiores sumus quantumlibet nobis videamur subtilissimi.

Sapientia & artificium operis tui nequaquam contemplari sufficimus, neque millesimam partem artis quam ostẽdisti in capite nostro, vel doctissimus pernouit medicus:

Attamen etiã si nemo miretur, si nemo laudet semper manet in opere ipso gloria artificis: ita & tibi magne Deus semper tua manet gloria in cunctis operibus tuis.

Sis benedictus in æterna maiestate tua: sis benedictus, sis laudatus & glorioſus in secula, pro inæstimabili sapientia & bonitate tua.

Gloria patri, & filio & spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.

Finit Psalmus.

LIBER VNDECIMVS CONSIDERATIONIS PHYSICAE, DE INTELLECTV ET EIVS OFFICIIS.

PRAEFATIO.

Quæ hactenus à nobis libris præcedẽtibus determinata sunt, nõ homini sunt peculiaria, sed vel rebus naturalibus omnibus generaliter cõueniunt, cuiusmodi sunt quæ in primo libro de principiis diximus, & in secundo de causis, in tertio de motu, in quarto de loco & tempore, in quinto de generatione atque corruptione, vel homini sunt cum cæteris viuentibus (vtpote plãtis & animalibus brutis) communia, nempe ea quæ in prioribus tribus libris de potentiis vegetantibus & sensibus tam exterioribus, quã interioribus diximus. Neque hactenus vllo librorum præcedentium de iis quæ homini peculiariter competunt, quicquã egimus. At vero hominis egregia præcellẽtia, qua cetẽris omnibus præstat naturalibus rebus, & admirabiles illæ virtutes, quas in nobis peculiariter aduertimus, merito specialem exigũt tractatum. Sic enim cœlestia corpora, propter suam quam in hęc habent inferiora potentem actionem, speciale meruerunt determinationem, si denique etiam meteorologicæ impressiones (quæ & mixta imperfecta dicimus) propter suam tantum incertam & subitam generationem singularem nobis extorserunt tractatum: humanæ naturæ præcellentia, an nõ multo instius id ipsum exposcit, ac exigit? Videlicet vt illas speciali opere discutiamus, declaremusque nobilissimas virtutes & operationes, quæ homini sic propriè peculiariterque cõueniũt, vt in nullis rebus naturalibus possint eędem vel similes reperiri? Quæ enim hæc foret inordinatio disciplinę, post exactã de rebus naturalibus omnibus determinationem, ipsum quod est omnium præcipuum negligere, & ad quod cętera omnia tanquam ad finẽ ordinãtur intactum pertransire? Iustum est ergo, semel nobis in manum susceptus calamus tantisper nobis inseruiat, donec pro nostra virili secundum bonũ Dei auxiliũ, & hæc verè maxima vel balbutientes explicauerimus.

CAPVT I.

De hominis præcellentia, & quomodo intellectus per sensum cognoscitur.

HOminis super alias res naturales præcellentia, in intellectu atque voluntate consistit, potentiis duabus vtique nobilissimis, quibus Dei in nobis imaginem & similitudinẽ gerimus, & secundum quas Deiformes Deique capaces soli homines sumus, secundum quas immortales sumus incorruptibiles, & impassibiles (passione quacunque violenta vel ad corruptionem deducente) ab vlla rerum naturaliũ quantumuis potentissimæ fuerit actionis: secundum quas item soli homini conuenit in suis actionibus libertas, meritũ vel demeritum, præmium atque pœna, saluatio atque damnatio æterna, fœlicitas æterna, vel æterna miseria. Nulla enim irrationalis creatura intellectu & voluntate carens, immortalis esse potest, nulla Dei imaginẽ in se gerit, nulla Deiformis vel Dei capax dicitur, nulla meretur vel demeretur, nulla præmio æterno remunerabitur, vel æterna pœna punietur. Hæc enim omnia solius sunt hominis, quemadmodum in posterioribus latius declarabimus. Quoniam vero secundum rectum ordinem prius est rẽ intellectu percipere, posterius aũt velle vel nolle. Intellectus enim est præsentale voluntatis acceptare vel refutare, iccirco potius de intellectu quam de voluntate est dicẽdum. Est autem in disciplinis ordo valde conueniens, incognita per nota, & minus nota per notiora (quãtum fieri potest) declarare, quemadmodum ex principiis per se cognitis, venitur ad scientiam conclusionis, & ex corporalibus exemplis manuducimur ad intelligẽda spiritualia. Erit ergo modus conuenientissimus naturam intellectus declarandi, per comparationem ad sensum (qui iã ex supra determinatis præsupponitur cognitus) partim quidem secundum similitudinem, partim vero secundum dissimilitudinem. In quibusdam enim conueniunt, & in quibusdam differunt. Primum itaque omnium aduertendum est, quod sicut sensus est potentia quædã apprehensiua rerum foris exstentiũ absque reali susceptione ipsarum per solam receptionem specierũ, ita & intellectus talis quædam est potentia, per quam homo ea etiamquæ extra ipsum sunt intus, apprehẽdit, non rem ipsam vel eius partẽ vel vllam corporalem eius qualitatem, sed tantum rei, quam apprehendit speciem intra suscipiendo. Non enim in anima (vt Aristoteles ait) lapis, sed lapidis est species.

Intellectus & volũtas quanta homini præstent.

Est tamẽ manifesta eius in hoc differẽtia à sensibus exterioribus, quod singuli solum sui proprij sensibilis suscipiũt speciem, vt visus solam speciem coloris. Intellectus autẽ indifferenter omnium simul est susceptiuus, & omniũ apprehensiuus. Trãscendit etiam potentiam primam iuteriorum, quam supra nominauimus sensum communem: quoniam ille licet communiter species suscipiat ab omnibus exterioribus sensibus, non tamen potest nisi illas susciperc, quæ ei ab exterioribus transmittuntur. Nulla enim species est in sensu cõmuni, præter eas, quæ a sensibus exterioribus ad ipsum trãsmittuntur. Amplius vero etiam à vi æstimatiua siue phantastica differt intellectus (tametsi quibusdam antiquorum ita visum non fuit) quoniam intellectus est potentia vlterior, & multo superior ipsa æstimatiua, sicut æstimatiua superior est in sensu communi aut imaginatiua. Cuius rei habita declaratione, magna ex parte quid intellectus sit & quomodo homo cæteris præstet hac in parte animantibus, erit manifestum.

Aristo. 3. li. de ani.

CAPVT II.

Quomodo intellectus sit potentia superior, quam æstimatiua.

PRo cuius intellectu notandum est, quod illa potẽtia merito superior dicitur, cui altera subseruit & subministrat, & quam illa transcendit ac superat virtute actionis: quemadmodum videlicet sensus communis singulis exterioribus sensibus est superior, eo quod singuli subministrent illi, transmittentes ad ipsum suorum sensibilium species. Hic autem operationis nobilitate excedit exteriores sensus, quoniam diuersorum sensuũ sensibilia simul conferre potest, atque inter ea diiudicare, item & actus sensuum exteriorum percipere, quæ duo nullus potest sensuum exteriorũ. Rursum æstimatiua iccirco superior reputatur & est sensu communi, quoniam hic illi subministrat, species susceptas ab exterioribus mox ad imaginatiuam transmittens & ibi recondens non vtique pro semetipso (quoniam ipse illis speciebus in absentia sensibilium non vtitur)

Quomodo potentia vna est altera superior.

sed pro æstimatiua, siue phantastica, nimirum vt ex speciebus huiusmodi ipsa eliciat intentiones non sensatas, componatque & diuidat, & excitata his speciebus suũ exerceat officium. Ipsa autem æstimatiua operationes habet excellentiores quam sensus communis, vel imaginatio, eo quod species illas possit adinuicem componere & diuidere, atque ita cogitationem tali compositioni, vel diuisioni specierum respõdentem in se ipsa efficere, ac talis intentionis speciẽ nunquã à sensu communi habitam in memoria reponere. Item potest non sensatas intentiones elicere, eaque similiter reponere, quæ neque sensus communis neque imaginatiua possunt. Iccirco iure superior dicitur. Eadem quoque ratione æstimatiua etiam memoria superior est, quoniam ipsius vtitur seruitio, quomodo arca & horreum deseruit possessori: & habet æstimatiua multo nobiliores operationes.

Intellectus æstimatiua nobilior.

Ad eundem sanè modum comperimus intellectum in homine ipsa æstimatiua vi siue phantastica multo superiorem, videlicet quia æstimatiua intellectui deseruit, phantasmata (id est, intentiones in phantasia operatas) præsentando, ipsi intellectui ad fabricandum ex eis species rerum solo intellectu perceptibilium, & omnem sensum trascendentium, quæ nullus sensus, neque anterior neque exterior potest cõprehendere. Atque hæc est operatio illa, qua intellectus superat æstimatiuam. Sic enim se habet intellectus ad phantasmata (id est, ad species vel intentiones quæ sunt in phantasia siue æstimatiua) quomodo se habet æstimatiua ipsa ad species à sensus communi transmissas, & in imaginatiua seruatas. Quomodo enim per æstimatiuam apprehendit & percipit animam brutum, quod per sensum communem non potest videlicet amicitiam, vel inimicitiam, voluptatem, & dolorem, conueniẽs & discõueniens secundum sensum: ita per intellectum homo plurima intelligit, quæ per æstimatiuam solam impossibile foret percipere. Tamet si enim æstimatiua possit elicere intentiones non sensatas à speciebus seruatis in imaginatiua, sunt tamen illæ perpaucæ, & huiusmodi, quæ conducunt ad animalis vitæ conseruationem atquæ directionem, secundum quod animal est, vtpote amicitiæ vel inimicitiæ conuenientis vel disconuenientis secundum sensum: quam æstimatiuæ operationem

in pueris videmus nondũ ratione vtentibus, item & in amẽtibus atq; morionibus grãdioris ætatis, in quibus perparum cernitur differẽtię ab irrationalibus, nisi quod propter excellentiam æstimatiuæ in hominibus videatur in quibusdã eminere. At vero intellectus conuertendo sese ad eas quæ in phantasia siue æstimatiua sunt intentiones plurimarũ rerum elicit cognitionem, quas sensitiua potẽtia nulla siue exterior siue interior potest percipere. Intellectus enim virtute mirabili intelligit formas separatas, naturas vniuersales, angelicas mẽtes, imo & ipsum Deũ: quę nequaquã ab æstimatiua possunt cognosci. Itẽ & alias habet intellectus operationes mirabiles, affirmando & negando, tam in vniuersalibus quàm in particularibus, tã in abstracto quàm in concreto. & multipliciter ratiocinãdo, de quibus omnibus suo loco dicetur posterius. Nunc vero (priusquã extra propositum abducamur) illud tota virtute qua possumus declaremus, quomodo intellectui in sua operatione æstimatiua subministrat, id est, quomodo ex phantasmatibus intellectus rerũ cognitionẽ in se possit acquirere, quę nõ in æstimatiua præfuerũt Sic enim & mirabilis ordo potentiarũ adinuicem, ita in homine ab optimo Deo pulchre dispositarũ clarescet, & nihilominus (quod quę rimus) ipsius intellectus natura fiet manifesta.

CAPVT III.

De Platonis opinione existimantis omnium intelligibilium species esse intellectui concreatas.

Platonis opinio.

AD prædictorum autem determinationem, ante omnia hic pertractanda videtur Platonis quondã cerebris opinio, qui existimauit rerum omnium intelligibilium species fuisse intellectui à principio concreatas, & animam rationalem à principio suæ conditionis omnium rerum habuisse cognitionem, per species proprias sibi concreatas: quam cognitionem dicebat per immersionem in hoc corpus animam perdere, species tamen manere: quomodo homo multo obrutus potu, aũt somno pressus nihil eorum actu intelligit, quæ tamen secũdum habitum & species tenet. Atq; ita iuxta positionis huius consequentiã asserebat, hominis scire vel addiscere, nõ aliud esse quàm reminisci. Dicebat enim, cũ

quis de nouò quippiam videretur addiscere, speciem in anima existentem (vtpote ipsi concretam) solum excitari, sicque tantum recordationem fieri quasi oblitę rei per crassi corporis immersionem, nō autem speciem vllā de nouo in intellectu fieri. Atq; ita nihil dicebat hominē iam addiscere, quod non prius aliquando cognouerit. Iuxta quā positionem dicendum foret, intellectum non posse vti ministerio æstimatiuæ ad aliquam speciem de nouo in se acquirendā, sed tantum ad exercitationem specierum: ita videlicet vt per phantasmata excitarentur species, quæ in intellectu præexistunt, ad efficiendam in intellectu rei cuius sunt species cognitionem. Verum hæc positio primum quidem Christianæ fidei non consonat, quæ tenet animas hominū non simul fuisse creatas, neque etiam præfuisse ante corporis informationem: sed vna cū infusione corporis sigillatim singulas à Deo creari, & eo ipso momento quo in corpus infundūtur simul & creari. Deinde etiam philosophis meliora sentientibus, eadem positio displicet. Reprobat enim eam Aristoteles tertio libro quem de anima scripsit, pulchre docens, intellectū nullam habere sibi connaturalem & cognatam speciem, sed esse velut tabulam nudam, in qua nihil actu sit descriptum: esse tamen intellectum ex sua natura ad species omnium rerum in seipso suscipiēdas idoneum, quomodo tabula nuda, in qua nihil est descriptum susceptiua est cuiuslibet scripturę. Cuius sententiam (vt magis veram, magisq; fidei, rationi, & experientiæ consentaneam) in sequentibus latius volumus declarare, illa altera minus probabili omissa.

Aristoteles à Platone dissentit.

CAPVT IIII.

De *distinctione intellectus agentis & patientis.*

AD cognoscendum ergo quomodo intellectus in sua operatione phātasiæ vtitur ministerio, nota, quòd (iuxta Aristotelis cæterorumque eius in hac parte sequacium traditionem) intellectus diuiditur in agentem & patientem. Intellectus agens dicitur, cuius est species rerum intelligibilium efformare, atque efficere, quibus mediantibus fieri possint rerum intellectiones. Intellectus autem patiens vel passibilis dicitur, cuius est species virtute intellectus agentis efformatas in se suscipere. Quomodo enim in rebus naturalibus compositionem ponimus ex forma substantiali omnium accidentium atque dispositionum effectiua, & materia omnium susceptiua: ita intellectus totā substantiam ex duabus hisce potentijs velut partibus duabus dicunt constare: quarum altera se habet secundum rationem materiæ, videlicet intellectus passibilis nullo modo actiuus, sed tantum passiuus atque susceptiuus specierum: altera vero habet rationem formæ, solum actiuus & nullo modo passiuus. Intellectus agens (vt inquit Aristoteles) est in omnia facere, hoc est, omnium intelligibilium species potest in intellectu passibili efformare, comparatur que lumini in ordine ad colores: quoniam sicut lumen cadens super colorem facit ipsum suā speciem organo visus imprimere, sicq; ipsum cuius est color à sensu facit cognosci: ita per hunc agentem intellectū suam virtutem cōuertentem super phantasmata efformatur in intellectu species intelligibilis, per quam fit in intellectu eius rei cuius est species intellectio, siue intellectiua cognitio. Neque vllum est ens quantumlibet à sensu remotum, quantumlibet vniuersale, quātumlibet abstractum, cuius non possit intellectus agens ex aliquo sibi oblato phātasmate (id est, ex aliqua intentione phantastica) in intellectu passibili speciem efformare. Quid enim magis à sensu elongatum quàm Deus? Attamen intellectus agens in homine tantæ est virtutis, vt aliquam speciem possit in intellectu efformare, mediāte qua Deū vtcunq; cognoscat, quanuis nondum secundum essentiam sicuti est. Est ergo intellectus agentis (iuxta Aristotelis sententiam) in omni agere, id est, specierum omnium intelligibilium rerum effectiuū. Quj enim potest in id quod remotissimum est, multo facilius poterit in illud quoq; quod est minus elongatum. Intellectus autem passiuus est in omnia fieri, id est, omniū rerum potest in se suscipere speciem, potestque rerum omnium similitudine formari. Vnde fit, vt nonnunquam etiam possibilis à potentia suscipiendi nominetur. Quod quidem manifeste ex præcedenti consequitur. Si enim intellectus agens potens est omnium species efformare, & in seipso non possit quicquā recipere, sed quæcunq; ipse operatur, suscipit intellectus passibilis, manifesto ergo consequio infertur, quòd passibilis intellectus sit omnium specierum intelligibilium rerum susceptiuus. Quemadmodum si forma substantialis lapidis esset omnium operationū

Intellectus agens & patiens.

Arist. 5. lib. de anima.

effectiua materia lapidis vtique omnium esset susceptiua. Est enim intellectus agens (vt supra diximus) tanquam forma, patiens vero vt materia. Atque hoc modo intellectus passibilis quodammodo dicitur esse omnia, id est, omniformis, quatenus omniū similitudine potest formari, indui & ornari, quēadmodū pulchre beatus Hieronymus in epistola ad Paulam de omnibus sacrę scripturę libris de cera ait, his verbis: Mollis cera, & ad formādū facilis, etiā si artificis & plastæ cessent manus, tamen virtute totum est, quicquid esse potest.

Hieronymus.

CAPVT V.

Per qualitatē luminis, declaratur virtus intellectus agentis.

QVemadmodū autem in corporalibus nullus est color qui nō per lumen possit illustrari vt suā speciem organum inundat, sicq; visionem in ipso efficiat: ita nulla res est cuius nō possit (per huius intellectū agētis ad se cōuersionē) intelligibilis species imprimi in intellectū passibilē, & cuius non possit in eo notitia efformari per virtutem agentis intellectus. Quemadmodum enim color est obiectū visus, & ideo quicquid sub colore comprehenditur, luminis illustratione æque potest in visum imprimere suā speciem: ita ens siue verū (quę ad inuicem cōuertuntur) obiectum est adęquatū intellectus: atq; ob hoc, per lumen intellectus agentis potest intellectū passibilem imprimi species omnis eius quod sub ente cōtinetur. Rursum quemadmodū nullus color quantumuis lucidus quātumuis nobilis, potest à visu percipi, si defuerit lumen, quod super ipsum cadat, ipsumq; illustret: ita nullū ens est intelligibile, nisi ratione huius intellectus agentis, videlicet nisi hic suo fulgore ad rem illā sese conuertat. Et quēad modum iuxta virtutem luminis fit color melius visu perceptibilis, ita vt lumine splendidius super colorem cadēte, ipse fit melius visu distinguibilis, quām si lumine tenui & obscuro illustraretur, eo quōd in organū species perfectius imprimatur. sic etiam iuxta huius agentis intellectus virtutem res eadem ab vno melius perfectiusq; intelligitur quām ab altero, iuxta quod intellectus agens perfectius, vel imperfectius rei supra quā cadit, & ad quam se conuertit speciem intellectui imprimit passibili. Patet ergo, quamadmodum huius intellectus agentis natura, mirum in modum ex luminis

Ens seu verum intellectus obiectum.

Intellectus agens verū est lumen.

naturalis cognitione ostēditur. Est enim & ipse verū lumen spirituale, & vtiq; verius illo quod à Sole diffunditur in aerē. Hoc enim lumen est, de quo Psalmista loquitur, dicēs, Signatum est super nos lumē vultus tui domine, dedisti lętitia in corde meo. Sicque enim pleriq; sanctorū patrū locū istū interpretantur de naturali lumine intellectus, quod in nobis Deus ab initio velut signauit, dū nobis in apice supremoque vertice animæ speciali prærogatiua dignitatis impressit. Et est planè intellectus hic agēs in homine quoddā diuinitatis vestigiū, ac participiū aliquod infinitæ, immēsæq; lucis q̄ est ipse Deus. Quomodo enim ab igne permaximo scintillulæ multę exeūt, aliquid claritatis illius & luciditatis ignis primarij referētes, ita ab illa immēsa ineffabilique diuina luce (de qua scriptū est. Erat lux vera quæ illuminat omnē hominē veniētē in hunc mundū) in animas singulorū hominū velut scintillula quædam deriuatur, eisque insidet inextinguibilis si tamen iustum est, modicum istud in nobis lumen respectu Diuinæ lucis comparare scintillulæ, respectu ignis magni: quandoquidē alias in scriptura sancta legimus ipsos quoque in gloria plenissimè refulgentes beatos, nō nisi scintillis fulgentibus comparari. Sic enim quodam loco legimus, Fulgebunt iusti, & tāquā scintillulæ in arundineto discurrēt. Nos tamen scintillulæ cōparare cogimur hoc diuinæ lucis in nobis participium, quandoquidem minus aliquid igneum, aut lucidum in humana appellatione nequimus inuenire.

Psal. 4.

Ioan. 1.

Sapien. 1.

CAPVT VI.

Ex differentia intellectus & sensus, ostenditur necessario ponendum intellectum agentem.

EST autem notanda differentia inter sensum & eius obiectum ex parte vna, & inter intellectum & eius obiectum ex parte altera. Nam sensibile obiectum (si adsit requisita cōditio) sua actione imprimit suā speciem in organum sensus. vt color præsente lumine agit in organum visus agendoque imprimit in ipsum suam speciē. Lumen enim nō est causa effectiua speciei, neque in oculū agit per hoc quod colorē illustrat, sed est tantū quædā cōditio requisita ad hoc vt color possit agere in visum. Quātū verò ad intellectū, cōtrario modo se res habet. Cum enim rē aliquā quæ est extra nos, intelligimus, ipsa res nō agit in intellectū per se impri-

Intellectus insensu differentia.

mendo suam speciem. Nulla enim res corporalis potest agere in intellectum, cum sit potentia spiritualis, & nullum habens organum corporeum. Neque imaginandum est, sic ab æstimatiua trãsmitti ad intellectum species corporales, quomodo ab exterioribus sensibus transmittuntur ad sensum cõmunem. Cum enim intellectus nullum habeat corporeum organum in quo in habitet, nullus potest esse tranſitus, per quem species talis sensibilis possit trãsmitti ad intellectum. Sed neque intellectus ipse (propter suam nobilitatem) capax fòret vllius speciei sensibilis. Atque hinc patet ratio, quare magis oporteat duplicem ponere intellectum, quam duplicem sensum. Non enim solet sensus diuidi in agentem & patientem, sed sensum dicunt simpliciter esse potentiam passiuam, quantum ad speciem, eo quod speciem in sese non debeat, neque possit efformare vllius sensus, sed ipsius obiecti actione in ipsum imprimatur, & in speciem acquirendo se habeat purè passiuè, tametsi in ordine ad actum suum proprium, quodammodo sit potentia actiua vel proprie operatiua. Operationem enim suam, sensus in se ipso sufficit speciẽ autem (mediante qua vt instrumento suam operatur sensationem) nequaquam. Atque hac ratione, quãtũ ex parte obiecti tota substantia sensus passiua dicitur: neque in agẽtem & patientem secundum suas partes secatur. Contra vero quia obiectum intellectus per se non sufficit sua actione imprimere suam speciem, omnino tamen eget specie, si debeat intelligere: necesse est intellectum ponere nõ mere passiuũ, respectu suæ speciei, sed partim effectiuum. Alioqui impossibile esset speciem in intellectu formari, & per consequens neque vlla posset fieri intellectio, cum sine specie ipsa nequeat fieri visio in oculo, si nec potentia ipsa visiua haberet virtutem efformãdi in speciem coloris, nec etiam ipsi colori talis competeret actio. Vnde enim acciperet visus speciem coloris, si neque à seipso neque ab obiecto acciperet? Hæc ergo necessitas est ponendi intellectum agentem, ad cuius positionem necessario consequitur intellectus passibilis positio, nisi enim species intelligibilis in intellectu susciperetur, non posset intellectus intelligere. Cæterum, an intellectus hi duo, ponendæ sint potentiæ realiter distinctæ, an solum secundum rationem diuersam distiguantur

Quare duplex intellectus ponitur, & non duplex sensus.

(videlicet vt idem numero intellectus dicatur agens, quatenus hoc illi competit officium efformare & efficere speciem intelligibilem: idemque patiens, quatenus non alio aliquo, sed in seipso hanc speciem per se effectam recipit) nolumus impræsentiarum curiosius perueſtigare. Perparum enim refert, an re, an ratione sola dicatur distingui, si hoc modo rectè intelligatur, duplex hoc officium intellectui competere.

CAPVT VII.

Quomodo omnis cognitio intellectiua oriatur ex sensu.

AD cognoscendum autem modum, quo intellectus agẽs efficit species in intellectu, notandum est, quod pro statu isto mortalis vitę, talis est colligatio animę in corpore isto crasso & misero, vt nullius rei cognitio possit venire in intellectum, quæ non primordialiter ex aliquo sensuum exteriorum sumpserit initium: neque vlla possit species intelligibilis ab intellectu agente formari in intellectu passibili, quam nõ originaliter ex aliqua specie sensibili quinque exteriorũ sensuum emendicauerit. Propter quod dixit Aristoteles.

Omnem nostram cognitionem debere à sensu habere exordium. *Arist. 1. lib. poste.*

Quod tamen non ita est intelligendum quasi intellectus agẽs immediatè à sensibilibus exteriorum sensuum accipiat suas species intelligibiles: sed mediatè, ratione videlicet phãtasmatum, id est, intentionum in phantasia siue æstimatiua existentium, quæ omnia a sensuum exteriorum cognitione primordialiter oriuntur. Est enim talis habitudo intellectus agentis ad phantasmata in phantasia, qualis est sensus exterioris ab obiectum existens in re sensibili. Nã sicut sensus non potest accipere suam speciem, nisi conuertẽdo se ad sensibile, vel nisi ipsi prẽsentetur offeraturque præsens sensibile, ita intellectus agens ad comparandũ sibi intelligibiles species cõuertere se debet ad phantasmata, id est, ad aliquas imagines vel intentiones in æstimatiua sibi præsentatas. Et quẽadmodũ sensibile ipsum cũ sit corporea qualitas, acquiritur tamẽ & formatur in sensu, quæ est potẽtia vtcũque spiritualis secundum suã similitudinẽ, modo quodam spirituaa

li:ita phantaſmata quanquam res materialis, & imago craſſior, quam vt ſecundum talem conditionem poſsit recipi in intellectu, abſtrahitur tamen ab ipſo ſpecies intelligibilis, multo ſpiritualior & intellectui bene proportionata: idque per virtutem agentis intellectus, ſeſe ſuper phantaſma conuertentis, cuius eſt tanta virtus, vt à phantaſmatibus impuris & materialibus, poſsit ſua nobiliſsima inexplicabilique virtutis efficacia ſpeciem immaterialem educere atque abſtrahere, ac velut efformare, quæ intellectui conueniat pro ſua operatione exercenda: quemadmodum corporalis luminis eſt tanta excellentia, vt ſuper colorẽ ipſo cadente in viſu gignatur ſpecies, quæ abſque ipſo non potuiſſet in oculo produci. Non ſunt tamen prædicta ſic intelligenda, quaſi aſſerere velimus, omnem intellectus cognitionem debere immediatè ex ſenſu etiã phantaſiæ accipi. Nam intellectus vna habita notitia ex ea format aliam, atque ita conſequenter, quemadmodum ex notitia præmiſſarum efficit in ſe notitiam concluſionis: & ex notitia intellectuali ſingularium efficit cognitionem vniuerſalium. Atque in his non immediatè ſumitur cognitio intellectus à ſenſu. Mediatè tamen omnis intellectiua notitia a ſenſu eſt, quoniam prima intellectiua cognitio (ex qua aliæ gignuntur) à ſenſu debet accipi. Cum enim intellectus de ſe nihil habeat, omnia deforis acquirat neceſſe eſt. Attamen cum vel modicum aliquid habuerit, plurima ex illis paucis poteſt mirabili ſuæ fœcunditatis virtute proginere.

CAPVT VIII.

De modo quo intellectus agens conuertit ſe ſuper phantaſmata.

MOdus autem quo intellectus agens ſe conuertit ſuper phantaſmata ad formandum ſibi ſpecies intelligibiles, eſt ipſa phantaſmata illuſtrando, eaque a conditionibus materialibus deputando. Phantaſmata enim in phantaſia rem non niſi craſſo modo & ſenſibiliter (vt videlicet ſenſu perceptibilis eſt) repreſentat, ſub cõditionibus materialibus & indiuiduantibus, videlicet ſub loco determinato, & tempore determinato, & cæteris conditionibus indiuidualibus determinatis, quomodo a ſenſu exteriori cognoſcitur. Intellectus autem ſua nobilitate omnes

has materiales & ſingulares conditiones ſeparat, & ſpeciem talem in intellectu paſsibili format, quæ rem abſq; eiuſmodi imperfectionibus repræſentet. Vnde hoc modo intellectus hominis ex phãtaſmatibus materialibus, & cognitione rei materialis quam intellectui exhibet phãtaſia, pertingere poteſt ad cognitionem rerũ immaterialium & prorſus abſque materia ſeparatarũ. Verbi gratia, ex his quæ ſenſibus exterioribus percipimus, rebus iſtis viſibilibus & materialibus, quę vt habentia actũ cum potentia (id eſt formam cum materia) in phãtaſia cognoſcimus, intellectus agens ſuper phantaſmata huiuſmodi ſe cõuertens, ſeparat & abſtrahit id quod materiale eſt & imperfectum, formátq; ſibi ſpeciem quæ ſolum actũ nudámq; formam abſque potentia materiæ per ſe ſubſiſtentem repræſentat, per quã angelicas ſubſtantias apprehendit, quæ ſunt formę ſeparatę abſque materia. Sic ex cogitatione creaturæ quã phantaſia apprehendit, ſub determinatis cõditionibus (vtpote ſubſtãtia, qualitate, ſub tali materia, ſub talibus diſpoſitionibus accidẽtalibus, ſub tali colore, in tali tẽpore, in tali loco, &c.) intellectus agens ab omnibus his conditionibus materialibus abſtrahens, format ſibi ſpeciẽ quandam atq; ſimilitudinem in intellectu paſsibili repræſentantem ens immateriale, abſque magnitudine, abſq; omni accidente, abſq; omni mutatione & motu, abſque omni generatione, corruptione, & paſsibilitate, abſque initio & fine durationis, abſq; omni tempore & loco, abſque omni compoſitione & permixtione, abſq; vllo ente ſimpliciter priori, & ita in cęteris, ſic abſtrahẽdo ab omnibus imperfectionibus quę inuoluuntur in phantaſmatibus: ſicq; in nobis Dei ſpeciem formamus ex viliſsimis creaturis, quas in phãtaſia cognoſcimus & quarum cognitionem primam hauſimus ex ſenſibus.

Intellectus immaterialia intelligit ex ſenſibilibus.

CAPVT IX.

Quomodo Dei cognitionem duobus modis poteſt intellectus agens in nobis efformare.

FAcit autem intellectus agens duobus modis in nobis Dei, eorumque quæ ad Deum ſpectant cognitionem. Primo quidem, per abnegationem, ad eum modum quo ſupra dictum eſt: cum videlicet omnes materiales conditiones & imperfectiones quas cernimus in creaturis (circa quas

phantasiamur) ab negamus atque abiicimus, ita vt ex ipso quod in phantasmate est solum entis conceptum seruantes, reliquum omne quicquid a diunctū est imperfectionis, quicquid crassum, quicquid imperfectum per abnegationē abiiciamus, imaginantes videlicet non generabile, nō corruptibile, non comprehensum loco, non accidentibus varium, non mobile secundum locum, non vlla ratione mutabile, non compositum vlla compositione, non habens initium durationis neque terminum, non visibile, non vllo sensu sensibile, atque ita in cæteris omne quod imperfectum est abnegando. Dicimus signanter abnegando omne quod imperfectū est. Nō enim omnia debent à Deo abnegari, quæcunque possunt in rebus corporalibus inueniri, sed ea quæ aliquam includunt imperfectionem. Nō enim dicimus, Deū nō ens, neque non intelligibilem, neque non amabilem, cum hæc nullam includant imperfectionem. Perfectionis namque est, esse intelligibile & esse amabile, quoniam quod non est intelligile non est ens: & quod non est amabile, non est bonum. Sed per abnegationem Deo attribuimus, quod sit non sensibilis, quoniam sensibile esse includit imperfectionem. Nō enim sunt sensibilia per se nisi accidentia, neque per accidens nisi quæ accidentia in se suscipiunt. Atque hic modus, per omnis imperfectionis abnegationem sic Deum cognoscendi, pro hoc statu nobis est facillimus & familiarissimus: quemadmodum pulchre id declarat diuinus ille Theologorū facilè princeps Dionysius Areopagita in ijs quæ super Diuinis nominationibus descripsit. Alius est modus quo Deum cognoscimus secundum superexcellentiam, vt cum ex re quam conspicimus oculis, & vt pulchram atque amabilem æstimamus per virtutem intellectus agentis, se super huiusmodi phantasma & æstimationem conuertentis, efformamus in nobis speciem talis cuiusdam rei quæ sit summe pulchra, summe iucunda, summe amabilis, summe desiderabilis, ita vt non possit res cogitari pulchrior, neque iucundior, &c. Ita cum videntes ignem fortiter agere, & Solem potenter in his inferioribus & mirabiliter operari ex phantasmate huiusmodi, per virtutem agentis intellectus efformamus in nobis speciem alicuius rei maxime actiuæ, ita quod nulla res possit esse æque actiua, & ipsa sit omnibus

Deus cognoscitur per abnegationem.

Dionysius Areopagita

Cognitio Dei per excellentiam.

magis actiua. Sic ex re modicæ durationis intelligimus ens maximę & lōgissimę durationis: ex re modicę perfectionis, rem maximę perfectionis, cui nulla dari possit res æque perfecta & quę omnibus alijs est perfectior: sicq; in omnibus alijs cōditionibus quas in creaturis cognoscimus aliquid perfectionis habentibus. Et horum fere modorum altero, comparatur in nobis omnis quæ de Deo naturaliter contingere potest cognitio.

CAPVT X.

Quomodo Deus cum secundum se maxime sit intelligibilis, à nobis tamen difficillime cognoscatur.

NOtandum tamen quod huiusmodi cognitiones nō sunt intellectui humano secundum suam excellentiam simpliciter naturales, sed tantum propter colligationem cū hoc corpore, pro statu isto in quo nihil potest intelligere nisi ex sensibilibus & phantasmatibus. Alioqui ipse Deus per semetipsum est maxime ab intellectu perceptibilis, & post Deum angelicæ creaturæ magis sunt quàm corporeæ intellectu perceptibiles. Cum enim ens siue verum (quæ adinuicem conuertuntur) obiectum sit intellectus, quemadmodum color visus, consequitur, quo vnumquodque habet perfectiorem entis naturam, & perfectiorem entitatē, eo magis esse ipsum perceptibile intellectu: quemadmodum id quod maxime habet coloris naturam (id est, perfectissimus color) per se est maxime visu perceptibile: item & maxima perfectissimaque lux, quantum est ex parte sui, maxime est visibilis. Verum sicut in his sensibilibus non semper id quod ex se maxime visibile est potest maxime à sensu videri, propter imperfectionem organi, vel debilitatem sensuum, vt maxima & fulgidissima lux Solis minime potest ab homine videri, non quidem ex parte ipsius huius lucis, qua nihil est magis per se visibile, sed ex imperfectione visus nostri, qui tam excellens sensibile non potest ferre. Ita profecto nobiscum quantum ad intellectum res habet, donec sumus in corpore mortis huius. Corpus enim hoc quod corrūpitur (iuxta Sapientis verbum) aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantē. Tametsi enim Deus ipse per se maxime sit intelligibilis à nobis, corporeę autē creaturæ per se mi-

Deus per se maxime cognoscibilis est ab intellectu.

nime: nos tamen econtrario, quod maxime per se est intelligibile, ægerrime, difficillimeque intelligimus, quæ verò minime, multo facilius. Similes enim sumus noctuis & vespertilionibus, quæ lumen præclarum diei ægerrime conspiciũt, noctis autem tenuissimo lumine gaudent. Et quemadmodũ humanus visus melius faciliusque Solis imaginem contuetur in aqua relucentem quàm Solem ipsum in sua substantia, eo quod tam lucidos radios directe in se reflexos non ferat oculus: ita lucem illam beatissimam primo ex se intelligibilem, melius in speculo & in sua imagine (id est, increaturis) aliquo modo repræsentatã, quàm in se ipsa cognoscimus. Hoc enim est, quod de Sapientibus quibusdam Romanis scribens ait Apostolus, Quod notũ est (inquiens) Dei, id est, de Deo manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit. Volens autem explicare quomodo illis Deus sui manifestasset cognitionem, subiungit, Inuisibilia enim Dei, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoq; eius virtus & Diuinitas. Hæc enim sensu nequaquam perceptibilia, per creaturas & in creaturis velut in quibusdã speculis, intellectus eorum perspicax & admodum exercitatus in deputandis phantasmatibus & abstrahendis materialibus cõditionibus, quantum opus erat cognouerat, vt non esset eis relictus excusationis locus. Cum verò huic lumini naturali intellectus agentis, additum fuerit lumen aliud spirituale gratiæ, missum desuper, tum vere mirabilis efficitur intellectus ipsius agentis perspicacitas, ita vt iam non solum in speculo creaturarum, verum etiam aliqua ex parte incipiat in semetipso deus ab homine cognosci. Est enim sancti spiritus gratia intellectui agenti in adiutorium, propter nimiam ipsius solius debilitatem, quemadmodum si in oculum aliquẽ infirmum aquam infundas rosaceam, vel aliam magnę virtutis, quæ oculum prius Solis lumen non ferentem nisi in imagine (vt in aqua vel speculo) ita cõfortet vt eum iam possit in sua rota contueri. Cum autem tali lumine superno adiutus fuerit intellectus agens, poterit in intellectu passibili efformare Dei similitudinem, absq; conuersione ad phãtasmata: conuertendo scilicet sese ad ipsum Deum: quod alioquin tali non adiutus lumine minime valeret: quemadmodum oculus sic aliquo auxilio confortatus, non per conuersionem ad

Roma. I.

Quantum intellectui proficiat ad ueniẽs gratia spiritus sancti.

Solis imaginem vltra acciperet speciem eius, sed per conuersionem ad ipsummet Solem in sua substantia & fulgore.

✠ Et in futuro, quãdo olim perficietur in nobis lumẽ istud supernaturale quod nunc per spiritum diffunditur in electorum cordibus, fidei ænigmatica obscuritate conuersa in claritatem apertæ visionis, perfectissimè tunc Deũ absque mẽtis reuerberatione contuebimur, facie ad faciẽ sicuti est: tanquam si vsque adeo hominis confirmetur oculus, vt directissimè possit aciem visus in rotam Solis, in tota sua virtute per meridiei tempus relucentis intendere absque vlla reuerberatione. Et commutabitur tunc quidem in nobis ordo intellectus modo mirabili, vt quomodo nunc primum intelligibile, Solem ęternum & incorporeum, in corporeis imaginibus tenuiter cognoscimus, ita tunc econtrario corporea omnia in illa corporea luce contueamur. Omnia nanque in eo vt in speculo perfectissimo videbimus, & multo perfectius videbimus, quàm ea in semetipsis valeamus cognoscere, quemadmodum etiam omnia in Deo perfectius existũt, quam in semetipsis. Sed nos iam ab hac profundissima Theologia pedem retrahentes, ad reliqua intellectus agentis describenda officia stilum reducamus.

CAPVT XI.

✠ *Quomodo intellectus aliquando singulariter, aliquando vniuersaliter intelligit.*

HAbet autem intellectus varias in sese operationes. Intelligit enim singulariter aliquando, aliquando vniuersaliter, aliquando concretè, aliquando abstractè. Et secundum hæc.

Diuiditur cognitio intellectiua in singularem & vniuersalem, concretam & abstractam. Et si membra ista adinuicem voluerimus commiscere, quædam est cognitio abstracta singularis, quædam abstracta vniuersalis: quædam concreta singularis, quædam concreta vniuersalis.

Cognitio intellecti ua singu laris.

Cognoscit intellectus singulariter, quando notitiam format in seipso, vnius alicuius rei singularis tantum representatiuam, & non alicuius rei communis, neque plurium singularium simul: vt est notitia qua hunc hominem singulariter intelligo, quæ in voce respondet huic dictioni, hic homo vel Ioannes. Vno enim conceptu, vnaque notitia singulari non potest nisi vna res singularis repræsentari. Videtur autem dicere nonnulli, quod intellectus talem operationem in se non habeat singularem, existimãtes hoc ad sensum tantum pertinere, cognoscere singularia singulariter, intellectum autem non cognoscere singularia singulariter, id est, cognitione singulari, sed vniuersaliter tantum, id est, in cognitione vniuersali. Probabilius tamen est & verisimilius intellectum etiam singulariter (vt diximus) posse singularia intelligere, & primam intellectus cognitionem esse singularem. Differentia autẽ inter sensum & intellectum hæc est, quòd sensus solum singulariter apprehendit: intellectus vero non dico non singulariter, sed non solum singulariter, verum etiam vniuersaliter cognoscit. Tamen hoc notandum est, quod licet notitia singularis pro statu huius vitæ sit in intellectu prior tempore, secundum tamen intellectus naturam, infima est. Multo enim digniori fungitur officio intellectus, quando efficit in seipso operationem, qua superat sensum, quam tunc cum efficit eam in qua cum inferiori potentia sensitiua cõmunicat. Vnicuique enim rei illa actio magis secundum suam naturam competit, quæ ei est peculiaris, & per quam distinguitur ab aliis. Quapropter magis propriè dicitur operatio intellectus cognitiõ vniuersalis, in qua sensum excedit, quam singularis in qua cum eodem cõmunicat. Et secundum hunc modum rectè salua veritate, intelligi posit prædicta positio, dicentium intellectum non cognoscere singulariter, intelligendo intellectum secundũm suam naturam, & propriam conditionem non singulariter cognoscere, Veluti si dicamus hominem non sentire, aut sentire, non esse humanam operationem, intelligendo de operatione hominis, secũdum quod homo est, & cætera animalia superat. Hanc autem notitiam singularem facillime intellectus in se efformat, propter similitudinem maximam phãtasmatis, & talis notitiæ.

Discrimen inter sensũ & intellectum.

Cognitio intellecti ua vniuersalis.

Cognoscit autem intellectus vniuersaliter, quãdo in se ipso efformat notitiam non vnius alicuius indiuidui, sed plurium simul repræsentatiuam, vel vnius alicuius rei communis in qua plura singularia conueniunt. Talem autem cognitionem intellectus agens format in intellectu passibili, per abstractionem a conditionibus materialibus deputando videlicet speciem, qua fit notitia a singularis, cõditionibus huiusmodi indiuiduantibus: quæ species sic deputata & abstracta repræsentat intellectui non rem vnam singularem, sed rẽ aliquam communem, in qua multa cõueniunt singularia, & simul omnia singularia, quæ in communi illo, conueniunt.

Quod vt fiat clarius, subiiciemus manifestum exemplũ. Cum enim hunc hominem (vtpote Ioannẽ) singulariter intelligo, non simpliciter in eo naturam humanam considero, sed tale indiuiduum sub conditionibus singularibus indiuiduantibus, quod hic est, & nũc, & talis coloris, ac tali dispositione dispositum, intelligo: & in quocunque hæ eædẽ conditiones indiuiduantes non reperiuntur, id non simul eadem notitia intelligo. Et cum conditiones indiuiduantes nõ nisi in isto singulari inueniãtur, ideo hoc solum indiuiduũ tali notitia singulari intelligo. At vero cum intellectus agens, super hanc notitiam eiusque speciem se conuertẽs, incipit speciem illam atque notitiam deputare ab eiusmodi conditionibus particularibus, abiiciens quicquid est singulare, & solum ipsam spectans, quæ est in indiuiduo, naturam humanã, ita efformat speciem intelligibilem cognitionis vniuersalis effectiuam, quæ ipsam humanam naturam repræsentat, & generaliter omnia quæ in hac natura conueniunt. Experimur autem hoc manifeste in nobis, frequenter ex singulari notitia formari cogitatũ vniuersalem, singulari omissa: quẽadmodum si ambulantibus nobis per plateam, contingat videre in fenestra sedentem simiam, primum quidem indubie notitiam singularem huius simiæ quam videmus, accipimus, mox verò abstrahantes a conditionibus indiuiduãtibus, de simia generaliter cogitare & loqui incipimus, mirabile animal esse simiam, & simiã esse imitatricem humanorum operum, simiam vultum habere vultui humano persimilem, & in multis gestibus admodum videri rationi propinquam, atque alia huiusmodi cogitamus, ac dicimus, nihil tamen vltra in

particulari huius conſpectæ ſimiæ mentionem facientes.

CAPVT XII.

De notitia concretiua & abſtractiua.

Notitia cõcretiua.

INterdum vero intellectus in ſeipſo format notitiam concretiuam, cum videlicet ſimul & ſubiectum & formam vel indiuiduum, & naturam, vna notitia apprehendit.

Vt cum intelligimus hoc album, hoc dulce, hunc hominem, hanc ſimiam, &c. In his enim non aliqua forma, vel natura ſola, ſed pariter ſubiectum cum forma, & indiuiduum cum natura, vna notitia apprehenditur. Nam hoc album ſi explicetur, tantum valet, quantum hæc res habens albedinẽ, vel hanc albedinem: & hoc dulce, hæc res habens dulcedinẽ vel hanc dulcedinem: hic homo, hæc res habens naturã humanã, atque huiuſmodi ſunt notitiæ concretiuæ ſingulares.

Senſus notitia eſt concretiua.

Talis autem eſt, omnis apprehenſio ſenſus. Nõ enim viſus hunc colorem ſeparatim apprehendit, abſque ſubiecto in quo eſt: ſed ipſum ſubiectum vt album intelligit, id eſt, hoc album. Viſus enim rem habentem colorem apprehendit, nõ ſeparatim colorem: tametſi nõ niſi ratione coloris ipſum videat, ſicque color id quod per ſe & ſuiipſius gratia percipitur. Quod autem ſenſus ita ſingulariter concretiuè cognoſcat argumentum eſt, quoniam animalia de coloratis rebus iudicant, non de coloribus. Neque de ſono, ſed de rebus ſonantibus. Vnde plerique hominum neſciunt omnino, an ſit color, vel ſonus, vel odor. Et ſi quæras ab homine ſolo ſenſu vtente, quid videat, reſponſione promptiſsima mox reſpondebit, ſe hanc rem, aut illam videre: vtpote arborem, aut domum, aut ſimilem aliquam ſubſtantiam, non autem ipſum aſsignabit colorem. Niſi fortè ſubtiliores aliqui, nõ ex ſenſu, ſed ex intellectu colorẽ a ſubiecto abſtrahentes, reſpondeant ſe colorem huius aut illius rei videre. Verum hæc reſponſio manifeſtè ex intellectu procedit, nõ ex ſenſus iudicio. Ex quo patet, quod cognitio ſingularis concretiua, omnium infima eſt intellectus operatio: quoniam in ea (vt ſupra diximus) cum ſenſu communicat.

Cognitio autem abſtractiua eſt, qua intellectus ſeparatim ipſam formam intelligit abſque materia vel ſine ſubiecto in quo ſecundum rem exiſtit, aut naturam abſque indiuiduo in quo eſt.

Cognitio abſtractiua.

Habet enim hanc vim intellectus agens, vt ex cognitione concretiua repræſentante ſubiectum ſimul & formam poſsit formare ſpeciem ſolius formæ repræſentatiuam, per quam diſtincte ac ſeparatim formã poſsit intelligere abſq; ſubiecto. Talis eſt cognitio qua cognoſco hãc albedinem, hunc ſonũ, hũc odorem. Et in hac notitia exceditur ſenſus ab intellectu, quoniam ſenſus nequit à materia abſtrahere, ſed ſolis eſt intellectus hoc officium. Et licet ſuperius dictum ſit, phantaſticę virtuti conuenire compoſitionem & diuiſionem, nõ tamẽ diximus illi omnem diuiſionem cõuenire. Poteſt enim (vt diximus) ſpecies in imaginatiua ſeruatas rerũ in exterioribus ſenſibus perceptarum ſimul componere adinuicem & diuidere, vt humano capiti ceruicem equinã iungere, & varias coniungere formas, item hominem ſine collo, & ſine vẽtre effingere. Nõ poteſt tamen formam à materia, aut accidens à ſuo ſubiecto diuidere, quoniam vna eademq; ſpecie ſubiectum & accidens, ſimul vna ſenſatione percipiuntur. Sicut autem exemplis iam declarauimus cognitiones intellectiuas ſingulares, quaſdã eſſe concretiuas, quaſdam abſtractas: ita & de vniuerſalibus eſt intellectionibus dicendum.

Cognitio concreta vniuerſalis.

Interdum enim vniuerſaliter & concrete intelligimus, quando videlicet non ipſam communem naturam ſeorſum & diuiſim, ſed pariter cum illis in quibus inexiſtit, intelligimus.

Vt cũ intellectus in ſe ipſo generalẽ hominis facit notitiã, cogitãdo nõ de aliquo particulari homine ſingulariter, neq; etiã de ipſa in ſe humana natura, ſed generaliter de eo quod in ſe habet humanam naturã. Homo enim ſi reſoluatur, valet

habens humanam naturam vel indiuiduum humanæ naturę? Item cum generaliter albi formamus notitiam, nõn huius albi particulariter, neque albedinis ipsius abstractæ, sed generaliter albi, huiusmodi notitię vniuersales sunt & cõcretiuę.

Cognitio vniuersalis abstracta.

Vniuersaliter vero & abstracte intelligimus, cũ ipsum illud commune in quo multa particularia cõueniunt cognoscimus, absque cointellectione eorũ in quibus communis talis natura existit.

Vt cum absolute humanam naturam cogitamus, de nullo homine cogitantes, sed tantum ipsa naturam illam omnibus hominibus communem (in qua omnes particulares homines conueniunt) in semetipsa consideramus, huiusmodi cognitio vtique abstracta est. Similiter cum in generali albedinem intelligo, non facta comparatione ad aliquid cui insit, abstracta quodammodo cognitio est, quantum ad subiectum: quoniam videlicet nullum subiectum cointelligitur.

Signanter dicimus talem cognitionem esse quodammodo abstractam, videlicet quantũ ad subiectum. Nam albedinis conceptus generalis non penitus abstractus est, sed est partim concretus, comparatione videlicet ad sua indiuidua: id est, ad particulares albedines. Quomodo enim omnes particulares homines in vna natura conueniunt, quę dicitur natura hominis vel humana, sic omnes particulares albedines conueniunt in vna communi natura specifica, quam appellamus naturam albedinis. Quapropter, sicut se habet homo ad sua indiuidua, ita se habet albedo ad particulares albedines. Sicuti ergo vniuersalis notitia hominis est cõcreta, eo quod simul natura & ea in quibus natura illa inuenitur particularia indiuidua repræsentet, ita & notitia communis albedinis simpliciter concreta est quantum ad indiuidua, id est, hanc & illam albedinem, non autem quantum ad subiectum. Illas enim simul cum natura communi albedinis repræsentat, à subiecto autem abstrahit.

CAPVT XIIII.

Quare dicantur abstracta concreta, & de duplicibus abstractis.

QVare autem huiusmodi notitię dicuntur abstractę seu cõcretę, aut abstractiuę, vel concretiuę, non admodũ obscura ratio est, quoniam videlicet notitia illa quæ abstracta dicitur vel abstractiua, abstrahitur & auellitur à subiecto ita vt formã repræsentans nõ simul repræsentet subiectũ: vel naturam cõmunem repræsentans, non simul repræsentet singularia, quæ in ea communicant. Concreta autem notitia dicitur, à cõcernendo: quod simul respiciat siue concernat subiectum & formam, vel indiuiduum & naturam.

Abstractũ vltima abstractione.

Cum autem sit omnimoda abstractio, tam scilicet ab indiuiduis quam à subiecto, talem notitiam appellant abstractam vltima abstractione.

Cuiusmodi est notitia humanitatis, quæ magis non potest abstrahi, & post quam notitiam non potest fieri vlterior abstractio. Aliam dicunt notitiam abstractam abstractione non vltima, cuiusmodi est notitia communis albedinis quæ licet à subiecto sit abstracta, nõdum tamen à singularibus: & ideo potest fieri vlterior abstractio, dicendo, natura albedinis: quã proprio nomine efficto non male appellant (ad rei significationem commodius exprimendam) albedineitatem. Hæc autem abstractio est vltima, postquam nequit fieri vlterior. Secundum prædictam verò considerationem etiam dialectici abstracta aut concreta appellant sua vocabula, iuxta quod abstractiuam vel concretiuam habent significationẽ, vt nomen albus concretum appellant, albedinem verò abstractũ, sed abstractione non vltima: humanitatem autem vel albedineitatem, abstractione vltima. Quo verò modo & qua ratione id fieri possit, vt intellectus agens circa idem phantasma operans, & ad idem penitus phantasma se conuertens, possit in se formare ita diuersas notitias (videlicet modo abstractiuam, modo concretiuam, modo vniuersalem, modo particularem) tametsi difficile captu videatur, per exemplum tamen sensibile luminis super colorem cadentis, vtcunque

Quid non vltima.

poterit fieri manifestum: Quemadmodum enim in splẽdidis columbę pennis, diuersas contingit apparere colorũ differẽtias, iuxta quod lumen super ipsas diuersimode cadit, & iuxta quod oculi ad ipsum respectus siue cõuersio variatur: ita existente in phantasia eodẽ phantasmate intellectus potest vario modo se adipsum cõuertere, & velut modis varijs ipsum illustrare, iuxta quod intelligere vult, vniuersaliter vel particulariter, abstracte vel concrete: atq; ita secundum variam hanc conuersionẽ, varias producit species in intellectu passibili, varias quasque notitias efformat.

CAPVT XIIII.

De *memoria intellectiua*.

QVemadmodum autem in rebus naturalibus videmus, id quod à forma in materia efficitur, à materia & in ea cõseruari, itémque in sensibus iam supra ostendimus, species sensibilium exterioribus sensibus perceptorum, in imaginatiua seruari, & intentiones phantasticæ virtutis in memoria sensitiua: ita de intellectu passibili dicendum est, quod non solum specierum sit ab intellectu agente productarum susceptiuus, verum etiam susceptarum conseruatiuus: ita vt possit species intelligibiles (etiam cum actu non fit intellectio) in se reseruare, ad quas cũ intellectus agens se voluerit conuertere, fit intellectus in actu, per eiusmodi species non de nouo formatas, sed in ipso seruatas, tantum per nouam conuersionem intellectus agentis super ipsas, ad eum modũ quo phantasia cũ se conuertit super species vel intentiones seruatas in memoria, efficitur in ipsa phantasiatio atq; æstimatio, absque nouę speciei vel intentionis productione tantum per veteris resumptionem & nouã sui conuersionem. Et hæc est intellectiua memoria, quæ in homine ponitur. Omnino enim necessitas cogit fateri nos, quod sit in homine præter memoriã illã sensitiuã (de qua supradictũ est priori libro, quę suã sedẽ habet in organo corporeo, videlicet in posteriori vẽtriculo cerebri) alia memoria, tãto superior quãto intellectus superior est phãtasia, pro cõseruatione videlicet specierũ intelligibiliũ ab agẽte intellectu efformatarũ, sicut illa est cõseruatiua intẽtionũ phantasticarũ, & sensibiliũ ab æstimatiua siue phantastica virtute elicitarũ. Impossibile enim foret, species intelligibiles (quibus mediantibus fiunt intellectus operationes) seruari in organo corporeo, sicut foret impossibile. species sensibiles siue intentiones cõseruari in intellectu. Sũt enim hæ crassiores, quã vt altissimam intellectus potẽtiã possint ingredi: & illæ nobiliores sunt, quã vt in corporea crassa & materiali possint seruari. Et quoniã hæc memoria secũda nobilior intellectui seruit, intelligibiles species & intentiones conseruando, idcirco ad differentiam alterius memoratiuæ virtutis appellari solet memoria intellectiua, vt illa a sensu (cui seruit, & cui species intẽtionesque retinet) dicitur memoria sensitiua, vel corporea. Estque inter has duas memorias differentia tanta, vt possit altera a corpore separari, altera non possit. Quæ enim corporeum habet organum & sensitiua memoria dicitur, deficiente corpore, & ipsa deficit quẽadmodum cæteræ illæ omnes potẽtiæ quæ organa habẽt corporea, simul cum corpore creduntur interire. Intellectiua autem memoria corpore moriente, in anima permanet, & ea quæ seruat nõ perdit, sed retinet: eo quod immaterialis sit potentia, & nulli corporeo organo alligata. Neutra autem harum duarum memoratiuarum virium sola homini sufficeret, pro statu huius vitæ, propter duplicem in homine cognoscitiuam virtutẽ, sensitiuam scilicet & intẽllectiuam. Propter quod duplici etiam memoratiua opus erat. Neque enim memoria sensitiua posset intelligibiles species conseruare, neque intellectiua species intentionesque sensibiles.

emoriæ intellectiuæ

CAPVT XV.

An *memoria intellectiua distinguatur ab intellectu.*

Dubitatio de memoria intellectiuæ

CÆterum, an hæc potentia de qua nunc loquimur, intellectiua videlicet memoria, vere realiter distinguatur ab intellectu passibili, id profecto difficultate non caret. Sunt enim in vtranque partem probabiles rationes. Pro distinctione enim reali facere videtur, quòd conseruare & susc ipere in sensibus nusquam videtur ad eam dẽ potentiã pertinere. Sensus enim exteriores recipiunt primo, & ab illis sensus cõmunis, non autem cõseruant: sed habẽt imaginatiuam conseruantem. Item æstimatiua (quæ recipit in se ipsa intẽtiones, quas elicit ex speciebus imaginatiuę) adiunctã habet conseruatiuam memoriam. Et certum est in sensitiuis potẽtiis, memoriam conseruantẽ realiter distingui

ab æstimatiua. Videtur ergo (nisi ratio possit dissimilitudinis debita, assignari) etiã ita de intellectu & intellectiua memoria dicendum. Præterea, si species intelligibiles conseruarentur in ipsomet intellectu, non indistincta potentia: quę esset causa, quur non semper intellectus intelligeret actu omnia quarũ haberet species? Tunc enim fit sensus in actu, quãdo habet in se speciẽ sensibilẽ. Item, quomodo nõ impediretur intellectus à recipiendis nouis speciebus, & comparandis notitiis nouis rerum non ante cognitarum, cum plenus esset speciebus apud se contentis? Nam intus existẽs prohibet extraneum. Item, quomodo saluabitur in homine ratio imaginis, quę secundum tres istas potentias, memoriam, & intellectum, & voluntatem, solet in homine ab orthodoxis patribus assignari, si eadem est memoria cum intellectu? Hęc ferè sunt, quę pro diuersitate solent adduci. In contrariam autem partem, pro identitate reali multum considerationẽ nostrã mouet nobilitas intellectus humani, qui per se videtur sufficiens ex sua natura ad fungendũ officio illo, cuius gratia alij volunt nouã ponere potentiã. Et quia non est absque necessitate vel vtilitate euidenti cõstituẽda pluralitas, si omnia cõmodè saluari possint absque reali distinctione, videbitur id magis ad nobilitatẽ humani intellectus pertinere, quod talis interimatur distinctio. Supra enim ostẽdimus, quãto paucioribus potentiis, & formis res quælibet attingit maiorẽ perfectionem; tanto eã esse nobiliorem. Vnde si eadem omnino & tota perfectio dicatur homini cõuenire per duas has tantum potentias, quã alij per tres illas realiter distinctas dicunt conuenire, aliquo gradu eleuatur dignitas animæ rationalis. Illa vero quæ pro reali diuersitate obiecta sunt, facile videntur congruis rensponsionibus dissolubilia. Facile enim qui pro identitate loqui voluerit, respondebit intellectum ob suã perfectionẽ id habere peculiare (quomodo multa alia habet etiã maiora) vt simul & suscipere in sase & conseruare, in semetipso possit, tametsi id in sensitiuis viribus minimè inueniatur. Itemq; perfectioni adscribi poterit intellectus, quod species priores cõseruare possit, absq; prohibitione aduenientium. Nam intus existens prohibere extraneum, manifestum est de corporeis intelligi. In spiritualibus nanque, mille angeli in loco aliquod existentes, nõ

Opinio contraria.

Solutio obiectionũm prioris opinionis.

impediunt quin & alij mille aduenient in eodem penitus loco. Item quod obiiciunt, intellectum semper fore in actu per illas species, quod semper eas haberet præsentes, respondebunt alij, malo inferri consequio. Nõ enim sufficit speciei inexistentia, nisi fiat intellectus ad ipsam speciem conuersio. Imo & in sensu exteriori cõtingere potest, vt specie in oculo recepta, non fiat actu visio. Ratio quoque imaginis per distinctionẽ rationis satis potest saluari, vt illa rationis diuersitas quæ est inter memoriam & intellectũ absque differẽtia reali, similitudo quædam diuersitatis personalis, quæ est inter patrem & filium absq; distinctione essentiali. Vel assignabitur trinitatis imago in memoria, intelligentia (id est, actu intellectus qui ex memoria gignitur) & amore ad intelligẽtiam ex memoria consequente. Nos vero impræsentiarum nihil super hac re firma asseueratione definire volumus, cõtenti, dubium & dubij causas proposuisse: tametsi ex præcedenti capite nos identitati magis fauere iudicauerimus. Hoc tantum certum relinquimus, intellectiuam memoriam esse ponendam.

CAPVT XVI.

De *multis in quibus, ratione intellectus, homo cætera excellit animalia.*

QVanquam ex prædictis liqueant quædam præcellentiæ, quibus superat homo ratione intellectus cætera animalia, vtpote quod intellectus in seipso possit efficere species omnium rerum intelligibilium, cũ non possit sensus efficere in se species rerũ sensibilium: item quod possit vniuersales & abstractiuas notitias in seipso formare, quod non potest sensus, & alia quædam huiusmodi ad pleniorẽ tamen intellectualis naturæ cognitionem, volumus & alias quasdam hominis excellentias super animalia cætera distinctius aperire, quæ illi ratione intellectus cõueniunt. Inter quas vna non minima est, quod homo non solum voces audire potest, sed vocum etiam significationem percipere, resque significatas per ipsas voces apprehendere. Id enim nulli aliorũ animaliũ præter quam homini datum est. Bruta nanque animalia voces quidẽ audire possunt, vt sunt quidam soni (nimirũ quomodo alios sonos rerum audiunt inanimatarũ) significationes autem

Solus homo vocũ significationes percipit.

vocum non percipiunt, vocum dico ad placitū significātiū. Et licet vocum quarundam videantur significationē percipere, vt gallinæ, cum certa acclamatione ad pastum vocantur: equi, cum in curru certis aurigæ vocibus, vel procedunt vel sistunt gradū: item canes, cum suis nominibus, quibus appellari solent, à suis domesticis vocati accurrunt, nō est quod significationem intellectu percipiant, sed quia per consuetudinem hoc ita est illorum phantasiæ impressum, vt cum talia audiant nomina, debeant vel accurrere, vel fugere, vel procedere, vel figere pedem. Quod autem non percipiāt hæc animalia significationē vocum huiusmodi, manifesto probatur indicio in canibus illis quos sic edoctos videmus, vt nihil accipiant cibi nisi quod nomine certæ personæ, aut certarum personarū eis porrigitur: quemadmodū sub nomine Cęsaris, aut regis, aut alterius alicuius, cuius nomen fuerit ipsorū impressum phantasiæ. Cum enim cibum oblatum (audito nomine Cęsaris, vel regis illius in cuius nomine institutus est) acceptat, ac māducat caniculus, non hoc inde est quod intelligat quid nomine Cæsaris aut regis significetur. Neq; enim quid Cæsar sit, neque quid rex, nouit, neque minus sub trūci aut vespertilionis nomine faceret, si sic esset institutus. Sed propter consuetudinem multis verberibus & multa ieiunij maceratione acquisitā in æstimatiua ita naturaliter monetur ad certas actiones ad quas fuerit edoctus, siue verius assuefactus. Non autem, quod vllam vocis significationē percipiat.

Nota de canibus edoctus.

Et quomodo per assuefactionē fieri potest, vt irrationalia, quædam certas voces pronunciare discant, nequaquā autem vt quod proferunt intelligant, aut significationē vocis percipiant. Ita in proposito licet per assuefactionē instituantur ad certarum vocum auditum hoc vel illud agere, non tamen possunt ita edoceri, vt significationem vocis intelligāt. Hæc ergo est hominis prœcellētia (ratione intellectus) vt solus possit vocū ad placitum significantium percipere significationem. Quod autem de voce dicitur, idem & de scriptura intelligitur. Imò & de nutibus certis ad placitū significantibus, quibus homines mutos, vel linguam ad verbera laxare nolentes videmus sui animi cōceptum exprimere, eisdem loco vocum aut scripturarum, vtentes. Hęc enim omnia scilicet voces, scripturę, nutus, ad placitum significantes, non

nisi illis conueniunt in vsu, quę intellectu sunt prędita. Quæ autem sensum tantum habent, non nisi illarum vocum significationes percipiunt, quæ naturaliter sunt significatiuæ, aut quæ ex cōsuetudine (quæ altera est natura) aliquo modo eis significant.

CAPVT XVII.

Quod solus homo docere vel doceri possit, deque duplici magisterio.

Quomodo homo hominem doceat

EX quo deinde alia consequitur hominis præcellentia, solum videlicet hominem esse capacem disciplinæ, solumque hominē inter omnia animalia posse docere, vel doceri. Omnis enim instructio fieri debet per signa aliqua ad placitum significantia, quæ dum ex parte vna docens proponit discipulo, & ex parte altera discipulus accipit à docente, percipitque significationes signorum quæ ille proponit, ita in intellectu comparat sibi rei quam docetur notitiā. Vnde nisi signa aliqua communia habeant doctor & discipulus, quę ab vtroque intelligantur impossibile est fieri doctrinationem. Veluti si doctorvtatur sermone Indico, aut Arabica scriptura cū docendus nō nisi latine nouerit, impossibile erit sic doceri discipulū. De modo tamen docendi notandum est, quod cum homo vnus alterum docet, ipse docens nō format in discipulo speciem intelligibilem rei quam ipsum docet. Est enim id homini pro hoc statu impossibile, vt per suam actionē imprimat speciem, vel cognitionem in intellectu alterius. Sed docens tantum ministrat discipulo, vnde sibi formet speciem rei quā ipsum docet, & vnde intellectus ipse agens in passibili efformet notitiam eius rei quam docet doctor. Volumus autē hęc intelligi de instructione illa, qua homo hominē docet, nimirū quod homo docens nō possit in intellectu discipuli speciem imprimere, neque notitiam efficere, signisq; egeat quibusdā vt per illorum ministeriū docere possit (velut mediate) discipulum. Deus enim benedictus cum intellectui nostro insederit, per fidē (iuxta Apostoli vocem) in corde nostro inhabitās, vere efficere potest in nobis cognitionem omniū eorum quę ipse nos docere voluerit, absq; vllis signis vocū aut scripturarum. Qua in re patentissima est hominis foris

Deus quomodo docet. Ephe. 3.

verbo vel scripto docentis diuersitas, ab eo qui menti insidens hominem docet interius. Ille enim tantum vt minister laborat, intellectui subministrando vnde sua virtute possit in se formare rerum cognitionem. Hic verò nõ vt minister, sed vt principalis effector, operatur in nobis rerum cognitionẽ. Vnde de eo scriptum est, Qui docet hominem scientiam. Et iterũ, Vnctio eius docebit vos de omnibus. Ac rursus ex ore veritatis, Cum venerit paracletus quem ego mittã vobis, docebit vos omnem veritatem, docebitq; vos omnia quæcunq; dixero vobis. Nam (iuxta beati Gregorij sententiam) mox vt tetigerit mentem spiritus, docet: solumq; tetigisse, docuisse est. Neque vllis eget doctor iste signis, quibus hominem doceat: cum homo hominem docens egeat vocibus, vel scripturis, vel vt minimum nutibus. Cuius quidem diuersitatis causa oritur ex prædictis. Quia enim Deus interius docens, per semetipsum efficit cognitionem veritatis, idcirco signis non eget ministerialibus. Homo vero qui per se nõ potest agere in intellectum alterius, signis eiusmodi indiget, quibus velut ministerialiter in altero cognitionem alicuius veritatis inducat. Propter quod verius dixerimus discipulum seipsum docere, quàm doceri ab alio: veriusq; seipsum efficere scientem quàm ab alio scientẽ fieri cum ipsemet intellectus principalis sit effector talis cognitionis quę in ipso acquiritur, doctor autem exterior tantũ ministerialiter cooperetur. Cuius etiam est euidens indicium, quod illos qui boni sunt ingenij & vi uacis intellectus, ex paucissima magistri instructione videamus multo maiorem cognitionem rei de qua erudiuntur acquirere, quàm alios minus ingenio pollentes ex instructione multo copiosiori. Et in quibusdam frustra omnis impenditur labor, peritq; omnis præceptorum opera, cum videlicet tã est hebes discipulorũ intellectus, vt non possint ex vllis vel vocibus, vel scripturis, ad scientiã in sese gignendã pertingere. Atq; hinc rursum inter docentem extrinsecus hominẽ, & interius docentẽ Deum alia differẽtia est, quod illi docenti obstat discipuli hebetudo: huic autem non obstat. Tã enim facile est sancto Spiritui, rudissimũ maximéq; hebetem hominẽm docere scientiã sua vnctione, suoq; interno magisterio, quàm hominẽ ex naturali dono fœlicissimo ingenio præcellẽtem: id quod in piscatoribus & teloneatijs Apostolis aper-

Psal. 93.

1. *Ioan.* 2.

Ioan. 29. & 14.

Gregorius.

tissime ille omniũ artifex demonstrauit. Videlicet in prõptu diuersitatis ratio est, quia docens homo principalem gignendæ scientiæ operationem, intellectui discipuli cõmittit. propter quod si ille impotens fuerit ad formandũ in se scientiã ex oblatis per instructionem, nihil vltra valet præceptor, impediturq; fructus instructionis eius. Deus autẽ per se intellectui hominis cognitionem imprimit, & in eo efficit per seipsum, cui nihil est difficile, & cui nulla res potest esse impedimento in sua actione, cum sit eius infinita virtus. Per accidẽs tamen peccata dicuntur impedire hanc interiorem hominis à Deo instructionem, quatenus videlicet nõ dignatur Deus in illis operari qui sunt peccati subiecti, iuxta illud Sapientiæ, In maleuolam animam nõ introibit sapientia, neq; habitabit in corpore subdito peccatis. Quapropter, huius internum magisterium super omnia nobis semper optandũ est, desiderandum, & votis omnibus incessanter postulandũ. Et multo melius sibi consulunt, qui per vitã Deo dignã & precem assiduam internum istud sibi studeant comparare magisteriũ, quàm ij qui maria enauigãt & terras perambulant, ad audiendos doctissimos præceptores, vel qui noctes atq; dies legendis libris quantumuis eruditissimorum hominum insistunt. Tametsi enim (Hieronymo teste) aliquid habeat latentis energiæ viua vox, & de præceptoris ore in discipuli aures transfusa fortius sonet quãuis etiam plurima doceant attentum lectorem scripta doctorum hominum (quibus velut mutis quibusdã præceptoribus in subsidium vel defectum viuẽtiũ doctorum vtimur) attamen tam illis viuis, quantũuis eloquẽtissimis, quã his mutis quantũuis doctissimis lõge fortius longe efficacius, longe celerius, longe facilius, longe planius ille doctor internus operatur in intellectu hominis, cui infuderit cognitionẽ omnis veritatis: id quod in pluribus tam veteris quàm noui Testamenti patribus euidentissime monstratum est, atque etiam nunc quotidie ante oculos cernimus, dũ homines non paucos idiotas & simplices, humanę literaturę nihil habẽtes, multo limpidiorem, multo solidiorem, multoq; perfectiorem experimur habere veritatis cognitionem, ex interne vnctionis magisterio, quã habẽt ij qui inter homines doctrina habentur celeberrimi. Merito proinde cũ paruulo illo ouicularum pastore cãntantes dicamus, Bonitatẽ & di-

sapien. 1.

Psal.118. sciplinã & scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi. Et
Psal.24. iterum, Reuela oculos meos, & cõsiderabo mirabilia de lege tua. Dirige me in veritate tua, & doce me. Vias tuas domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.

CAPVT XVIII.

Quod solus homo componat & diuidat, secundum affirmationem & negationem.

ESt præterea homini ex intellectu hæc præcellentia super animalia cætera, quod solus ipse componat ac diuidat secundum affirmationem atq; negationem, vnam videlicet notitiam alteri vniendo per verbalem copulam, cognoscendo hoc aut illud esse tale vel tale, vt hominem esse animal, Animal esse substantiam, Deum esse diligendum, hominem non esse equum. Neque hoc tantum, verumetiam huiusmodi affirmationes plures aut negationes potestatem habet pariter cõiungendi per signa aliqua ad coniungendum apta, varijs modis iuxta quod illæ plures affirmationes, aut negationes natæ sunt ad inuicẽ cõnect atq; cõiũgi, & iuxta quod certã ille voluerit significare. Cognosco enim per intellectũ, quod homo sit animal & non sit lapis: cognosco Deum esse summe bonum & summe honorandum atque diligendũ. Item cognosco quod homo sit mortalis, vel quòd non sit mortalis: cognosco quod si homo sit animal, sit etiam substantia: & quod si non sit substantia, non sit animal. Item cogitando
Nota. plures huiusmodi affirmationes vel negationes, eam quæ cõ sequitur infero ex illis ad quas consequitur, formoque talem apud me cogitationem. Omnis homo disciplinæ capax est, hic homo certe homo est, ergo est & disciplinæ capax. Et hæc omnia quæcunque homo sic cogitat, potest similiter per intellectum apte exprimere, vocibus ad ea significanda apte effictis, item & scriptura correspondente. Neque vllus potest esse in intellectu cogitandi modus, qualiscunque connexionis, vel copulationis, quam non valeat voce ad hoc aptata aut respondente scriptura exprimere. Si enim cogitet indicando, habet verba modi indicatiui, quibus exprimat quod intendit verum aut falsum manifestare: si imperando cogitet, velitque fieri aliquid ab altero, habet modum imperandi: si optãdo cogitet, habet modum optandi. Si de tempore præsenti aliquid facere aut fieri cogitet, habet præsentis

temporis verba, quibus cogitatum exprimat. Si tempus præteritum cogitet, habet verba temporis præteriti: si de futuro futuri. Si de pluribus cogitet, exprimet per numerum pluralem: si de vnico, per numerum singularem. Si in personis verborum, in casibus nominũ, in significationibus aduerbiorũ potestatibus coniunctionum, & in cæteris omnibus vocibus quomodocunque significantibus, est dicendum.

CAPVT XIX.

Quomodo intellectui ratione compositionis & diuisionis ineſt veritas & falsitas.

PEr hanc autem compositionem, intellectui veritas & falsitas, quæ nulli est alteri inferiori potentiæ. Cum enim intellectus format sibi affirmationem vel negationem verã, est in intellectu veritas: cum falsam, falsitas.

Est autem affirmatio vel negatio vera, quando ita in intellectu repræsentatur sicut est in rebus.

Quod tunc quidem est, cum ea secundum affirmationẽ coniunguntur in intellectu, quæ secundum rerum naturam conueniunt, & eo modo quo conueniunt. Vt cum cogito hominẽ esse animal, vera est intellectus hæc affirmatio, quoniã ita cogito vt res habet. Coniungo enim per intellectum ea quæ secundum rei naturam conueniunt. Genus enim iungo speciei, quæ secũdum naturam ad idẽ spectant. Signãter vero adiectum est, & eo modo quo cõueniunt. Cum enim cogito omne animal esse hominẽ, non est in cogitatione ista veritas quoniam ea quæ cõueniunt non eo modo compono quo cõueniunt. Non enim secundum totam suppositorum vniuersitatem genus cum specie conuenit, atque ideo ita species nõ debet componi cum ipso, secundum vniuersalem denotationem, cum signo vniuersali, sed tantum particulari. Vera tamẽ est cogitatio, omnem hominem esse animal: quoniam hic eo modo cõponuntur, quo secundũ rẽ iuncta sunt, genus & species. Genus enim speciei conuenit, secundũ totam vniuersitatem suppositorum siue singularium. Per oppositum facile liquet, quando sit falsitas in intellectu affirmatione.

Est siquidem cum non ita est in re, quomodo in intellectus operatione esse repræsentatur.

Vt cum hominem esse asinum intelligo, falsitas ineſt intellectui, eo quod cogitatio rei non respondet. Non enim ita se res habet. Item cum cogito, omne animal esse hominem, Aliter enim se res habet. Fit autem hoc, cum illa iunguntur per affirmationem in intellectu, quæ secundum rem non conueniunt: vel cum ea quæ conueniunt, non secundum eũ modum iunguntur quo conueniunt, vt est videre in exemplis mox adductis.

Secundum negationem intellectui ineſt veritas, quando negando ab inuicem disiungi, diuidit ac separat, quæ secundũ rem ab inuicem sunt disiuncta, & eo modo quo disiuncta sunt.

Vt cum intelligo hominem non esse asinum, veritas ineſt intellectui: quoniam diuido per intellectum, quæ ab inuicem secundum rem sunt distincta, & eo modo quo sunt diuisa. Item, cum intelligo quædam animalia non esse homines. Sic enim diuido speciem à genere, quomodo secundum rem diuisa est, videlicet secundum aliquam partem suppositorum generis quæ à prædicata specie omnino sunt separata.

Cum vero diuido intellectu quæ secũdum rem non sunt diuisa, aut aliter diuido quàm sint secundum rem diuisa, falsitas ineſt intellectui.

Veluti cum cogitauero hominem non esse substantiam, aut nullum animal esse hominem. Ex prædictis patet quod veritas & falsitas per se non sunt nisi in intellectu. Quòd autem affirmationes vel negationes vocales aut scriptas dicimus veras aut falsas non nisi per accidens est: quoniam videlicet expressiuę sunt vel significatiuę intellectionis verę aut falsę: dicũturque oppositiones vocales aut scriptæ veræ aut falsæ,

tantum extrinsece. Ipsa autẽ affirmatio atque negatio intellectus intrinsece est vera aut falsa. Quòd vero nec vocali propositioni, nec scriptæ realiter insit veritas, vel falsitas, manifeste patet, quoniã potest vocalis ista affirmatiua, quæ affirmo hominem esse asinũ ex falsa fieri vera, absque vlla reali mutatione circa ipsam facta, si tantum mutetur significatio, & impositio alia fiat, qua asin⁹ idẽ iubeatur significare quod animal. Nam talis noua impositio fieri potest, per voluntatẽ hominis, absque vlla mutatione reali vocis vel scripturæ illius, homo est asinus.

CAPVT XX.

Quod bruta non componant vel diuidant, nec ratiocinentur.

QVod autem nonnulli putant æstimatiuam potentiam posse in particularibus aliquam affirmationem vel negationem facere, aut etiam aliquo modo ratiocinari id ex ignorantia venit philosophiæ. Quod etiam vulgo dicimus, canem iudicare hunc cibum esse sibi conuenientem aut disconuenientem, non ita debet intelligi, quasi talẽ in se faciat compositionem, in qua rationẽ appetibilis & cõuenientis componant per verbalem compositionem cum ratione huius cibi. Est enim hoc plane excedens facultatẽ sensus. Sed hoc significare volumus, quod cibũ illum apprehendat sub ratione conuenientis: Neque enim aliud est quod dimus, Canis iudicat hunc cibum conuenientem & prosequẽdum: quam si dicamus, Canis hunc cibum apprehendit secũdum rationem vel æstimationem conuenientis, vel prosequẽdi. Ita cum in biuio canem quidam iudicant ratiocinari, ex mera est ignorantia Philosophiæ, quod naturã sensus ignorent. Non enim ratiocinatur canis, quasi plures affirmationes ad inuicem componat per coniunctionem inferentẽ, hoc modo. Hic odor est relictus a lepore, transiit ergo hac læpus qui odorem reliquit. Item, hic vestigium est impressum leporis, ergo hac lepus fugit. Est enim id ex istimare, plane ridiculum. Dicitur tamen interdum canis id argumentari vel colligere ex odore seu vestigio, locutione nimis impropria: quatenus videlicet, odoris vel vestigij imaginatio phantasiam mouet ad prosequendum leporem, & quia ad-

modum hominis ratiocinãtis se habere videtur. Relinquitur ergo, in solo homine esse compositionem & diuisionẽ secũdum affirmationẽ vel negationem, item secundũ quancũque coniunctionalem vnionẽ. Et quãdoque quidẽ cõponit homo ac diuidit de iis quæ tantum ad speculationẽ faciũt, non autem ad actionẽ: & secũdũ hoc dicitur intellectus speculatiuus, vt cum intelligo hominem esse animal, scientiã esse habitum. Dum esse primum ens, & similia. Quandoque vero intellectus componit & diuidit in his quæ ad actionem pertinent, & dicitur intellectus practicus, à Græco vocabulo praxis, quod significat actionem vel operationem. Vt cũ intelligo Deum esse super omnia diligendum, proximus faciendũ quod nobis velimus fieri, iustitiam in omnibus esse tenedam vel singulariter, nunc dandã esse elemosynã, hunc hominẽ debere consilio iuuari, hoc opus nunc faciẽdum esse, &c.

Intellectus practicus & speculatiuus.

CAPVT XXI.

Solum hominem per intellectum cognoscere propriam excellentiam, et quomodo intellectus seipsum intelligat.

HAbet præterea ratione intellectus, homo, vt omnem suam excellentiam quæ in ipso ab optimo creatore posita est, suamque nobilitatem & dignitatem in qua magnifice admodum exaltatus est, valeat agnoscere, & pro dignitate æstimare atque ponderare. In quo manifeste ab aliis rebus naturalibus omnibus distinguitur. Cœlũ enim quãquã sit admodum nobile, habeatque incorruptibilitatem & impassibilitatem & summã actiuitatem, nõ tamẽ horũ quicquã cognoscit se habere. Item Sol quanquam ita est formosus in stola sua, ita glorioſus in splẽdore suo, ita efficacissimus in virtute sua, nihil tamen horũ se habere cognoscit. Sed neque bruta animalia, perfectionem viriũ in ipsis positarum intelligunt. Et quia solus homo potest cognoscere bona quæ habet, soli etiam homini cõuenit gaudere & lætari pro iis quæ habet: cæterarũ autẽ creaturarũ naturalium omnino nulla de sua pfectione & nobilitate potest lętari vel gaudere. Gaudiũ enim & lætitia cõsurgit cũ quis cognoscit se habere aliquod bonũ. Si autem habeat & nõ cognoscat tamen, nequaquã inde gaudebit. vnde cũ nulla alia res naturalis præter hominẽ sua bona cognoscat, gaudereinde nõ poterit, nisi homo solus quantũuis magna sint bona, quantũlibet admirandæ perfe-

Solus homo de suo bono gaudet.

ctiones, quæ in alijs inueniuntur. Quod enim gaudium esse potest Soli (qui tamen est pulcherrima, formosissima, virtuteq; efficacissima creatura) de omni sua pulchritudine, virtute, & præcellentia super astra cætera, cũ nihil horũ ipse cognoscat? Quale gaudium est herbis & plantis, quod secundũ suã naturam digniores sunt & altioris gradus, quàm lapides & cætera minoralia? Quale gaudium est bestijs irrationalibus, quod præcellant nobilitate sensus arbores atq; plantas? Non enim suam excellentiam cognoscunt. Atq; idcirco omnes creaturę quasi in tenebris sunt. Quale vero gaudiũ habere possunt, quę in tenebris sunt, & lumen cæli non habent Solus homo in lumine est, per lumen naturale intellectus omnia discernens, omnia diiudicãs, suam excellentiã super omnia alia per intellectũ cognoscẽs. Neq; omnino aliquid est in homine qđ nõ ipse per intellectũ possit cognoscere, adeo vt etiam se ipsum intelligat, ac super se ipsum reflectatur & super actũ propriũ: quod nulla alia inferior potentia facere potest. Visus enim nõ potest se videre, neq; sensus cõmunis, neque æstimatiua, neq; phantasia se ipsam cogitare potest. Item visus nõ cognoscit se: videre, neq; sensus cõmunis se sentire neque phantasia potest se phantasiari. Vnde nullum brutum potest cognoscere se phãtasiari aut æstimare, quoniam deest illi potentia superior per quã id posset. Solus est intellectus, qui seipsum potest cognoscere & cognoscit, quiq; solus super suũ actũ reflectitur, dũ intelligit se intelligere. Imò amplius adhuc, intelligit intellectus intelligere se, qđ intelligat se intelligere. Denique, quotienscunque reflectat intellectum super suum actum, poterit semper à seipso apprehẽdi. Ipse nanque intellectus agẽs, cum sit potens omnia efficere (vt supra diximus) id est, omniũ rerum speciem in intellectu possibili producere sua virtute, etiã substantiarũ immaterialium, etiã entis primi & fœliciſsimi, quod est Deus, potest & suiipsius, speciem in intellectu possibili efformare, vt sic & ipse cognoscatur secundũ propriam suã speciem. Et cum (vt supra diximus) ens vel verũ sit obiectum intellectus, quicquid sub hoc obiecto cõprehẽditur illius potest in intellectu species efformari: quemadmodũ omnis eius quod sub colore (qui est obiectũ visus) comprehenditur, potest in oculo species produci: sicq; necesse est omne quod sub ente comprehenditur, pos-

se ab intellectu apprehendi atque intelligi. Ac proinde ipse met intellectus, cum res sit aliqua, potest ab intellectu intelligi, id est à semetipso. Ipse quoq; actus eius simili ratione, ab ipso est intelligibilis. Omnis quoque bonitas, & perfectio rerum (cum sit ens quoddã) sub intellectus cadit iudicio, & ita cum omnia quæ sub ente cõprehenduntur cognoscat, potest ipse diiudicare quid excellentius, conferendo bonitates illas & perfectiones adinuicem, quemadmodũ visus inter colores discernit, & sensus cõmunis inter omnia exteriora sensibilia. Vbi dum nihil inuenit homo seipso præcellétius, nullam perfectionem tãtam in vlla creatura quàm in seipso, ita cognoscit homo seipsum (intellectus ratione) cęteris animãtibus præstare, atque cæteras omnes res naturales longo interuallo post sese relinquere.

CAPVT XXII.

Quomodo intellectus ex semetipso deum potest cognoscere.

NOn solum autem intellectus potest quæ sunt inferiora se creata cognoscere, verumetiam quæ supra se sunt angelicas substantias, atque ipsis etiam præsidentem deum (vt supra declarauimus) per duos modos, scilicet per abnegationem, & per excellentiam. Quibus tamen nunc etiam tertium adiicimus modum, dicentes, quòd intellectus agens per semetipsum & ex semetipso potest sibi formare aliquam speciem per quam deum intelligat. Cum enim intellectus se cognoscens discernit suam perfectionem (quæ in hoc consistit quod omnia quodammodo potest in se efficere & omnibus assimilari, sicque omnia potest cognoscere) à sua imperfectione (quæ in hoc est, quod sit in potentia omnia, nõ autẽ omnia actu) ac deinde similitudinem aliquam in semetipso efformare cœperit superioris alicuius intellectus, qui actu semper est omnia, omniũ in se rationes & similitudines semper actu habẽs, & ab æterno sic habens, vt non insit in potentia, neque esse possit in potentia ad alicuius speciei de nouo susceptionẽ, ficq; ab ęterno semper actu intelligentis omnia, quæcunq; intelligibilia sunt, vt non possit aliquãdo intelectionem alicuius rei acquirere vel perdere, neque crescere neque minui in intelligendo: talem profecto similitudinem talis intellectus admirabilis, in seipso efformans noster intellectus agens, proculdubio speciem habet & similitudinem

Vide quomodo intellectus ex seipso potest deũ cognoscere.

in qua intelligat deum. Nimirum eiusmodi intellectus perfectissimus & nobilissimus est deus, qui purus actus est, & nõ in eo quicquam potentiæ actuq; omnem in se habet similitudinem, & ab æterno habuit: neq; quicquam non dico erit, nõ dico fuit, non dico est, sed esse potest, cuius non ipse ab ęterno præsentem habeat cognitionem, ita exactã, ita distinctã, vt meus modo intellectus illud intelligit cuius actu specie tãgitur. Propter quod etiam omnia nuda sunt, & aperta oculis eius, iuxta Apostoli sancti testimonium: neq; quicquã potest esse illi perfectissimo intellectui occultũ, neque præteritum potest obliuisci, neq; futura potest non cognoscere, tanquam si oculum aliquem singamus esse qui in se congenitas habeat omnium rerum species & similitudines multo perfectius q̃ possint ab obiecto in ipsum imprimi, & has species à seipso sic habeat, vt nõ egeat obiectorũ præsentia corporali, hic oculus indubie omnia cerneret, etiã absentia: imo etiã res pręteritas & futuras per species in ipso seruatas uideret, insuper etiam abditissima contueretur. Ita sane ex semet ipso intellectus agẽs formare potest speciem & cognitionem summi dei: ita vestigiũ potest aliquo modo in semetipso primarium fontem agnoscere, ita scintillula lucem immensam aliquatenus contemplari. *Hebr. 4.*

CAPVT XXIII.

Quomodo ratione intellectus homo de perfectione omnium aliarum creaturarum latari potest.

HAbet quoque per intellectum homo, vt non solum (quemadmodum supra declaratum est) possit de ipso propria perfectione, & de ijs quæ sunt in bonis gaudere, verumetiam de perfectione & bonitate omnium aliarum rerum. Gaudium enim non solum consurgit ex hoc quod in nobis ipsis bonum cernimus, sed etiam cum aliquam perfectionem in alio aduertimus, maxime si ad nos spectet ille in quo cernimus, si nobis sit aliqua ratione coniunctus: videlicet amicitia, familiaritate, consanguinitate, affinitate, ordine, gradu, vel alio quolibet consimili modo. Gaudemus enim in amicorum, fratrum, vicinorum, consanguineorum ciuiumque prosperitatibus. Cum ergo omnis creatura corporalis non minimo vinculo sit homini coniuncta, neq; vna ratione ad humanam speciem attineat, merito de-

bet homo in omni perfectione quam cognoscit in creatura, oblectari. Est enim omnis corporalis creatura, homini multis modis coniunctissima. Primum quidem, ratione eiusdem opificis, qui ipsam & hominem idem ipse cõdidit & creauit: quoniam ab authore Deo, tanquam ab eodem patre, cuncta procedunt. Qua consideratione, sancti dei homines etiam creaturas vilissimas dignabantur fratres atque sorores appellare: primarij videlicet fontis vnde affluxerant, spectãtes originem. Inferiores quoque istę creaturæ viuentes, ex eadem terra (tanquam ex eadem communi omnium matre) procedunt. Quod si consideremus cætera omnia corporalia propter nos esse facta, & propter nostrum seruitium, nostrámq; vtilitatem, & omnem illarum perfectionẽ attendamus ad nostrum commodum, nostrumque ministerium esse ab optimo & nimium nobis benefico Deo ordinatam: quomodo non maximè in illorum perfectionibus gaudere debemus? Quis enim paterfamilias nõ gaudet de suę familię bono? Quis dominus non lętatur in seruorũ prosperitate? Est autem homo velut paterfamilias & dominus in magna domo mundi huius quam ædificauit illi Deus, vt ipse ex omnibus seruitium capiat, iucunditatẽ, & vtilitatem tam corporis quàm spiritus.

Quod enim Sol tantũ habet decorem tam glorioſum ornatum, mihi habet nõ sibi. Mihi habet, vt me sua claritate lætificet, vt mihi lumen gratissimum per dies singulos adducat. Mihi habet, vt terram faciat germinare ac de se producere abũdanter omnia, quibus ego ad corporis egeo sustentationẽ. Denique mihi habent omnem suam gloriam, vt me moneat pulchritudinis creatoris mei: qui cum meo aspectui sese mõstrat tam mirabiliter pulchrum & fortem, vtique hoc me docet luce clarius, habet se creatorem incõparabiliter pulchtiorem, & magis validum, ac robustissimũ, quod etiam arbores fructus producunt, nõ sibi sed mihi producunt: herbæ odoriferę odorem fundunt nõ sibi sed mihi, flores pulcherrimos producunt, nõ sibi sed mihi. Et (vt insignis ille poeta ait) Sic vos non vobis vellera fertis oues. Sic vos non vobis mellificatis apes. Sic vos nõ vobis, fertis aratra boues. Sic vos non vobis nidificatis aues. Scilicet ego ille sum, cui hæc omnia ex dei præcepto inseruiunt: vt mihi in omnibus (tam quæ ad necessitatem, quàm quæ ad castam voluptatem) abunde sit

prospectum. Vnde propheta, non pauisti solum, inquit, sed delectasti me domine in factura tua. Hæc ergo omnia cum per intellectum homo cognoscat propter se ita in suis perfectionibus disposita, vnunquodque in genere suo: iustũ est, vt diligenter naturales eorum perfectiones consideret, inque eis seipsum oblectet, ad gloriam eius qui omnia mirabilia condidit,

CAPVT XXIIII.

Quod ratione intellectus solus homo possit & debeat agere gratias deo, pro se & omnibus creaturis.

Solus homo potest agere gratias.

CONsequitur ex prædictis, quod solus homo ratione intellectus deo potest & debet agere gratias, & non vlla creatura alia corporalis: quodque non pro se solo & bonis quæ in seipso sunt verumetiam pro omnibus bonis quæ in aliis creaturis inueniuntur, possit homo & debeat agere gratias omnium creatori omnipotenti deo. Gratiarum actio namque requirit primo susceptionem beneficij, deinde beneficii accepti cognitionem, eius quoque cognitionẽ qui beneficium præstat, ac postremo gratitudinis declarationem pro accepto & agnito benefico. Beneficii susceptio cõmunis est homini cum omni creatura. Omnis nanque creatura particeps est beneficiorum creatoris sui. Cætera vero, nõ nisi solius hominis sunt. Solus enim homo beneficia cognoscit (vt declarauimus) tam ea quæ in ipso accipit, quam quæ in alijs creaturis. Solus etiã homo per intellectum cognoscit bona ista, quæ in se habet, atque etiam quæ in aliis creaturis conspicit, non ab ipso esse: neque creaturas a seipsis habere, sed ab vno omnium benefactore deo. Denique solus homo potest pro susceptо beneficio bonum & gratum animum declarare, & signis congruis ad benefactoris gloriam id protestari. Potest enim homo voce testari & eloqui magnalia Dei sui, eiusque beneficia (quæ tam ipse quam aliæ creaturæ accipiunt) ad dei gloriam prædicare. Potest etiam alia quædam exteriora opera exhibere, ad hoc ipsum demonstrandũ. videlicet cantare, laudare, sacrificia offerre, vota facere, in instrumentis musicis personare: quæ omnia ad gratiarum actionem spectant & solo conueniunt homini. Potest ergo solus homo gratias agere. Et cum possit, vtique & debet. Nã id ratio naturalis dictat, etiam homini benefico, pro mi-

nimo aliquo beneficiolo, vt minimũ gratias agere, vt ne dicam gratiam referre: quanto magis illi cuius beneficium est quicquid sumus? Et cũ in omnibus creaturis homõ accipiat beneficiũ (eo quod propter ipsum facta sunt omnia) vtique pro omnibus ipse debet gratias agere deo. Cum enim seruo aliquid impẽditur beneficij in vtilitaté domini, indubiè dominus magis quam seruus tenetur gratias agere benefacièti. Et cum puero adhuc infanti & ratione carenti impẽditur beneficium, vtique parentũ est benefacièti gratias agere pueri loco per ætatem fari adhuc & gratias dicere impotentis.

Debet ergo homo gratias agere deo nõ modo pro se, verumetiam pro omni creatura, maxime corporali duplici cõsideratione: tum quia solus potest, & præ omnibus potest: tum quia in omnibus ipse accepit beneficium. Vnde gratias agere debet homo deo suo, quod soli tantũ dederit claritaté, tantam virtutis efficaciam & nobilitaté. Item quod terræ & aquis talem dederit fœcunditatem, quod aeré repleuerit volatilibus, quòd aues ita plurimũ ornatu decorauerit, quod arbores, ac herbas ita fructiferas odoriferasq; fecerit, & ita in singulis. Illæ enim creaturæ excusabiles sunt, si gratias nõ agant, tum quia minime id possunt, tũ quia quicquid acceperunt, potius homo in ipsis accepit, quã ipsemet in seipsis, vel pro seipsis, quemadmodum id quod seruo impenditur in vtilitatem domini, domino potius quã seruo impenditur. Hinc cõsidera o homo, quãta tibi incũbit seruiendi domino deo tuo necessitas. Attende, quanta tenearis erga deũ obligatione: qui nõ pro vno teipso, verumetiam pro omnibus creaturis deo tuo seruire, ad gratiarum actionem obligaris. Vide quanto vinculo te sibi colligauit, dum te super omnia constituit. Magnũ (fateor) te creauit, & sublimi admodum loco posuit altissimus conditor tuus, dum te paulominus ab angelis minorem fecit, gloria & honore coronauit super omnẽ corporalem creaturam, constituitque super cuncta manuũ suarum opera, omnia subiiciẽs sub pedibus tuis, nõ solum oues & boues, pecora cãpi, volucres cœli, & pisces maris qui perãbulant semitas maris, verumetiam solem lunam & stellas nobilissima illa perpetuę incorruptionis corpora, quę dominus deus tuus creauit in ministerium cunctis gentibus. Ita quidem magnum & excelsum nimis altissimus te conditor tuus

Psal. 8.

v. 4.

constituit, pro omnibus. Verũ quãto tu altior es Dei speciali benficio & supereminens omnibus, tãto magis te agnosce deo tuo obnoxiũ, qui sic te magnificauit & eleuauit sup omnia. Agnosce (quod verum est) nullam creaturam aliã æque deo esse obnoxiã, æque forti vinculo Deo esse colligatã, agnoscensque obligationem, modis omnibus satage iustum iuste persoluere debitum, vt quibus possis modis Deo tuo studeas vel gratias agere, quandoquidem referẽdi neque necessitas est neque possibilitas. Bonorum enim nostrorũ ille nõ indiget, in quo omnes diuitiarum thesauri sunt absconditi. Grati tamen animi declarationem, & protestationẽ per signa cõgrua vtique à nobis exposcit, gratiarum seuere exigit actionem: non vtique propter suam voluntatem, sed ob nostram vtilitatem, vt cum pro acceptis beneficiis temporalibus nos sibi gratos comprobauerit, maioribus aliquando afficiat in conspectu vultus sui cuius in uobis impressit similitudinem Deus ipse trinus & vnus, in secula benedictus, Amen.

Finit liber vndecimus.

PSALMVS PATRI SPIRITVVM Vniuersæ carnis, in iubilatione mentis, & alacritate animi.

P

Aratam cor meum Deus, & iterum paratum cor meum: paratum corpus meum, paratæ vires omnes ad laudem tuam, quæcunque siue corpus, siue animam inhabitant.

Exurgam diluculo, & psallam magno nomini tuo, mediis noctibus consurgam de lectulo quietis meæ, vt personem cantica ante thorũ amœnissimũ tui amabilis thalami.

Date mihi tympana, lyram, cytharam, nablum, & cymbala bene tinnientia: edent in illis articuli manum mearum melodiam bene resonantem in auribus domini sabaoth.

Tubas adferte huc mihi: & glangam in eis: os meum late aperiam attrahamque spiritum flatus, vt buccis valeam cõcrepare plenissimis.

Non cessabit oblectari in deo meo animus quem creauit, quem possedit ab initio: in quem expressit admirabilẽ similitudinem, imaginemque nobilitatis suæ.

Videbo ego cœlos opera manuum ac digitorum tuorum quæ fundasti in fortitudine tua: insuper solem lunã & ste-

las cuncta limpidissima.

Contemplans video totum iucundissimum decorem potentissimum vigorem, & ordinem verè admirabilem nō sufficio pro dignitate contemplari, vel totis conatibus, quæ tu nullo perfeciſti negotio.

At verò vbi ad memetipsum in intima reflecto oculos meos, cessant videri mirabilia, quæcunque foris conspicio.

Domine domine, domine quid est homo, quia sic magnificasti eum? homo quid est, vt tanti illum feceris?

Verè paululum est ac modicum quo minuisti genus nostrum ab angelicis principibus tuis omnis corporalis creaturæ regem & dominum (dato in manibus eius sceptro potentiæ, & in capite corona gloriæ) cōstituisti hominem.

Propter hunc enim creasti omnia, & cuncta subiecisti pedibus eius, præcellentissima cœlestium corporum creasti in ministerium cunctis gentibus.

Sol accede huc nobis magna moles, & lata substantia: vide an possis in tota tua virtute atque pulchritudine nobiscū contendere.

Esto sis gloriosus in fortitudine tua, formosus sis in fulgidissima stola tua: comas tui splendoris de tanta spargens altitudine in ima terræ viscera.

Sed nunquid vides ipse, aut intelligis decorem pulchritudinis tuæ? nunquid cognoscis perfectionem virtutis tuę qua antecellis subiecta omnia?

Dic si nosti illum qui cuncta in te posuit quæ habet mirabilia: responde muta substantia si quicquā horum intelligis.

Magne Deus non illi contuliſti splendidissimo coropori, quod mihi donasti stercoru lentæ & fæculentæ creaturulæ: vere multa mihi & magna nimis contuliſti in re vnica.

Etiam si in millecuplum augmentetur tibi Solis rationalis pulchritudo decoris, & fortitudo roboris tui quātumuis pauper & humilis ego semper immenso te sperabo interuallo, hoc solum tenens quod nunc possideo,

Intellectus & ratione tu donasti dominator genus nostrū a te processit nobis hæc tanta præcellentia.

Vtinam pro dignitate gratiarum actiones tibi valeamus persoluere, nimis magna enim sunt quæ nos accepimus, & nimis pauca, imo nimis nulla sunt quę valeamus reddere.

Tu nos scientiarum domine iustas tibi fac reddere gratiarum actiones, doce nos doctor optime in spiritu & veritate famulatum tibi exhibere decentem.

Tu das velle, tu das perficere pro tuo beneplacito: magne Deus semper nos tantis fac gratos esse beneficijs.

Gloria patri, & filio, & spiritui sancto:

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

Finit Psalmus.

LIBER DVODECIMVS

CONSYDERATIONIS PHYSICÆ, de appetitu sensitiuo, & voluntatis præcellentia.

PRÆFATIO.

OMnium creator perfectissimus Deus, cuius (iuxta prophetæ confessionem) perfecta sunt opera, cum animalium genus sensitiuę virtutis nobilitate cęteris omnibus insensibilibus creaturis vellet præferre, voluit & appetitiuam virtutem adiungere, qua valerent per sensitiuā apprehensa amare vel odire, prosequi aut fugere, itémque de præsentibus gaudere vel tristari. Quorsum enim conduceret res obiectas apprehensione mirabili percipere, si non talis esset adiuncta virtus qua erga res perceptas possent iuxta rationem obiecti apprehensi moueri & affici? At eundem planè modum, humanum genus cum benignissimus conditor voluisset super naturam brutorum animalium constituere: vt non solum crassa ista & corporalia sensibus subiecta, verumetiam spiritualia & insensibilia posset apprehensione intellectiua cognoscere, voluit itē & huic nobiliori potentiæ cognoscitiuæ correspondentem nobilitate adiicere vim appetitiuam, id est intellectui voluntatem: per quam ad ea posset inclinari amāda, odienda, prosequenda & fugienda, ad quæ nequaquam sufficeret appetitus brutalis ille sensitiuus nimium ad spiritualia ignobilis. Quomodo autem in homine nō solus est intellectus, sed est

simul cum sensu & super sensum intellectus, sic & hic appetitus superior in eo non solus nō est, sed cum inferiore simul existit. Duorum autem horum appetituum consideratio, maximā homini ad cognitionem suiipsius adfert vtilitatem. In his ergo duabus appetitiuis potentijs finē accipiat hęc physica consideratio. Post eam nanq; absolutam non erit in rebus naturalibus quo longius proficiscamur, nisi naturam penitus relinquentes in supernaturalia toti transeamus: quod in præsentiarum nostro instituto minime conuenit, qui nō nisi considerationem rerum naturalium, earumque ad creatorem reductionem, præsenti determinatione intendimus.

CAPVT I.

Ostenditur, quid sit in homine voluntas: per comparationem ad appetitum sensitiuum.

EST ergo in homine altera quædam potentia ab intellectu distincta, solis etiam hominibus peculiariter conueniés, potentia admodum nobilis & excedens vnde plurima singularia habet homo, quæ cum nulla altera specie habet communia. Ad perfectam ergo hominis considerationem, necesse erit post intellectum hanc etiam virtutem diligenter considerare, & quomodo in brutis inueniri non possit, quoue indicio peculiariter speciei humanæ cognoscatur inesse, & quo modo ad appetitum sensitiuum se habeat, & quæ homini donet eximia distincte determinare. Vocatur autem voluntas nomine compositio, potentia volitiua, siue appetitus intellectiuus. Est enim potentia talis per quam homo appetit, vult & non vult, ea quæ secundum intellectum iudicat bona vel mala. Id autem in se homo quilibet experitur, talem aliquam vim sibi inesse, per quam possit ea quæ per intellectus iudicium vt bona vel mala cognoscit aut velle aut nolle: Quēadmodum autem rectè non potest cognosci natura intellectiuæ potentiæ, nisi per comparationem ad sensum secundum similitudinem & dissimilitudinem, videlicet nisi ostendatur in quo sensus cum intellectu conueniat, & in quibus differant ab inuicem: ita non potest exacte cognosci natura potentię volitiuæ nisi secundum comparationem ad appetitū sensitiuum. Sicut enim in homine duplex est potentia apprehensiua rerum extra existentium, ita est & duplex vis appetitiua, altera videlicet quæ sensui cōiuncta est, & ad sensus iudicium mouetur, ea quę sensus iudicat conuenientia amando & prosequendo, quę discōuenientia odiendo & fugiendo. Atq; hæc vocatur appetitus sensitiuus. Et conuenit hac in parte homo cum cæteris animalibus brutis, quemadmodum & in sensu. Altera vero superior est coniuncta intellectui, & corpori nullo modo (sicut neq; intellectus) immersa, per quā homo id quod intellectus iudicat bonum, amat & prosequitur: quod malum, odit & fugit. Et hæc quia sic intellectui cōiungitur, vocatur appetitus intellectiuus. Cognoscitur autem huius duplicis appetitus differentia ad eum modum quo deprehenditur differentia sensus & intellectus, videlicet quoniam experimur hominem ea posse velle aut nolle, ea amare vel odire quę nequaquam sensus apprehendit, & quæ ad iudicium sensus nullo modo videntur sic amari vel odio haberi. Quemadmodum (exempli gratia) virtutes amamus, & probitatē amatam prosequimur: vitia autem odimus, & fugimus atque auersamur, quæ tamen manifestissimum est sensu non apprehendi, ac proinde sensitiuo appetitu sic non appeti: cum ille tantum prosequatur quæ sensus iudicat cōuenientia. Oportet ergo esse in homine alium quendam superiorem appetitum, per quem homo ad illa quę sensus iudicium excedunt, & quę sensus nec conuenientia nec discōuenientia iudicare potest, inclinetur & propellatur, ea vel prosequendo vel fugiendo. Ad cuius intellectiui appetitus meliorē cognitionem obtinendam, pauca quædam de sensitiuo appetitu volumus præmittere, quoniam sine cognitione sensitiui appetitus plene intellectiuus cognosci non potest.

CAPVT II.

De appetitu sensitiuo quomodo mouetur ab obiecto secundum phantasiam proposito.

INuenitur autem appetitus sensitiuus generaliter in omnibus animantibus, neque potest non esse, vbicunque fuerit sensus, vel vnicus. Nam & imperfectissima animalia, etiam quę (iuxta probabiliorem sententiam) solum tactum possident, appetitu isto non carent. Inest nanq; eis appetitus quidam conuenientis nutrimenti, quem etiam indicant, dum se huius gratia dilatant vel constringunt. Omnis

enim motus animalis quantumcunq; imperfectus, indicium est inexistentis appetitus sensitiui. Ad hoc enim se mouent, vt quod appetunt consequantur. Vnde Aristoteles, de animalibus imperfectis (vt vermibus & muscis) ait, ea habere vagam imaginationem & appetitum, id est, phantasiam vagam siue imperfectam & consimilem appetitum. Perfectam tamé phantasiam negat illis adesse, atque ita & appetitum perfectum consequitur ab eis abnegandum. Ex quo patet quod æstimatiuæ siue phantasiæ adiuncta est vis appetitiua, eo quod hæc ita se inuicem consequantur secundum naturam. Non enim statim vbi sensus exterior percepetit aliquod sensibile, mouetur appetitus ad prosequendum vel fugiendum, neque item mox vbi sensus communis apprehenderit, sed neque cum imaginatiua nuda illud imaginata fuerit. Verum cum ad æstimatiuam vsque fuerit peruentum, vt per eam iudicetur tale obiectum amicum vel inimicum, conueniens vel disconueniens, tum demum animal ipsum per appetitum mouetur ad concupiscendum vel odiendum, ad prosequendum vel fugiendum, ad lætandum vel contristádum. Nam id manifestè monstrat experientia. Cum enim appetitus moueatur secundum rationem conuenientiæ vel disconuenientiæ, nullus autem exterior sensus conuenientiam vel disconuenientiam apprehendat, neque vllus interior præter æstimatiuam (quæ intentiones conuenientiæ vel disconuenientiæ elicit ex rebus sensatis) consequitur ad solam æstimatiuæ operationem ipsiusq; iudicium, appetitum moueri. Et notandum, quod appetitus iste mouet & mouetur. Mouet enim ipsum animal, & immediate vim motiuam quæ est in membris, ad quærendum id quod prosequitur. Mouetur vero ipse à phantasia, quatenus ipsum obiectum præsentat & offert appetitui, sub ea ratione sub qua appetitus moueri potest ad odium vel ad amorem, ad prosecutionem vel ad fugam. Obiectum enim præsentatum & oblatum virtuti appetitiuæ sub ratione conuenientiæ, mouet ad sui prosecutionem: sub ratione autem disconuenientiæ, mouet ad fugá: Vt cum canis videt cibum, eumq; sibi conuenientem iudicat mouetur ad prosequendum ipsius appetitus, ab æstimatiua: quatenus videlicet ipsa obiectum illud præsentat sub ratione conuenientis, & cum baculũ videt eleuatum ad verbera, mouetur ad fugiendum appetitus, ab obiecto sub ratione disconuenientis proposito, per æstimatiuam. Mouetur autem appetitus ab obiecto sic sub ratione cõueniẽtis aut discõuenientis præsentato naturaliter, absque vlla libertate vel deliberatione. Canis enim cibum conuenientem vidẽs, eumque æstimans sibi conuenientem, naturaliter amat atque prosequitur & accurrit ad illum, & videns baculum eleuatũ ad verbera, & æstimando sibi hoc disconueniens, & inde male sibi futurũ, ita naturaliter fugã petit, qua malũ euadat, quod sibi æstimat imminere. Cum verò plura simul fuerit obiecta proposita, quod fortius mouet secundum suam rationem, id naturaliter prævalet & mouet appetitum. Vt cum duplex canibus est propositus, ille qui magis cõueniẽs ab æstimatiua iudicatur, appetitum naturaliter mouet. Ita cum ex vna parte delectabile proponitur, & ex altera contristabile (vt ex hac parte cibus conueniens cani, & simul baculus eleuatus ad verbera) solet plerunque verberum terror prævalere, vt cibo relicto fugiat. Est enim hęc appetitus natura, vt magis vehementer magisque cito ad fugiendum à terribilibus moueatur, quam a delectabilibus ad prosequendum. Facilius enim & vehementius contristabilia, siue terribilia operantur in appetitu sensitiuo fugam, quam delectabilia siue concupiscibilia, efficiant in ipso prosecutionem. Vnde ad oculum videmus moueri homines multo ampli⁹ timore mortis quã amore vitæ & multo vehemẽtius dolore de infirmitate, quã gaudere de sanitate.

Aristo. 3. li. de anima. cap. 8.

Appetitus mouet & mouetur.

Nota

CAPVT III.

Quomodo appetitus sensitiuus semper naturaliter moueatur absque libertate.

Contingit vero interdum duobus appetitui propositis obiectis, ambobus delectabilibus, ad neutrũ statim moueri, sed interdum ad tempus gradum sistere, eo quod ex vtraque parte æque fortis sit motio & operatio obiecti, & æstimatiua ad vtramque partem æque sit propensa, neque plus ad hoc quam ad illud ferat suum iudicium. Atque ita nunc accidit, vt quasi deliberare videatur irrationale animal: cum tamen reuera nulla in eo sit deliberatio, quę est solius rationis: fitque vt postquam tandem alterum acceptauerit, quasi eligere videatur, cũ tamen electio

nequaquam cõpetat brutis, ſitque ſolius hominis. Vnde hoc ſciendum eſt, quod canis ille ſic quaſi dubitabundus conſiſtens, dum & huc & illuc vocatur nequaquam cõſulit, neque vllo deliberat: ſed habet ſe appetitus ille ad modum linguæ ſiue exãminis in libra, ſiue bilance, cum lanx vtraque põdus penitus æquale in ſe habuerit. Quemadmodum enim iſta neque in hanc partem deorſum trahitur, cum tamen ſit pondus ſufficiens ad eam pertrahendam neque in partem alteram, cũ ſit & ibi pondus ſufficiens, ſed (propter ponderis æqualitatẽ vtrinque æquali fortitudine trahentem) cõſiſtit in medio: ſic & appetitus irrationalis animalis, exiſtente ab vtraque parte pondere æquali & obiecto æque ad mouẽdum valido, fixus conſiſtit, & neque huc neque illuc mouetur, cum vtroque tamẽ trahatur. Fitque illa immobilitas penitus naturaliter, nec vllius eſt deliberationis indicium. Alioqui, cur nõ & linguã in trutina dixeris deliberare, cũ ita hæret in medio? Et cũ tandem contingit in alteram partem rapi animalis appetitũ, nequaquam electionis eſt iuditium, nõ amplius quã lingua illa modico flatu adiuta in vnã partem tandẽ vergẽs, dicidebet elegiſſe hanc partem ad quam flectitur. Quod ſi interroges, qui ergo fieri poteſt, vt tandem ad vnam partem moueatur appetitus ſi non per electionem id fiat, & ex libertate eligendi? Dicimus quod ad eum modum animalis appetitus tandem in alteram partem trahitur, quomodo lingua illa modico vento adiuta in partem alteram mouetur, etiam ſi pondus maneat vt ante. Si enim contigerit æſtimatiuam aliquã to magis vni obiecto & fixius intendere quam alteri (etiã ſi non æſtimet illud magis conueniens (ſolum ex hoc quod fixius intendat iudicio vnius cõueniẽs) ſolum ex hoc quod fixius intendat iudicio vnius cõuenientis, quam alterius, & ad illud fortius ſe conuertat, ipſe appetitus rapietur, aduenientе impetuoſo flatu in illam partem in quam æſtimatiuam cõtigerit fixus intendere. Ac tunc quidem ita ſe habebit illa deſixio fortior æſtimatiuæ in alterum obiectum, ad faciendum vnius illius proſecutionẽ, quomodo ſe habet aduenies in vnam lancem flatus venti, ad mouendum linguam in partem alteram, vnde nõ videtur aliqua ratione veriſimile, quod vulgo per iocum ſolet iactari de aſino quem vocant Buridani, habẽte pabulũ vtrinque, æque conueniens, æque multum in eadem diſtãtia ſibi appoſitum, quod fame eſſet moriturus in

medio pabuli. Profecto qui id aſſerunt, naturam appetitus, & æſtimatiuæ virtutis non recte cognoſcunt. Et qui hoc ita aſſerũt ne cogãtur in animali deliberationem ponere aut electionem, aut facultatem liberi arbitrij, ij ſane timore timẽt vbi timor nõ eſt. Sola enim (vt diximus) cõuerſio maior atq; attentio, defixioque phãtaſiæ in alterũ obiectum propoſitũ efficere poteſt, vt altero relicto in hoc moueatur. Relinquitur ergo appetitũ naturaliter moueri ab ipſo obiecto appetibili, ita ſecundum rationem appetibilis propoſiti, per æſtimatiuam. Neque quicquã refert, ſiue dicas appetitum moueri ab obiecto appetibili ſub ea ratione ſub qua appetibile eſt, ſiue ipſam æſtimatiuam proponentẽ appetibile, ſub ratione appetibilis. Non enim ipſum obiectũ per ſe mouet appetitũ eo modo quo obiectũ ſenſus exterioris agit in ſenſum (vt videlicet per ſe aliquid imprimat obiectũ exterius in appetitũ) ſed tantum quatenus per æſtimatiuã proponitur: ad cuius iudiciũ ipſius appetitus paſsio conſequitur. Vocãtur enim omnes ipſius appetitus inclinationes ſiue motus vulgato nomine paſsiones, eo quòd appetitus ab obiecto pertrahitur ad concupiſcendum vel odiendũ, &c. propter quod ab obiecto quodammodo pati dicitur.

CAPVT IIII.

De varijs paſsionibus in appetitu ſenſitiuo.

ET quia (vt diximus) appetitus mouetur ab obiecto per æſtimatiuam ſecundum rationem appetibilis propoſito, hinc fit vt multiplex paſsio & varius appetendi motus poſſit in appetitu ſenſitiuo inueniri ſecundum quod obiectum ſub diuerſis rationibus poteſt per æſtimatiuam proponi. Cum enim proponit obiectum æſtimatiua ſub ratione conuenientis, appetitus ſtatim mouetur & inclinatur ad illud, efficiturque in ipſo paſsio quæ appellatur amor vel concupiſcentia talis rei: per quam videlicet inclinatur ad talem rem ſub ratione conuenientis propoſitam. Et hæc eſt prima paſsio quæ in appetitu exoritur. Si vero præſentetur hoc idem obiectum tanquam conueniens & tanquam potens acquiri, ac tanquã propinquum ad habendũ, ita vt nullũ iudicetur ob ſtaculum, quin poſsit illud conſequi, ita fit progreſſus appetitus ab amore nudo ad proſecutionem. Incipit

Amor.

enim prosequi & iam tẽdere ad illud quod prius amabat. Nã amor est quasi prima inclinatio ad rem propositam, prosecutio autem velut tendentia in rem amatam. Vnde manifestũ est, prosecutionem istam nasci ex amore, quasi ex radice. Nihil enim prosequitur appetitus, nisi quod amat & cõcupiscit.

Voluptas. Cum vero obiectum iam æstimatur vt præsens & consecutũ, fit in appetitu passio lætitiæ, vel gaudij siue voluptatis: per quã, in re primũ amata, & per prosecutionem post modum consequuta tandem conquiescit. Et nõ refert ad passionem gaudij in appetitu faciendam, vtrũ iam actu sit præsens obiectum, vel propinquum. & certum quod iã iam habebitur. Quod enim prope est (iuxta Aristotelis vulgatam sentẽtiam) nihil distare videtur. Vnde gaudium etiã de iis quę propinqua sunt, & iam iã ventura, quasi pro præsentibus existimantur. *Arist. 2. lib. Physic.* Et hæc passio manifeste à prioribus distinguitur, tanquam quies ab inclinatione & tẽdẽtia: & ad priores duas consequitur, amoremque & prosecutionem præsupponit. Prius enim est rem amare, post modũ prosequi, post modum lætari. Vt (verbi gratia) brutũ animal videns pabulum conueniens afficitur illi, & inclinatur ad illud pabulũ, ipsumque amat: & si assequi potest, prosequitur, ac tendit ad ipsum cõsequendũ. Vbi autem fuerit assequutum quod amauit & prosecutum est, tum demũ oblectatur & conquiescit in eo.

At vero amor solus esse potest absque posterioribus. Cũ enim obiectũ conueniens proponitur aspectui, sed non vt possibile adipisci. non fit adhuc prosecuto, Veluti cum canicibus conueniens proponitur, sed astat iuxta cibum qui bacu lum ad verbera eleuatum tenet, illic sane amor est ad cibum quem tam conuenientem æstimat: sed quoniam nõ proponitur vt acquisibilis, neque vt propinquus haberi, propter astans malum, amorem nõ sequitur prosecutio. Nonnunquã vero prosecutio est, & nõ subsequitur lætitia: quoniam videlicet non contingit assequi rem amatam & prosecutam. Nonnunquam etiã res iã acquisita non talis inuenitur, qualis ante iudicabatur secundum æstimatiuam, atque ideo nõ consequitur gaudium in ea iam habita & adepta. Frequẽter enim æstimatiua decipitur iudicans esse cõuenientem, quod vere non est conueniens. Nihil autem refert ad passionum harum effectionem in appetitu, an res vere talis sit, an non. Non enim

obiectũ appetibile secundũ seipsum vel secundũ quod in se mouet appetitũ, sed secundũ quod in phantasia proponitur: siue ita sit in re, siue aliter res habeat, Vnde cũ æstimatiua decepta iudicat hanc rem esse conuenientem quæ secundũ veritatem nõ est conueniens, nihilominus fit in appetitu amor & prosecutio, quàm si secundũ veritatem talis esset. Cũ vero iam habita præsens fuerit etiam gaudium de re præsenti habetur, donec deceptio æstimatiuę nõ fuerit deprehẽsa. At vero mox vbi per sensum exteriorẽ æstimatiua perceperit se errore delusam in iudicãda de re absente, cessat passio gaudij cessante nimirũ æstimatione conuenientis. Deponit enim error, quo se cõperit fuisse illusum. Itaq; tres istę passiones, amor vel cõcupiscentia, prosecutio vel desideriũ, voluptas siue lętitia sunt, quibus afficitur circa obiectum conueniens.

CAPVT V.

HIs vero tribus passionibus prędictis correspondẽt tres alię, quę sunt circa obiectum contrarium, id est, circa obiectum disconueniens, odium videlicet, fuga, & tristitia vel dolor. *Odium.* Cum enim primum appetitui præsentatur obiectũ disconueniẽs, mouetur appetitus displicentia, & quadam velut auersione oppositã cõuersioni concupiscentię vel amoris Nam sicut obiectum appetibile efficit in appetitu primo cõuersionem quandã & inclinationem ad ipsum, sic obiectum discõueniẽs auersionẽ quandã & retractionem. Et hęc passio odiũ nominatur, estque amori oppositã. Et sunt duę istę radices omnium aliarum passionum. Cum vero disconueniens illud malum æstimatiua proponit, vt iam imminens animali, & tãquam propinquum vt veniat, alia passio gignitur in appetitu, per quam quęrit elongari ab illo malo, ipsumq; euadere & effugere. *Fuga.* Et hęc passio appellatur fuga, & est quasi recessio quędã ab obiecto malo imminẽti vel propinquo, per quã animal mouetur ad fugiendum quod est disconueniens, sicut prosecutio (cui opponitur) tendentia quędam est ad conueniens. Sed cum obiectum disconueniens iam præsens & habitum fuerit, efficitur in appetitu passio doloris vel tristitię, qua affligitur in præsentia adepti mali, sicut per voluptatem (cui opponitur) quiescit in præsenti bono. Ita enim canis

videns tenentem flagellum ad verbera eleuatum, primo aspectu odit & auertitur: & si vt sibi imminentia hæc verbera cõsyderat, fuga mouetur ad effugiendum imminens & propinquum malum. Cum autem in ipsius corpus flagellum fuerit incussum, & verbera iam susçipit, dolore & tristitia affligitur: propter quod etiã exclamat, eiulando lamentans. Cõtingit autem interdum (quomodo de amore per contrarium diximus) ad odium non sequi fugam. Cum enim videt canis tenentem flagellum, odit quidem & auertitur: sed nisi videat sibi imminere aut sibi propinquum esse malum, non sequitur fuga, vt cum multum distat ab eo qui flagellũ tenet. Neq; itẽ semper ad odium & fugam sequitur tristitia, vel quia malum illud non sit præsens, vel quia cum præsens fuerit sensus nõnunquam monstrat non esse disconueniens, quod secundum æstimatiuã errantem prius disconueniens iudicabatur. Nihil enim refert ad odiendum, fugiendum, vel tristandum, an res discõueniẽs existat, modo ab æstimatiua talis iudicetur. Vnde videmus homines quosdã morosos tristari pro rebus quæ secundum veritatem eis non disconueniunt, neque in aliquo mala sunt, tantum propter firmã æstimationem (quod æstiment sibi discõueniens quod tale non est) quam æstimationẽ vel nolunt vel non possunt deponere. Atq; ad hunc modum tristatur canis aliquo modo, dum irascitur ex hoc solũ quod domum quis ingreditur, aut fimarium, in quo iacet, non ad mali aliquid faciendum, aut quod per plateam aliquis transeat, cum id ei nullo modo sit disconueniens.

Dolor.

CAPVT VI.

De *appetitu concupiscibili, & irascibili, & de passionibus irascibilis.*

INueniuntur autem & aliæ passiones in appetitu sensitiuo diuersæ à prędictis, originem tamen ex eis habentes. Pro cuius intellectu sciendum est quod appetitus sensitiuus apud Philosophos (tam physicos quàm morales) diuiditur in duas partes, videlicet in concupiscibilem, & irascibilem.

Appetitus concupiscibilis dicitur, quo res erga obiectum conueniens vel disconueniens, erga bonũ

vel malum simpliciter afficitur, secundum rationẽ sub qua proponitur ab æstimatiua.

Atq; hanc partẽ spectant passiones illæ omnes quas supra iam distinximus: videlicet amor, prosecutio & gaudiũ circa obiectum conueniens: odium autem, fuga & tristitia, circa obiectum disconueniens & malum. Consyderant enim hæ passiones simpliciter bonum aut malum secũdum simplicem aliquam rationem: vt timor & odium conueniens vel disconueniens nude propositum: prosecutio & fuga, bonum vel malum imminens: gaudium & tristitia, iam præsens. Denominatur autem hæc pars concupiscibilis à primo & præcipuo suo actu, qui est amare vel concupiscere.

Irascibilis vero appetitus dicitur, qui mouetur à bono vel malo proposito nõ simpliciter, sed sub cõditione alicuius arduitatis vel difficultatis.

Irascibilis appetitus.

In hac parte sunt spes & desperatio, audacia & timor & ira: à qua (vt magis manifesta) pars ista irascibilis nominatur. Hæ enim passiones omnes pro obiecto habent arduum. Vnde spes est quasi amor boni ardui, audacia est quasi prosecutio boni ardui. Desperatio est quasi odium & auersio ardui, propter arduitatem. Timor est quasi fuga ardui mali: & ira, quasi tristitia mali ardui, cum iam præsens fuerit. Quarũ passionũ ab inuicem distinctio, nõ parũ ad cognitionem appetitus sensitiui conducet. Passio nanque spei in appetitu oritur, quando ab æstimatiua proponitur obiectum aliquod conueniens, tamen sub ratione ardui: quatenus videlicet difficultatem habet ipsum obiectum in acquirendo. Vt cum proponitur cani cibus conueniens, sed astat, qui flagellum tenet, atq; ita arduitas & difficultas simul opponitur, illo tamẽ arduo non obstante, adhuc inclinatur canis & mouetur amore ad ipsum cibũ conuenientem, æstimans arduitatem illam se posse superare, & propter arduitatem non desinit ad rem illam inclinari tãquam sibi possibilem adipisci, hic sperare dicitur. Spes enim est de rebus arduis & difficilibus. Quæ enim

Spes.

Desperatio. arduitatem & difficultatem non habent, sperare nō dicimur. E cōtrario autem desperatio est, cum ratione ardui propositi, aut præsentatæ difficultatis, appetitus auertitur ac desistit ab obiecto alias appetibili & conuenienti, vt amplius ad ipsum non moueatur, neque inclinetur, vtpote non possibile adipisci. Veluti cum canis cibum appetit vehementer: sed videt flagellū tam terribile, & tam terribiliter vibrātem flagellū qui astat cibo, vt non æstimet se posse arduitatē superare, & verbera talia euadere posse vel perferre, hic certe desperat, quia ab eiusmodi appetitu desinit obiecti conuenientis, propter arduitatem & difficultatem, quam æstimat insuperabilem.

Respondent autem spes & desperatio irascibili, amori & odio in cuncupiscibili: est que spes velut amor quidā boni ardui, secundum rationem ardui. Nam quatenus bonum obiectum amatur, quatenus vero arduum speratur. Desperatio autem est, quasi odium ardui secundum rationem ardui: id est auersio ab arduo vt arduum est. Videntur autem spes & desperatio non solum respicere bonum, sed etiam malum. Spes enim est de bono arduo consequēdo, vel de malo arduo superando. Vnde sperare dicitur, qui bonum aliquod quod amat nō desinit, sed pergit appetere, nihil obstante cōsyderatione ardui. Sperat etiam qui amat mali alicuius quod odit euasionem, & superationem, tametsi arduitatem habeat adiūctam; malum illud euadere vel superare. Item desperat de bono arduo consequendo propter arduitatem, vel de malo euadendo, aut superando propter arduitatem. Vt (verbi gratia) brutum animal sperat consequi pabulum quod videt, etiamsi aliquid difficultatis sit adiunctū, & sperat effugere periculū sibi imminens, etiamsi sit arduum ad effugiendum. Aut ecōtrario desperat de consequendo pabulo propter nimiam arduitatem, aut de superando euadendoq; periculo, propter nimiam arduitatem quā sibi putat insuperabilem. Itaq; tam boni consecutionem, quàm mali superationem atq; euasionem respiciunt spes & desperatio. Atq; ita in sequentibus passionibus est dicendum. Audacia vero & timor differre videntur: sicut prosecutio & fuga. Audacia enim est quasi prosecutio quædā boni ardui vt arduum est, nihil videlicet obstāte arduitate. Timor vero fuga est ardui propter arduitatem, cū scilicet arduitas retrahit & fugam facit in appetitu. Et oritur audacia ex spe quemadmodum ex amore: oritur prosecutio, & ex desperatione timor, quemadmodum ex odio fuga. Cum enim proposito bono arduo, appetitus propter arduitatem non aduertitur vt desperet, sed manet conuersus vt speret, neque spem abiicit illius boni consequendi, quāquam sit arduum ad consequendum, tum deinde mouetur ad ardui illius prosecutionem, non obstante arduitate: atque hęc est passio audaciæ. Item, cum per desperationem quis à malo superando auertitur, spe superationis abiecta, propter arduitatem quam æstimat insuperabilem, ex hoc consequenter mouetur ad fugiendum hoc ipsum propter suam arduitatem, & est timor oppositus audaciæ. Est enim timor fuga a malo arduo, propter ipsius arduitatem, vel a consecutione boni ardui item propter arduitatem. Quemadmodum enim spem & desperationem diximus esse de bono arduo assequēdo aut non assequendo nihil obstante arduitate aut malo similiter superando: ita audacia prosequitur bonum arduum consequendum: vel malum arduum ad superandum. Timor vero deiectio & fuga quædam est, vel a bono arduo consequendo, vel à malo superando.

CAPVT VII.

Quod ira nullam habet passionem contrariam.

DE ira vero hoc singulare est quod nullam habeat passionem sibi contrariam, vt in prædictis apparuit, sed est penitus absque cōtrario. Cuius ratio est, quoniam ita respondet tristitiæ, estque tristitia quædam de malo arduo præsenti, quatenus arduum est ad ferendum, vel de boni ablatione, quatenus arduum est & difficile tali bono carere: quæ tristitia, propter arduitatem, consurgit ad ipsum malum superandum per vindictam. Vnde ira est, quando propter malum arduum illatum, appetitus vehementer mouetur ad malū illud superandum, per illationē vindictæ. Existimat enim hoc modo malum proptiū superare, cum æquale vel maius illi intulerit à quo accepit malum. Huic autē tristitiæ de malo arduo prę̄senti non potest in bono aliquid inueniri cōtrariū

Contrariũ enim tristitiæ est gaudium, quod est de bono præsenti: bonum autem præsens nõ potest sub ratione ardui cõsiderari. Omne enim bonũ, quantumcunque ad acquirendũ sit arduum, quantumlibet habeat in sui prosequutione & acquisitione difficultatem, cum iam habitum fuerit, nullam omnino habet difficultatem. Quapropter, bonum præsens nõ potest nisi passionẽ simplicis gaudij in appetitu efficere. Nã tantum vt præsens bonum mouet appetitum, non iam vltra vt arduum bonum, cum nullum præsens bonũ sit arduũ bonum. Et licet hoc experientia doceat, quanto bonum aliquod in prosecutione magis arduum fuit, tanto gaudium vehementius (cum iam adeptũ fuerit) in affectu caussari, quemadmodum ea quæ cum periculo vitæ adepti sumus vehementius diligimus, & gaudio maiori afficimur de illorum possessione, non tamen aliud quam gaudium inde enascitur, ex adeptione videlicet talis boni, cum iam præsens ardui rationẽ perdit. Quod enim maius gaudium sit ex huius consecutione, non est, quia vt præsens arduum est, sed quia in prosecutione, arduum fuit, & ad consequẽdũ difficile. Atque hac de caussa fit, vt ira in appetitu irascibili non possit habere cõtrarium: quoniam videlicet obiectum iræ (quod est malũ arduũ præsens) non potest habere contrarium. Nam bonum arduũ præsens & habitum, appetitus nequaquã respicit: neque vllũ obiectum sub tali consyderatione ipsum mouere est potens. Includit enim repugnantiam: quia si bonum præsens est arduum non est: & si bonum arduum est, præsens non est. Præsentia enim excludit in bono arduitatem. Secus est de malo, quod simul præsens & arduum esse potest. Secus etiã de bono absente. Nam bonum absens potest esse arduũ, priusquã habeatur, secũdum quod in acquirendo habet difficultatem.

Sex passiones concupiscibilis.

Sex quoque irascibilis.

Omnes ergo passiones quę in appetitu sensitiuo inueniũtur, in sex iuga possunt reduci: quorum tria prima perfecta in paritate suã sunt ipsius concupiscibilis, concupiscentia & odium, prosecutio & fuga, voluptas & dolor. Tria autem posteriora iuga, quorum nouissimum imperfectum est in imparitate (quod vnum deficiat) sunt ipsius irascibilis appetitus: videlicet spes & desperatio, audacia & timor, & ira non habens contrarium. Opponitur tamen ei priuatiue ipsa iræ carentia, quã initascentiam possimus appellare. Et ad harum

passionum aliquam necesse est reduci omnem passionẽ sensitiui appetitus, siue irascibilis siue concupiscibilis. Quòd autem omnes istæ passiones sint appetitus sensitiui, manifestissimum est ex eo quod singulas videamus etiam in itratio nalibus animantibus, in quibus nullus est intellectiuus appetitus. An vero appetitus irascibilis & concupiscibilis, duæ sint potentiæ realiter distinctæ, an tantum vna secundũ rem potentia, sed diuersa habens officia, nolumus impræsentiarũ inuestigare profundius.

CAPVT VIII.

Quomodo passiones irascibilis oriantur ex passionibus concupiscibilis.

ILlud autem notandum est, quod passiones irascibilis oriuntur ex passionibus cõcupiscibilis, & terminantur in easdem. Nã ex amore alicuius rei cõuenientis quæ est in concupiscibili, exoriente aliquo quod arduitatem adducit illi rei amatæ, cõsurgit in appetitu irascibili spes ad illam arduitatem superandam, & audacia qua prosequitur superationem talis arduitatis. Et cum per audaciam contigerit arduum superari, terminatur spes illa & prosecutio in gaudio, quod inde nascitur: atque ita in passionem cõcupiscibilis terminantur passiones illæ irascibilis. Ita timor de malo imminenti & arduo, cum iam malum ipsum aduenerit & vicerit, ita vt superari non possit, in puram tristitiã terminatur. Non enim est ira, donec mali præsentis arduitas æstimatur per vindictam superabilis, quemadmodum audacia prosecutio est superandi mali ardui imminentis, cuius mali arduitas æstimatur superabilis. At vero, cum æstimatio talis (videlicet superandi præsentis mali) defecerit, iam non amplius ira, sed tristitia mera est, quæ in malo arduo præsenti procedit, quemadmodũ in iis qui rebus desperatis, post timorem, tandem in illud incidunt quod ante timuerãt, nec æstimãt mali arduitatem se vlla vindicta posse superare. In his enim ira vertitur in puram tristitiam. Talis ergo qui iam præsente malo sic premitur, desinit desperare, desinit & timere: & post desperationem ac timorem, finẽ occupat dolor. Terminãtur ergo (vt diximus) passiones irascibilis in passiones cõcupiscibilis. Et licet terminentur nunc in gaudium, nũc in tristitiam, simpliciter tamen amor in cõcupiscibili est prima

Amor est prima radix passionũ aliarum.

radix omnium aliarum passionũ: nec potest vlla passio in cõcupiscibili, vel in irascibili oriri, nisi ex radice amoris, siue concupiscentiæ. Nõ enim est aliquod odiũ, quod nõ oriatur ex aliquo primo amore. Quicquid enim odit appetitus, ideo odit, quia contrarium est alicui, quod vt bonum & cõueniẽs amat. Vt si amat canis cibum, odit quicquid ab huius consecutione prohibet vel impedit, & quicquid hoc quod vt coueniens appetit: expellit ac fugat: sic qui amat vitam ac sanitatem, odit quæcũque apprehẽduntur, vt sanitati aut vitæ cõtraria. Nihil enim odit appetitus, nisi sub ratione disconueniẽtis. Disconueniẽs autẽ dicitur disconueniens in ordine ad aliquid, Indicatur ergo in odio disconuenientis, præuius amor alterius rei, illius cui hoc est discõueniens, nẽpe vitæ & boni ipsius animalis, cuius est appetitus. Est enim appetitui naturaliter insitus quidã amor vitæ & boni ipsius animalis cuius est: ex quò amore procedit odiũ generale disconueniẽtis, ac deinde particularia odia omniũ earum rerũ, quæ æstimantur vt cõtrariæ aut repugnantes vitæ ac bono ipsius animalis. Sicut ecõtrariò ex vno illo amore, oriuntur particulares amores omnium earum rerum quæcunque æstimantur, vt conuenientes vitæ vel bono animalis.

CAPVT X.

Gaudium siue voluptatem esse aliarum passionum finem,

PRofundius autẽ considerantes, inuenimus gaudiũ siue voluptatem, omnium passionum aliarum esse finem, quem appetitus finaliter quærit. & ad quem naturaliter omnes aliæ passiones ordinãtur: ita vt quemadmodũ ex amore omnia proficiscuntur, sic ad gaudiũ & voluptatem omnia ordinẽtur. Ad hoc enim appetitus concupiscit & prosequitur quod cõueniens est, vt cum assecutum fuerit gaudeat illo: est que gaudiũ velut fructus, ad quẽ appetitus concupiscendo & prosequendo tendit. Et sicut omne odiũ, & omnis fuga ex amore proficiscitur, ita omne odiũ, omnisque fuga finaliter tãdem ad gaudiũ ordinatur. Ad hoc enim id quod animali disconueniens est, odit & fugit appetitus, vt non per aduentum disconuenientis animali veniat tristitia, sed malo depulso gaudium acquirat, vel in habito gaudio

conquiescat. Vnde sicut perturbatio belli ordinatur ad quietem pacis, sic odium & fuga ordinantur ad quietem gaudij.

Et prouidè admodum Deus animalibus dedit non solum amare & prosequi, sed odire etiam & fugere. Nam si nõ aliud nosset appetitus quàm amare, quàm prosequi, non esset quo se à contrarijs & disconuenientibus præseruaret. Nam ad prẽseruationem huiusmodi, à disconuenienti requiritur odiũ & fuga, quibus disconueniẽtibus appetitui, ipsum animal potest se elõgare & abstrahere. Ex prædictis patet, quòd gaudium per se est secundũ naturam animalis, tristitia verò, contra naturam. Nam gaudium est per se finis ipsius appetitus, quem finaliter quærit Vnde oportet tristitiam contrariam esse cõtra naturam. Atque hinc est, quòd naturaliter omne animal quærit delectationem, voluptatem, & gaudium: abhorret autem à tristitia & dolore, conatur itẽ modis omnibus se in gaudio conseruare, & in delectatione continere, à tristitia autem & dolore diligentissimè & quàm ocyssimè potest, se conatur liberare. Hinc etiam est, quòd tristitia (vtpote naturæ animalis contraria) consumit & corrumpit ipsum animal, atque ad mortem deducit. Vnde per Sapientem dicitur: Spiritus tristis exiccat ossa. Et Iacob ad filios suos volentes secũ Beniamin adducere in Ægyptum: Si quid ei aduersitatis (inquit) acciderit in terra ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos. Contra verò, gaudiũ & lætitia sanitatis est effectiua, & vitæ conseruatiua.

Gaudium est secundũ naturam.

Prou. 17.

Gen. 42.

CAPVT X.

Quare Deus irascibilem addidit concupiscibili, & quod etiam timor & desperatio animali fuerint necessaria.

OMnes etiam passiones quæ sunt in irascibili, sicut ab amore radicaliter oriuntur, ita ad gaudium naturaliter pergunt, & ad ipsum vt suum finem ordinantur. Spes enim & audacia ad hoc ordinantur, vt tandem bono arduo, non obstante arduitate, consequuto, vel malo arduo superato. appetitus per gaudium quiescat in bono acquisito. Imò desperatio & timor ad gaudium ordinantur. Desperãdo enim animal mouetur vt timeat ac fugiat, sicque euadat tristitiam quę imminet, & gaudium habeat malo per fugam declinato. Vbi notandum, quòd appetitus irascibilis datus est animali

Appetitus irascibilis, propugnator est concupiscibilis.

propter concupiscibilem, & est velut propugnator appetitus concupiscibilis. Sine appetitu nanque irascibili, concupiscibilis esset velut inermis, & absq; defensione. Neque sufficiebat appetitus concupiscibilis ad bene esse animalis, nisi fuisset adiunctus etiam irascibilis. Frequenter enim contingit circa id quod animali est conueniens, occurrere arduitatem & difficultatem, per quam affectus concupiscibilis statim retraheretur, vel remoraretur, nisi esset adiunctus appetitus irascibilis, qui confirmaret concupiscibilem & velut animaret in suo amore & prosequutione, ne statim concupiscibilis occurrente arduitate se retrahat, atque à prosequutione desistat. Quomodo enim armatus aliquis per viam ambulans cum inermi, facit ipsum inermem non desistere ab itinere, etiã si videatur aliquid occurrere aduersi, qui alioqui solus & inermis existens statim ab itinere suo cessaret, vel deflecteret sic appetitus concupiscibilis statim à cõuenientis, prosequutione cessaret, arduitate occurrente deterritus, nisi haberet irascibilem velut propugnatorem, qui illum teneret in prosecutione sui appetibilis. Ita ergo irascibilem appetitum Deus animali cum concupiscibili dedit, vt etiam occurrente arduo à prosequutione conuenientius non cessaret, neque statim malo succumberet, sed contra ipsum sese erigere posset, & ad arduitatem superandam conari. Item, cum fortè à disconuenienti malo teneretur, vt non perpetuo sub illo permaneret, sed ad euadendum malum sese posset erigere, & velut ad superandum animare. Ita enim per spem & audaciam animal nõ obstante arduitate pergit prosequi quod amat, & vnde quærit gaudium. Per iram verò, etiam cum præsens fuerit malum, superare conatur & euincere malitiam, atque ex ea sese extricare. Per desperationem quoque & timorem sibi consulit animal, cum ipsum malum arduum imminens tantum videt, vt superare se non posse existimet. Conducit enim animali, ad euasionem mali, desperatio & timor: cum tam arduum fuerit malum, vt existimet se non posse superare. Nam tunc per desperationem & timorem fugit animal, sicque suæ saluti consulit. Si enim oblatoarduo quòd animal ipsum superare non potest, adhuc pergat sperare & audere, periculum est vitæ ipsius, dum opponere tentat malo excedenti suas vires, & se fortius oppugnare: vnde cum deuictum fuerit, malè

habebit. Et frequentissimè hoc modo animal in perditionem venit. Itaque etiam desperatio & timor in animali vtiliter posita sunt ad salutem animalis, occurrẽte malo quod existimatur non posse superari: sicut econtrario spes & audacia ibi cõducunt ad esse animalis, vbi existimatur malum posse superari. Atque hoc pacto manifestè patet, quomodo (vt supra diximus) etiam desperatio & timor ad gaudium ordinantur, sicut ex amore proficiscuntur. Amor autem ille primus, ex quo oriuntur omnes istę passiones tam concupiscibilis quàm irascibilis (vt iam ostensum est) & gaudium istud ad quod passiones omnes ordinantur vt ad finem, de eadem re sunt. Est enim primus amor appetitus, quo appetit & amat salutem ipsius animalis cuius est appetitus. Et gaudium vltimũ ad quod ordinantur omnes passiones aliæ, est similiter de salute & bono ipsius animalis, ad quod ordinantur quæcunque in ipso sunt omnia. His autem de appetitu sensitiuo determinatis, rursus ad intellectiui appetitus consideratione (vnde digressi sumus) reuertamur.

CAPVT XI.

Prædicta omnia etiam in intellectiuo appetitu inueniri.

HAs autem passiones omnes quas iam explicauimus, manifestum est sic in homine, sicut & in alijs irrationabilibus inueniri. Nam & homo quæ secundũ sensum percipit corpori conuenientia amat, atque prosequitur: & cum adeptus fuerit, voluptate in eis afficitur: cum percipit disconuenientia corpori, hæc odit, fugit, & de his tristatur, si ea aduenire sibi contingat. Sperat item, & audet, & occurrenti difficultati se opponit, vt euincat. Desperat quoque interdum, & timet, cum arduitatem æstimat suas vires superare. Insuper & irascitur cum præsens malum fuerit quod putat per vindictam posse se superare. Et in his omnibus (quantum ad corpus attinet) manifestè homo cum cæteris animalibus irrationalibus conuenit, ita in appetitu sensitiuo sicut in sensu. Verum quantum ad appetitum intellectiuum considerandum est, quod licet nulla talis passio corporali posset in eo inueniri, ipse tamen dicitur amare, odire, prosequi, fugere,

delectari, tristari, sperare, desperare, audere, timere & irasci. Et hæc omnia quæ iam prius appetitu sensitiuo diximus cõuenire, non sunt omnino ab intellectiuo appetitu aliena. Quomodo enim in appetitu sensitiuo sunt amor corporalis, gaudium corporale, odium corporale, tristitia corporalis, ira corporalis, & ita in cæteris: sic in appetitu intellectiuo est amor spiritualis, quo voluntas id quod secundũ rationem bonum iudicatur, amat: est desiderium spirituale, quo ad acquirendum id quod secundum rationem bonum iudicatur tendit: & est gaudium spirituale, quo in eo iam adepto oblectatur. Vt cum intellectus iudicat virtutem esse bonam & rem vtilem homini, appetitus intellectiuus amore afficitur erga illam, & incipit eam prosequi, siue ad eam tendere desiderio: atque vbi adeptus fuerit, in ea gaudet. Et cum intellectus æternam vitam (quę Deus est) vt bonam & summè bonam cognoscit, voluntas amore afficitur, & desiderio tẽdit ad illam consequendam. Atque vbi desiderium hoc suum adimpleri contigerit, summo gaudebit gaudio. Et quoque odium spirituale, eius quod secundum intellectum iudicatur discon ueniens & malum, & fuga eiusdem, atque vbi præsens adesse contigert, tristitia. Vt cum intellectus iudicat vitia esse homi nis nobilitati contraria, & naturam deformantia, afficitur vo luntas auersione & odio cõtra illa, fugitq;: & abominatur ea: ac siquando in ea per fragilitatem contigerit incidere, tristatur de talis mali præsentia. De quali odio per Psalmistam di-

Psal.138. citur: Nonne qui oderunt te domine oderam, & super inimi cos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi. Item spes & audacia in appetitu intellectiuo

Aristoteles, inueniuntur. Cum enim intellectus virtutem vt arduam & difficilem considerat (Quippe virtus & ars, iuxta Aristotelis sententiam versantur circa difficile) voluntas nihilominus firma & stabilis non deterrita arduitate, eámque putans posse euinci & superari, pergit amare virtutem, pergit etiã desiderare & ad eam tendere, hic certe sperat & audet. Sin ecõtrario arduitate victus humanus appetitus resiliat deficiaturque ac fugiat à virtutis proposito (quemadmodũ proh dolor cernere est in maxima parte hominum) hic desperatio & timor est. Iram quoq; in intellectiuo appetitu spiritualem experimur, cum illud quod secundum intellectũ malum & discõ-

ueniens iudicamus, adesse contigerit. voluntas tamen aduersus ipsum consurgit, & quærit ipsum malum superare atque euincere. Vt cum homo in peccatũ se aduertit cecidisse, grauiter irascitur aduersus illud, si non sibi cõplacet in eo, neq; perseuerare eligit in eo, consurgitque ad ipsum expellendũ, ac se ab illo emundandum. Ita cũ quis in se vel in proximis videt contemptũ diui ni honoris, ira spirituali aduersus malũ hoc secundum intellectiuum appetitum cõsurgit, ad superandum & destruendum cõtemptum honoris Dei. Ac de huiusmodi ita intelligendũ est, quod in Psalmis scribitur, & apud Euangelistam Ioannem adducitur de Christo domino: Zelus domus tuæ comedit me. Et Paulus Apostolus gaudet per suam Epistolam se commouisse discipulos ad irá & indignationem, contra peccatum, ad penitentiam. Ita ergo manifestum est, omnia ista quæ in appetitu sensitiuo inesse supra diximus, etiã intellectiuo appetitui inexistere. Est tamen hoc aduertendum, quod ista vt sunt in sensitiuo appetitu, dicũtur passiones, non autem vt sunt in appetitu intellectiuo. Vnde & angelicæ mentes amãt salutem hominum, amant Deum, prosequuntur & desiderant electorum salutem, gaudent super peccatoribus penitentiam agentibus, & super iustis proficientibus, tristãtur super conuersis reuertẽtibus ad pristina vitia, aut iustis, suam iustitiam relinquẽtibus, irascũtur aduersus eos qui scandalizant pusillos, qui Dei nomẽ blasphemãt, desperant de peccatoris conuersione donec in mũdo est, desperant de eorum reditu ad bonum qui in peccato mortali iam condemnationem acceperunt, & ita in alijs. Nequaquam tamen in angelis sunt ponẽdæ passiones, amoris, gaudij, odii, tristitiæ, & huiusmodi, atque ita nec in homine secũdum appetitum intellectiuum, secundum quem similis est angelis. Hæc enim omnia intellectiuus appetitus absque passione in se habet, quæ sensitiuus habet cum passione, & affectiones tantum, non passiones appellantur. Passio enim corporalem aliquam immutationem designat, & imperfectionem includit. Vnde plerũque inualescẽtibus passionibus corporalibus istis, cernimus hominis corpus secundum eas disponi. Vt qui vehementer irascuntur, cernuntur oculos habere scintillãtes, & faciem velut fumantem atque ardentem, propter quod in scripturis nonnunquam ira per fumum faciei designatur.

Psal. 68. *Ioan. 2.* *2. Cor. 7.* *Luc. 15.*

Veluti cũ de Deo dicitur: Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit. Et alibi: Domine deus quousque irascéris super orationem serui tui, vbi in Hebrẽo habetur, fumabis, pro irasceris. Quj vehemẽter timent, pallidi fiunt: item qui desperant, vultu fiunt deiecto. Vnde ad Cain desperãtem ob non acceptata munera, dominus: Quare (inquit) concidit facies tua? Ita qui gaudẽt, multũ rubescunt, & grato colore perfunduntur in vultu, qui vero tristantur, vultum habent tetricum & toruum. At vero affectiones istæ vt sunt in appetitu intellectiuo, nõ sunt cum tali immutatione corporali, neque per se eiusmodi passionẽ in corpore efficiunt, nisi simul & in appetitu sensitiuo passio existat affectioni voluntatis correspondẽs. Ita enim solet ex redundãtia affectionis quæ in appetitu intellectiuo est, etiam in sensitiuo passio correspondens generari. Quemadmodum videlicet ad oculũ cernimus, eos qui interno lætantur gaudio, ex bonæ conscientiæ testimonio, ex redundantia gaudij spiritualis gaudere etiam corporaliter, & serenitate ac placiditate quadam vultus illud internum gaudium demonstrare. Et cum quis secundũ Deum irascitur, secundum voluntatem simul etiam corporis ira accenditur, quæ velut ministret vltionem.

Psal.17.
Psal.79.
Gene.4.

CAPVT XII.

Differentia inter passiones appetitus sensitiui, & affectiones appetitus intellectiui.

ESt etiã hæc differẽtia inter passiones appetitus sensitiui, & affectiones volũtatis, quod appetitus sensitiuus secundũ eas mere patitur, quia naturaliter ab obiecto ei imprimuntur, ita vt nõ possit nõ recipere, quemadmodum sensus mere passiua potentia est. Vnde præsentato per sensum obiecto conuenienti, & per æstimatiuã vt tali iudicato, appetitus sensitiuus necessario & naturaliter afficitur & amat illud, & cum obiectum aliquod vt cõueniens & presens per sensum præsentatur, naturaliter patitur appetitus sensitiuus, & afficitur gaudio ex ratione talis obiecti, habetque se merè passiuè, quemadmodum sensus cum a sensibili oblato speciem recipit. Atque hinc fit, vt brutum animal proposito cibo quem secundum æstimatiuam iudicat conueniẽtem, naturaliter erga ipsum amore afficiatur ipsumque prosequatur, neque potest non amare, aut non prosequi, nisi adsit impedimentum aliunde quod prævalendo naturaliter operetur fugam vel odium, vt supra declarauimus. At vero in appetitu intellectiuo multo aliter se res habet. Est enim volũtas, potentia multo nobilior, non vtique merè naturaliter patiens ab obiecto, etiam sub ratione sua proposito, sed mouẽs seipsam ad obiecti propositionem potius, quam ab obiecto moueatur. Nam si naturaliter ab obiecto moueretur, semper obiecto proposito deberet secundum rationẽ obiecti moueri, cum nullum esset ab extra impedimentum. Atqui experientia aliud manifestat, videlicet hominis voluntatem nulla necessitate ab obiecto proposito moueri: sed propria libertate ipsam sese mouere. Potest enim contingere, & contingit per singula momẽta in plurimis, vt intellectus & ratio iudicet hoc esse bonum, aut conueniens, cum tamen ipsa volũtas illud non prosequatur, nec amet: item vt intellectus, iudicet hoc esse malum, cum tamen voluntas non odiat illud, nec fugiat. Vnde in incõueniẽtibus manifestè hoc cernimus, iudicant enim secundum intellectũ, malum esse adulterio coinquinare vxorem alienã, malum esse in tali statu permanere: attamen secundum voluntatem nõ tristãtur de tali malo præsenti, neque odiunt, neq; fugiunt. Itẽ omnes secundum intellectum iudicant peccatum esse malum, & deformãs humanã naturam: attamen secundum voluntatem nõ omnes odiunt peccatum, neque fugiunt. Est ergo voluntas potentia non merè passiua naturaliter patiens obiecto, ita vt non possit non pati ab eo quemadmodum est appetitus sentiuus, sed libera est, & actꝰ sui in seipsa libere effectiua, ad propositionẽ tamen obiecti. Intellectus enim & rationis est volũtati obiectum proponere, vtpote sub ratione boni aut mali: & voluntas non trahitur ad obiecti prosecutionẽ neque vlla necessitate in ea fit affectio secundum rationem obiecti, sed libertate sua mouet cum voluerit, secundum affectionem tali obiecto conuenientem: ita vt etiam cum mouetur, libere possit non moueri. Vt cum intellectus virtutem vt bonã & conuenientem humanæ nobilitati proponit, voluntas nõ trahitur naturaliter ad eius amorem & eius prosecutionẽ, sed liberè se mouet. Nam obiecto eodem similiter oblato, & nullo ex-

Appetitus intellectiuus differt à sensitiuo.

istente alio impedimẽto, potest nunc moueri ad amorem virtutis, alias non moueri: potest nunc prosequi alias non prosequi.

CAPVT XIII.

De *libertate voluntatis super actiones proprias & passiones appetitus sensitiui.*

EX prædictis videtur manifesta libertas ipsius appetitus intellectiui, quo ad proprios actus, & affectiones. Vnde etiam fit, vt propriè nominentur voluntatis actus vel operationes, nequaquam autem passiones, tametsi vt in appetitu sensitiuo, passiones verius quam actus vel operationes appellẽtur: videlicet quod in appetitu sensitiuo fiant ab obiecto prius quam efficiantur ab ipso appetitu: in intellectiuo autem contrariò, non ab obiecto in ipsum imprimantur, sed ab ipsiusmet libertate efficiantur. Non solum tamen hãc libertatem habet voluntas super actus proprios, verum etiã super passiones, quæ sunt in appetitu sensitiuo, magnũ habet dominiũ, & magnam libertatem. Quia enim appetitus sensitiuus, secundum naturam subiectus est voluntati, vt inferior superiori: & quia voluntas potentia libera est, hinc fit, vt nõ solum imperium & libertatẽ habeat supra proprios suos actus, verum etiam supra passiones appetitus sensitiui. Imo vero ex Dei ordinatione, hoc ipso quod voluntatem liberã homini dedit, inferiorem appetitum non liberũ voluit huic superiori libero esse subiectum, voluitque huius passiones naturales & non liberas ab huius libertate regi & moderari. Vnde ex ore domini ad Caim exardescentem mala iracũdia (propterea quod non quæ ipsius mala munera, igne cœli absumpta essent vt bona sacrificia fratris) ita dictum legimus: Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Quasi dicat: Tu quidem nunc subita exardescis iracundia, quasi grãdi malo tibi illato, ex eo quod tibi frater prælatus est signo diuino. Attamen scito, inordinatum hunc iracũdiæ furorem qui in tuo sensitiuo appetitu exoritur, debere te comprimere & moderari, per superiorem quæ in te est liberã voluntatem: ne propter hunc iræ furorem, impium aliquid opere committas, quod in proximo futurum est, si insurgentem appetitum primum non comprimas. Si autem verum est

Voluntatis libertas.

Gen. 4.

quod ait dominus, sub homine esse ipsius appetitũ, & ipsum dominari debere suo appetitui, manifestè consequitur supra hunc appetitum debere poni aliam aliquam potentiam superiorem cui subdatur, & cuius imperio atq; dominio subiiciatur. Quod autem dominatur alteri, & sub se habet subiectũ, vt possit reprimere moderari ac regere, libertatem habere debet qua id possit. Hæc autem potentia superior, voluntas est & appetitus intellectiuus. Patet ergo ex verbis illis domini, appetitum sensitiuum subiectum esse intellectiuo, item & voluntatem habere libertatem, & imperium, non solum super actus proprios, sed etiam super passiones sensitiui appetitus. Quomodo enim sub ipso esset appetitus sensitiuus, & quomodo ipse huius dominaretur, si super suos tantum proprios actus diceretur habere libertatem? Quomodo enim regẽ dicemus imperare populo, si ipsum fateamur solum habere libertatem in proprijs rebus agendi quod voluerit, & nõ etiã in negotijs populi? Sed & si ea quæ antecedunt prædicta domini verba diligẽtius consyderauerimus, inueniemus libertatem voluntatis causam esse, ob quam illi subiicitur sensitiuus appetitus. Sic enim dominus præmittit, Quare iratus es, & quare concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies: Sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? Ac demum subiungit quod iam diximus. Sed sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Vbi dũ proprię actionis libertatem præmittit, mox subiungens seruitutem & subiectionẽ appetitus, indicat appetitum homini subiectum esse rationi ius quod est in eo liberum, & à quo suam habet libertatem. Et hæc est sola potentia volũtatis. Per voluntatem enim homo habet libertatem. Est ergo voluntas in homine, quę ex diuina ordinatione habet libertatem & imperium super appetitum sensitiuum.

Gene. 4.

Gene. 4.

CAPVT XIIII.

De *dominio voluntatis supra appetitum sensitiuum.*

AD cognoscendum autem quomodo voluntas dominatur super appetitum sensitiuum, notandũ est (iuxta Aristotelis distinctionem) duplex esse dominiũ: alterum quo dominus dominatur in seruũ, ita vt nihil possit facere à seipso seruꝰ, nisi quod dominꝰ ĩperauerit, cuiusmodi dominũ grꝙca appellatiõe vocat despoticũ, quod nos latinè dicere possumꝰ

Duplex dominium.

herile,id est quo herus dominatur seruo.Siquidem despotes, herus vel dominus interpretatur.Alterum est dominium liberũ,quo rex dominatur suis subditis liberis:qui licet subiecti sint suo domino,non sic tamen (quemadmodum priores) vt non possint nisi quę ille iubet facere,sed ita vt pareant quidẽ illi in ijs quæ imperauerit,possint nihilominus etiam illo nõ requisito agere quæ sibi videntur commoda. Manifestũ est autem, appetitum sensitiuũ pro hoc statu potius posteriori hoc modo quàm priori,esse volũtati subiectũ.Non enim sic ei subiicitur,vt nihil possit nisi quòd ille iusserit. Nã potest per se absque volũtatis imperio sensitiuus appetitus mouere ipsum hominem ad obiectum ad quod fuerit pertractus,etiã non requisita voluntate, neq; accepto à voluntate imperio. Quanquã enim in homine appetitus sensitiuus subiectus est voluntati,non tamen ob hoc est ignobilior neque impotentior in homine quàm sit in animali bruto,vbi alium nõ habet superiorem. Vnde sicut bruto appetitus motus ab obiecto, per se sufficiens est animal mouere ad obiectum à quo ipse prior mouetur prosequendum vel fugiendum,ita potest & in homine moueri per semetipsum. Secundo autem modo subiectus est voluntati, & voluntas ei dominatur, quoniam videlicet vbi voluntas iusserit:potest appetitum inferiorẽ cõpescere eiusq; passiones mitigare,vel comprimere,vel prorsus supprimere,potestq; eum cohibere,ne animal moueat ad obiectum à quo ipse mouetur. Ad eandem rem tertio libro de anima adducit Aristoteles comparationẽ sphærę superioris & inferioris,quarum superior mouet inferiorẽ suo raptu, eam secum circũgyrando:inferior nihilominus proprio motu cõtramouetur.Sic enim voluntas(vt sphæra superior)suæ iussionis imperio sibi parere facit appetitũ sensitiuum, &vi quadã cogit suũ sequi imperiũ. Attamen habet etiam sensitiuus appetitus potestatem motu proprio mouendi,quã non accepit à potentia superiori. Quod si quis huius rei requirat experientiã,mirabor ego an lapis sit absque sensu qui id requisierit. Quis enim nõ experitur in sese per singulos dies imo per singulas horas(ah quid horas dico, potius per singula momenta dicere debueram)multis se inordinatis passionibus & motibus mirum in modum molestari,quæ absq; volũtatis imperio ex parte inferiori à sensitiuo appetitu exoriũtur? Quis non statim visa re pulchra percipit intra se amorem rei illius & quandam prosequutionem antequã voluntas adsit,quæ compescat sensualem passionem? Quis non circa res sensibiles sentit frequentissimè sese brutorum more statim afficiꝫ,subitis passionibus in sensitiuo appetitu nascentibus,cõcupiscẽtię,prosequutionis,desyderij,odij,fugę,timoris,spei, audacię,irę,& similiũ ante omne voluntatis imperium? Hanc ergo non perfectam subiectionem sensitiui appetitus ad voluntatem,euidentissimè sic in nobis probat experientia.

Cõparatio Aristotelis.

CAPVT XV.

Quomodo sensitiuus appetitus voluntati contrariatur?

Contrarietas appetitus sensitiui & intellectiui.

NEque verò hanc solã habet facultatem appetitus sensitiuus,vt possit absq; volũtatis imperio moueri à suo obiecto,ac deinde ipsum animal etiã mouere:sed(quod magis dolendũ atq; deflendũ est)secundũ eã conditionem in qua nũc est,plerunq; etiam ad ea quę voluntati sunt cõtraria,inclinat & mouet.Appetitus nanq; intellectiuus secundũ suam naturã ea amat ac prosequitur,& de illis gaudet,quę secundũ intellectum atq; rationẽ bona sunt:ea verò quę ratio mala indicat,odit,ac fugit,& de illis tristatur. De huiusmodi etiã bonis sperat,mala contraria timet,& aduersum mala huiusmodi irascitur. Appetitus autem sensitiuus amat & prosequitur ea quę sensus bona iudicat,& de his gaudet:ea verò quę sensus discõuenientia iudicat,odit ac fugit,& de his tristatur. Atqui nõ eadem sunt quæ sensus bona æstimat,& quę ratio vel intellectus:itẽ quę sensus mala, & quæ intellectus. Æstimatio nanq; sensus illa iudicat bona,quæ carni sunt grata,bona videlicet corporalia,& temporalia,delitias, diuitias amplã supellectilẽ pompas magnificas,& glorioſos titulos,amplũ famulitium,abundantiã ciborum,ferculorũ,potuum, musicorũ instrumentorũ concentum, & cætera huiusmodi, quæcunq; sensui carnis sunt grata,& quæcunque sensum oblectant: & hæc omnia inordinate & secundũ excessum cõsyderata,sensus æstimationi bona videntur, & sic ea sensualis appetitus prosequitur. Ratio verò siue intellectus vera bona iudicat illa,quę incorruptibilia sunt atq; æterna,& ea quibus ad æternitatẽ pertingitur:cuiusmodi sunt bona cœlestia,item virtutes,& virtutum opera,virtutum etiam occasiones, & quic

quid nouit ad vera atq; æterna bona consequenda idoneũ? Quæ autem sensus vt sibi grata & cõuenientia iudicat, secũdum eum vsum nẽpe superfluũ & excessiuum, nequaquam intellectus vt verè bona iudicat, sed potius vt mala & noxia ad ea bona consequenda, quę ipse verè bona iudicat, Non enim hęc tẽporalia iudicat vtilia, nisi quatenus ad vera spiritualia & æterna bona cõducũt, quòd est secundũ vsum moderatum & sufficientem. Propter quod, apetitus sensitiuus cõtrarius est voluntati, nõ simpliciter in hoc q̃ ipse tẽporalia & corpo ralia appetat, voluntas autem supernaturalia & æterna sed quia ille corporalia secundũ excessum & inordinationem appetit, ista vero non nisi secundũ debitã moderationem: nec ea quidẽ per se, sed vt aliud cõducentia. Atq; hoc est quod *Gala.5.* sanctus Apostolus ait, carnem cõcupiscere aduersus spiritum, & spiritũ aduersus carnem, & adinuicẽ hęc sibi aduersari, vt non quęcunq; velint homines faciant. Carnem nanq; intelligit partem infimã appetitus sensitiui, & spiritum appellat superiorẽ partẽ in anima hominis, ratione voluntatis: significãs videlicet appetitũ sensitiuũ & intellectiuũ adinuicem pugnare, vt caro, id est carnis appetitus, concupiscat cõtraria appe- *Rom.7.* titui intellectiuo. Hinc & in alio loco multa verborũ replicatione conqueritur, non habitare in carne sua bonum, sed malum sibi adiacere, ita vt legem Dei facere volens, & secundũ spiritum quę verè bona sunt diligere, inueniat in carne sua aliam legẽ, legi mentis repugnantem, seq; captiuãtem in lege peccati, & alia huiusmodi multa dicit, quæ nõ nisi sensualitatis peruersitatem indicant voluntati repugnãtis: quæ illi vsq; adeo est molesta repugnãdo, vt in vocem tandẽ exclamationis miserabiliter eiulans terminet querimoniã, dicens: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? *Ibidem.*

CAPVT XVI.

Vnde procedat rebellio appetitus sensitiui contra voluntatem.

Ciendum tamen est, quod appetitus sensitiuus licet ex sua natura appetat bonum corporis vt corporis, nõ tamẽ ex sua natura habet sic appetere bona corporis extra modum & ordinem, etiam contra rationis dictamen, & supra quam ratio dictet, quomodo nunc manifestissimè experimur in nobisipsis. Verũ id ex corruptione proue-

nit humanæ naturæ, quã sacræ scripturę authoritas & sanctorum patrum testimonia nobis astruũt, ex primi peccati inobediẽtia euenisse. Nã (vt sapiens attestatur) fecerat Deus hominem rectum ab initio, & absque vlla contẽtione: princeps *Eccle.7.* pacis, osor dissentionis, duos hos appetitus in homine sine vlla contrarietate cõiunxerat, sicque appetitũ inferiorẽ subiecerat superiori, vt nihil posset cõtra eius imperium & cõtra regulæ ipsius directionẽ (id est contra dictamen rationis) appetere, vt non posset amare aut prosequi cibũ, vel potum vel aliud quodcũque sensui gratũ, contra volũtatis imperium, neque cõtra rectæ rationis dictamen. Nam ante primi peccati inobedientiam, nũquam appetitus sensitiuus appetisset cibum, nisi quantum & quomodo & quando corpori fuisset bonum pro sua substẽtatione, & sicut volũtas voluisset appeti ipsaque rationis regula dictasset appetendum: neque vnquam fuisset imperium voluntatis egressus appetitus inferior, neque limites excessisset rationis. Mox enim vt volũtas iussisset cessare inferiorem appetitũ a sui obiecti prosecutiõe, dicto statim fuisset obediẽs, nec progressus fuisset vlterius. Atque ita dulcissima omnino fuit ab initio duorũ horum appetituum harmonia, & iucundissima cõcordia, inferiore in nullo superiori prætergrediente imperiũ, eratque tum ab homine in eo statu procul omne dissidiũ. Et perdurabat quidem hæc suauissima pacis concordia, donec diuinæ volũtati paruit voluntas humana, & donec præcepti diuini regulam voluntas hominis non fuit transgressa. At vero posteaquam suam voluntatem homo per inobedientiam subduxit, imo verius suffuratus est diuinæ voluntati, eique cœpit per suam voluntatem velle contrariari, diuinique præcepti regulam transgredi (heu sortem nostram miserandã) iusto Dei iudicio, harmonia illa & pax suauissima in homine dissoluta est, & tunc sunt in homine cõfusa atq; perturbata omnia: ita vt obediẽtiã iã negare inciperet appetitus inferior superiori (cui vsque tũc optime fuerat subiectus) mox vt hic superiori voluntati diuinæ multo magis debitam denegasset obedientiã. Qui enim superiori suo iustæ negat subiectionis obediẽtiam, hunc nõ potest iustior vltio subsequi, quam vt sui quoque subditi patiatur rebellionem. Et qui initiũ cum superiori domino fœdus violat, dignus est cui nec alij fidem seruẽt.

Vnde profecta carnis rebellio.

Ita ergo per primi peccati inobedientiam, dū se voluntas humana à diuina seiunxit, atque separauit, eligens & appetens quod illa nolebat, factum est, vt mox in carne inferior apetitus similem nobis ludum ludere inchoaret, inciperitq; statim appetere superiori appetitui cōtraria, vt illeiā amauerat quod diuinę omnium supremæ voluntati repugnabat: Atque hoc malum in posteros omnes propagatū, ex vno homine, nemo nō sentit grauissimè in se desæuire, nisi quē fortè Deus speciali dignationis priuilegio ad pristinum illū innocentiæ dulcissimū statum reduxerit, per gratiæ suæ super abundantis præuentionem restituens, quod per primi parētis inobedientiam semel perditum amplius natura nō potest restituere. Id quod iuxta consonam catholicorum doctorum sententiam, de beatissima De genitrice virginis maria est cōfitendum, in qua non est verisimile fuisse vnquam inordinatum aliquem in appetitu sensitiuo motū, qui in vllo volūtatis repugnasset imperio, aut à rectæ rationis regula dissonasset. Nā de benedicto filio eius domino nostro Iesu Christo, hac in re (vbi de ordinatione loquimur) opus nō est verba facere, quem vt verū Deum ordinatissimū omniū ordinatorem, firmissimè credimus nulla prorsus inordinatione posse, vel potuisse coinquinari. Patet ergo, quomodo sensitiuus appetitus non secundum primariam suæ naturę coditionem id habet, vt contra voluntatem concupiscat, sed secundum corruptionem illam quæ humanam naturam ex primi peccati inobedientia processit, & hanc contrarietatem quæ in homine cernitur, non debere Deo creatori imputari. (Nō enim Deus dissentionis, sed pacis, vt sanctus ait Apostolus) sed homini præuaricatori, qui seipsum à Deo voluntarie separādo, sui inferioris appetitus perdidit perfectum dominiū. Hic autem appetitus inferior, secundum hanc corruptionem, appropriato vocabulo sensualitas solet nominari. Nam quoties sensualitatem nominamus, ordinationem istam in tali nominatione intelligimus. Nominatio autē appetitus sensitiui, corruptionem non includit, sed ipsam tantum potentiam inferiorem appetendi.

Virgo Maria à carnis rebellione immunis.

CAPVT XVII.

Quanta miseria homini oriatur ex rebellione appetitus sensitiui contra voluntatem.

EX hac autē humani generis corruptione, ex illius pulcherrimæ harmoniæ miserabili dissolutione, multiplex in hominibus procedit incōmodū. Inter quæ illud nō minimum est, quod homo ad omne bonum admodum est difficilis ac tardus, & quod non nisi cum difficultate multa operatur bonum: ad malū verò promptus est & facilis, ipsumque sine multa difficultate operatur: quemadmodum in Genesi scribitur, sensum & cogitationem humani cordis prona esse ad malum ab adolescentia sua. Ex eo enim quod sensualitas semper transire quærit rationis limites (quæ est regula volūtatis) semper homo in se habere cognoscitur, quod virtuti studentibus reluctetur. Nā virtus & bonū intra limites rectæ rationis consistit, quos sensualitas exire semper appetit, sicque virtuti studentibus sua importunitate facessit negotium, & non modicam ingerit difficultatem, suis passionibus continuo pulsans, & velut impetū faciens in voluntatem ad meliora conantem. Atque hinc est, quòd Aristoteles in libris Ethicorum asserit, virtutē (sicut & artē) versari circa difficile. Profectò enim difficile nō foret homini operari bonum, si non hanc in se haberet corruptam sensualitatem, sic semper ad mala solicitantem, & bono semper repugnantē. Impossibile est autem non fieri difficultatē in re quantumuis facili, vt sit qui retrahat, & qui impediat. Quemadmodum in se quidem est facillimum in altum de terra hunc eleuare baculū. Si tamē sit qui toto pōdere calcet super eius extremum, at si sit qui mihi sursum trahere velenti, quomodocunque conranitatur, difficultas mihi erit in eleuando: non quidem ex re ipsa, sed ex parte retrahētis atque cōtranitētis. Atque ita sanè, virtus nō circa ipsum quod in se est difficile versatur, neq; per se difficile est voluntati appetere & mouere ad bonum: sed propter hanc sensualitatem, retrahentem semper a bono ad malum solicitantem, prouenit difficultas. Neque aliud quam sensualitatem istam rebellem respicit Saluator, cum in Euangelio viam vitæ facit angustam, & angustam portam dicit, perquam intratur ad vitam. Videlicet significare volens, plerosque mortalium sensitiuum appetitum insequentes, per vias malas ad mortē pergere, paucissimos vero appetitui huic resistentes, per vias

Aristo. 2. lib. Ethicorum.

Gene. 8.

Luc. 13.

bonas ad vitam proficiſci. Qua in re illud maximè deflendum eſt, quod non ſolum reluctari in nobis poteſt ſenſualitas voluntati, & in bono proſequendo ei facere negotium, verumetiam penitus eam poſsit ad ſe allicere, imo ſibi ſubijcere, & pertrahere quò ipſa voluerit: ſicut pertrahere ſolet ancillam conductiam domina quò voluerit. Nam ſi tantum difficultatem poſſet inferre voluntati in operando bonum, foret id quidem tolerandum. Nunc vero tantã habet poteſtatem, & etiam ſupra voluntatem poſsit fœdiſsimè cõſcendere, eamque ſibi ſeruiliter ſubiicere. Quod ſanè ſpectaculum tam fœdum eſt, tam ſordidum tam inamœnum, tam Deo & ſanctis angelis atque ſpirituali animæ abominandũ, vt verbis explicare non queat: tolerabiliusque foret totam mundi machinã perturbari, ſurſum ac deorſum commixtis omnibus infimis ad ſuprema, & ſupremis ad infima commutatis, quam ita inferiorem illum appetitum ſuperiori tanto nobiliori dominari. Narrat apud Eſdram ſecundus ille nobilium adoleſcentum, qui de mulierum fortitudine diſſerebat, rem fœdiſsimam, de muliere meritricula, concubina magnifici regis: quæ ſedens ad Regis dexteram, auferebat diadema regni eius, imponenſque ſibi, palmis Regem cedebat cum ſiniſtra manu, cum ille ſuper hæc omnia aperto ore inturetur meretriculam, & arideret ridenti, indignanti vero blandiretur donec reconciliaretur in gratiam. Atque hoctã fœdum ſpectaculum referens ille adoleſcens pupuratorum omnium præ narrationis nouitate in ſe conuertit oculos, & principum animos commouit in vehemẽtem admirationem. At verò iis que internos habent oculos, qui fœditatem inter nam valent conſpicere, multo fœdius, multo ſordidius, longè magis execrabile videbitur, ſenſualitatem viliſſimam & ſordidam de terra prodeuntem, & ſemper in luto volutari quærentem dominari voluntati de cœlo progenitæ, ac declariſsimo Diuino ſtemmate prognatæ nobiliſsimæ vtique ac liberrimæ imperatrici, & regni diadema (quod hinc donauit altiſsimus) ab ea auferre, ſibique imponere. O viliſsimam meretriculam, o ſcortum putidiſsimum, prauam ſenſualitatem, quæ tam multorum hominum voluntates tibi viliſsimè ſubiicis, quæ hominum voluntates facis quæ bona

Nota. 3. *Eſdra.* 4.

ſunt relinquere, & tuis peſsimis deſiderijs acquieſcere.

CAPVT XVIII:

Quòd voluntas ob ſuam libertatem non poſsit cogi ab appetitu ſenſitiuo.

HOc tamen ſciendum eſt, quòd nulla volluntas à ſenſualitate ſuperatur merè violenter, ſed tantũ ſua permiſsione & libertate. Propter quod, nequaqam voluntas excuſatur à grauiſsimo ſcelere, Deumque in infinitum offendit, cum ſe ita permittit à viliſsimo ſcorto ſuperari. Quanquam enim ſenſualitas rupto fœderę poteſt ſuis paſſionibus facere negocium & moleſtiam exhibere voluntati, rationis rectæ regulam inſequi cupienti, ſi tamen voluntas obſiſtere voluerit, & niſi vltro conſenſerit ſolicitanti, niſi cedat inſultanti ſenſualitati, impoſsibile erit ipſam ab hac ſuperari: ita vt impoſsibile ſit voluntatem ſubiici violenter à ſenſualitate, neque poſsit vnquam ab ea expugnari, quantumuis oppugnetur, niſi ipſa ſe dedat in manus meretriculæ.

Quapropter omni excuſatione caret voluntas, quantumuis grauibus impulſibus paſsionum ſolicitata, ſi ſceptrum & diadema regni à Deo optimo ſibi datũ permiſerit à ſe tolli, & in manus meretriculæ ſiuerit deuenire. Non enim poteſt à voluntate tolli ſceptrũ, niſi ipſa dederit: & verius ipſa ſe ſubiicit ſenſualitati, quàm à ſenſualitate ſubiiciatur. Qui enim omnem oppugnantis apparatum & inſultum ſua virtute poteſt repellere, hic ſi ſuperari ſe ab hoſte permittat, manifeſtũ eſt quòd ſeipſum dederit in manus victoris. Atque ita cum voluntas in homine poſsit ſua libertate depellere omnes paſſionum impulſus, quibus ab appetitu ſenſitiuo poteſt impugnari, ſiue blandiendo, ſiue quamcunque moleſtiam exhibendo, manifeſtum eſt, non poſſe ipſam manu violenta expugnari, ſed à ſemetipſa ſponte dedi in manus expugnantis. Atque hinc æſtimet homo, quã grauiter illa à iuſto iudice rege regũ & domino dominantiũ punienda ſit voluntas, quæ ita præter neceſsitatem, abſq; omni periculo, commiſſum ſibi regnũ & imperium, ad modicã oppugnetionem vel moleſtiam reſignat & tradit alteri inferiori, cui Deus nequaquã regnũ

Nota diligenter.

vult esse in homine: id est infimę & corruptę sensualitati, quá ipse voluit omnibus modis esse subiectã. Proinde omni diligentia quisque debet sibi attendere, ne ipsam innaturalé dominationem, ministræ super dominam, seruæ super liberam, ancillę super heram, mulierculæ super virum, in semetipso admittat. Attendat volũtas nobilitatem suæ originis, quoniã de excelso cœlo est, nõ de terra progenita: & quãtumuis importunam se exhibuerit coniũncta eadem in carne meretricula, quantumlibet sibi facessat negotium, caueat tamen ne vnquã tã vilissimo scorto ipsa tam nobilis Dei propago se subiiciat: maximè cũ nulla sit illi necessitas, atque hoc certissimo sciat, nõ posse se nisi volentem ab illa superari, imo verò suo conatu & suæ libertatis virtute illam quantumcunque repugnantem posse nihilominus quò voluerit pertrahere. Tanta enim est voluntatis humanæ pro hoc etiam statu libertas, vt non possit ab vllis passionibus appetitus sensitiui pertrahi violéter ab eo quod ipsa elegit, ipsa verò possit sensualitatẽ violenter pertrahere quo voluerit, quantumlibet reclamet, quãtumlibet recalcitret ac reluctetur. Et licet voluntas hominis impedire nõ possit quin à sensualitate oppugnetur, quin illa recalcitret, remurmuret, repugnet, quia prauæ in illa passiones exurgãt, à quibus magnam difficultatem ipsa patiatur & multam sustineat perpetuámq; molestiã: potest tamen si diligenter aduigilauerit, & viriliter se gesserit, omnes illius passiones edomare atq; cõpescere, ita omnem difficultatẽ euincere, vt non possit vnquam expugnari, neq; in subiectionem venire oppugnantis vt manifestũ sit, quoties voluntatem deuinci contigerit, non ex impotentia esse, sed ex socordia atq; segnitie quãdoquidem viriliter decertando, omnem potuisset oppugnationem superare.

CAPVT XIX.

Quatenus passiones sensitiui appetitus in homine dentur vitio.

ET quoniam impedire non potest nec prouidere voluntas pro statu huius miserę dissensionis, quin sensualitas suis motibus, & passionibus insurgat, vt autem non dominetur & non præualeat omnino, potest sua vigilantia prohibere: hinc est quòd ad culpam à iusto iudice imputatur volũtati, & districta ab ea requiritur vltio, si se ab illa permittat superari, & sub pedes conculcari. Non autem imputatur ei, quòd passionum in sensualitate exorientium patiatur insultus, nisi quantum ipsa per negligentiã illas permittit exurgere & inualescere. Quæ verò suę rebellionis impetu sensualis affectus voluntatem præueniendo agit, pro his culpa nõ ascribitur voluntati. Nõ enim exigitur ab ea quod supra facultatem ipsius est, & quod prohibere ipsa haudquaquaquam potest, quomodo ergo ei iustè imputabitur? Quapropter non illi tantum laudandi sunt, neque boni viri censendi, qui nullis passionibus molestantur, in quibus nullæ sensualitatis malę affectiones exurgunt (hoc enim vix pauciss imis datur, & non nisi singulari contingit Dei beneficio: & vix interdum post multos labores, post luctam annorum multorum à Deo hoc obtinetur) sed ille laudandus est, qui mox vbi persenserit in se malas oriri passiones occurrit exaduerso, per imperium voluntatis, vt eas antequam crescant, succidat: & antequam inualescant, supprimat. Quemadmodum nõ ille solum agricola laudandus est, in cuius agro nullum crescit lolium, nulla vnquã exurgunt zizania: sed qui diligenter prospicit ne ita exurgãt zizania vt triticũ supprimant, quiq; mox vt enasci viderit, diligenti solicitudine euellit ac succidit, antequam in altum exurgant. Neque ille tãtum equi sessor laudatur, cuius equus non reluctatur, nõ calcitrat, non in altum proiicit posteriora, nõn exercet vllam petulantiam: sed qui petulantem atque saltantem equum ita nouit freno gubernare, calcaribusque comprimere, vt non ipse pessundetur, & equum cogat eam quam ipse voluerit viam, quantumuis reluctantem incedere.

Caput istud pariter & proxime subsequens diligenter expende.

CAPVT XX.

Per similitudinem petulantis equi, ostenditur quomodo debeat appetitus sensitiuus subiugari voluntati.

QVam similitudinem equi petulantis & sessoris eius si diligentius cõsideraverimus, inueniemus, quomodo voluntas in domãda sensualitate sese habere

Freno indiget appetitus sensitiuus.

debeat, vt non solũ non pessundetur, verum etiam ad quæcunque voluerit eam cogat sibi subseruire. Videmus autem equorum sessores ad equorum petulantium gubernationem duplicibus vti adminiculis: videlicet frenorum gubernaculis, & stimulis calcarium: quibus equum quantumcunque petulantem diligens sessor, & equitandi gnarus sub se retinet, & quocunque voluerit, potest agitare. Ita ergo & sensitiuus appetitus frenis eget & calcaribus, quibus constringatur vt sub obedientia debita permaneat. Sunt autem freni isti habitus boni & bonæ assuefactiones: quibus illum voluntas quodammodo induit, dum frequenter illius passiones frangendo & secundum rationem moderando, ita quandam assuefactionem bonam in eo generat, per quam facilius ipsum regat ac sub se teneat. habitus enim morales, id est bonę assuefactiones per multum laborem passionibus malis resistendo, eásque moderando in appetitum sensitiuum introductæ, hoc ei sunt, quod frena equis. Quemadmodum enim frena equis affixa & firmiter copulata, sessori dant quo se teneat, & quo equũ subiectum moderetur: ita habitus illi atq; assuefactiones in appetitu sensitiuo ex multis actibus relictæ sunt aliquid ei inexistens, quo potest teneri & moderari.

Generantur autem huiusmodi habitus vel assuefactiones in appetitu sensitiuo, ex continuo exercitio. Cum enim frequenter voluntas suo imperio resistit passionibus sensualitatis, & eas cohibet intra limites rectæ rationis, facitque non rem aliter appetere quàm oportet, ex hoc relinquuntur in ea habitus quidã & quædam assuefactiones, & quantò amplius & frequentius id factum fuerit, tanto firmiores habitus & maiora frena iniiciuntur in appetitum. Atque hinc fit, vt rebellio ista appetitus sensitiui ad voluntatem in studiosis & diligentibus hominibus cõtinuo mitigetur, fiátq; in dies mitior ille bestialis appetitus, & facilius se gubernari permittat. Fit etiam, vt, illis qui primum à vitijs ad virtutes se conuertunt difficillimum sit continere appetitum, ne currat in pristina obiecta. Sunt enim hi sessoribus imperitis similes, equo indomito absque frenis insidentibus. Vbi vero paulatim assuerint, fit eis studium virtutum multo facilius.

Calcarium autem stimuli quibus equi fiunt subiecti affi-

Calcaribus indiget sensitiuus appetitus.

ctiones sunt & pœnalitates, quibus affectus sensitiuus afficitur a viris spiritualibus, quo facilius illum cibi subiectum reddant, & minus rebellentem, faciliusque dicto faciãt audientem. Huiusmodi sunt, ieiunia, vigiliæ, lachrymæ, labores manuum, nuditas, frigus, fames, sitis, egestas, vilitas, contemptus, & huiusmodi: quibus omnibus velut quibusdam stimulis calcariũ pungitur affectus sensitiuus, afficiturque dolore & affligitur, vt minus sit voluntati bona molienti molestus, & facilius sequatur quocunque illa duxerit. Atque hæc ratio est, quare sancti viri quibus omnis cura est tota voluntate domino suo deseruire, sedulo huiusmodi afflictionibus insistant: ieiunantes, vigilantes, laborantes manibus, verberibus seipsos afficientes, siti & algore seipsos torquentes, atque ita de aliis huiusmodi afflictionibus. Hinc illa Pauli Apostoli vox est: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar. Et alibi in infirmitatibus gloriatur, in ieiuniis, plagis, fame, siti, nuditate, frigore, & huiusmodi: asserens quod virtus in infirmitate perficitur, & quod tunc fortior sit cum infirmatur. Videlicet hæc omnia ad effectus sensitiui edomationem ille referebat, non audens super indomitum equum absque calcaribus insidere. Et quanto quisque magis lasciuientem & magis rebellem hunc subiectum equum persentit, tanto magis illum stimulis huiusmodi pungere debet atque vrgere, nec cessare, donec præ dolore subsilientem & clamitantem cogat cessare a petulantia. Atque ob hoc, in principio conuersionis (cum maxime ferocire videtur appetitus contradictionem a voluntate præter consuetudinẽ patiens) illis maxime exercitiis corporis afflictiuis insistendum est, iis qui facile volunt ac breuẽ reportare victoriæ triumphum:. Postea vero quam subiici cœperit, iam vtcunque dicit, pristinis stimulis humiliatus minus lasciuire, mitius quoque tractari potest & stimulis calcarium prædictorum minus vrgeri: sic tamen, vt non nimia remissione rursum redeat ad lasciuiam. Nulla enim re melius quam afflictione cõtumax seruorum genus in subiectionem redigitur, & in subiectione retinetur: quemadmodum Agar ancillam præ lasciuia dominam suam supernentem, prudens Sara dura afflictione sibi subiicere curauit, quod consilium a Deo non est im-

1 Cor. 9. 2. Cor. 12.

probatum, vt fugientem eam etiam angelus domini reduxerit, & consilium Saræ probarit, dicens. Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius.

Gene. 11.

Quomodo verò habitibus moralibus appetitus frenetur, & an in ipso tales sint habitus, & quot sint, & qui, aliaque huiusmodi particularia, ad præsentem tractatum non pertinent. Ad moralem nanque doctrinam, atque ad Theologorum determinationem spectant. Nobis sufficiat duos istos appetitus secundum naturalem cõsiderationem distinxisse, & quemadmodum se adinuicem habeant, iudicasse. Nunc vero ad considerandum ipsam in se voluntatem pergamus, & quæ per illam homini proueniant eximia contemplemur.

CAPVT XXI.

De *libertate voluntatis in omnibus operationibus.*

Voluntati cæteræ vires subiiciũtur.

A Voluntate habet homo hoc sibi peculiare, & solus omnium suorum actuum sit dominus, hoc est, vt quæcunque homo operatur, liberè operetur, possitque pro sua libertate quod operatur, non operari. Subiecit enim Deus voluntati omnes alias vires, quæ sunt siue in corpore, siue in anima, ita vt ad voluntatis imperium omnes possint moueri, possitque eis voluntas imperare sui actus exequutionem, & ipsæ ei obedient. Loquimur autem non simpliciter de omnibus operationibus, neque de omnibus viribus, quæ sunt in homine, sed de viribus animalibus, & de operationibus animalibus, quæ videlicet homini, secundum quod est animal, conueniunt. Nam potentiæ vegetatiuæ non subiiciuntur imperio voluntatis. Non enim ad imperium voluntatis nutritur homo, vel augetur, alioqui non verum esset quod ait Saluator, non posse nos ad staturam nostram adiicere cubitum vnum, si enim augmentatiua potentia esset subiecta hominis volũtati, indubiè plurimi statura possibili (qui ob hoc contemnuntur ab hominibus) etiam vltra cubitum sibi adiicerent.

Luc. 12.

Illæ autem vires omnes quę homini conueniunt, vt animal est, subiacent voluntatis imperio: non ita vt absque voluntatis imperio non possint moueri, sed qua ad imperium voluntatis sic nata sunt moueri. Visus enim naturaliter ab obiecto mouetur, cum fuerit præsentatum: sed voluntas ipsi potest imperare, vt ad hoc vel illud videndum se conuertat, & potest auribus præcipere, vt ad sonum illum attendant, quanquam oblatum sonum absque omni voluntatis imperio possint audire. Ita potentiæ motiuæ imperat voluntas, vt corpus moueat huc aut illuc, quo scilicet voluerit. Sed & intellectus à voluntate moueri natus est. Potest enim imperare intellectui, vt ad hoc aut illud intelligibile contemplandum se conuertat. Et omnes hæ potentiæ secundũ quod voluntati sunt subiectæ, aliquo modo per participationem liberæ dicuntur, eo quod à voluntate liberè moueantur. Sola tamen voluntas per seipsam libera est, & veram habet libertatem. Omnes enim aliæ tametsi à voluntate liberè possint moueri: proposito nihilominus obiecto naturaliter ab illo mouentur, quemadmodum de sensitiuis potentiis suprà declarauimus, & de appetitu sensitiuo.

Voluntas liberrima.

Volũtas vero omnino libera est, quia proposito sibi bono & appetibili, nulla cogitur necessitate illud amare, sed potest liberè non amare, & non prosequi: & proposito malo, liberè potest non odire & non fugere. Neque possibile est, vt quis voluntatem cogat ad aliquid amandum, vel prosequendum, odiendum vel fugiendum, ad gaudendum de aliquo aut tristandum: atque ita in cæteris actibus voluntatis. Neque solum in propriis actibus ipsius voluntatis id verum est, sed in omnibus actibus potentiarum sibi subiectarum. Nemo enim potest cogere voluntatem, vt imperet alicui inferiorum virium exercitium actus sui: videlicet vt imperet potentiæ motiuæ vllum motum, vt vllum membrum moueat, aut vt per vllam potentiam animalem quicquam fieri debeat. Sed neque ipsa corpora cœlestia, neque omnes quæ sunt in superioribus constellationes, ad aliquid possunt voluntatem liberrimam compellere, quantumuis sint constellationum vehementes operationes, quamlibet efficax sit virtus astrorum. Quanquam non est negandum astrorum & constellationum influxus posse agere in

Corpora cœlestia non possunt voluntatẽ

corpus, ſicque appetitum ſenſitiuum vt corpori immerſum poſſe immutare ab affectu aſtrorũ impreſſo in corpus & inclinari ad aliquid appetendum vel fugiendum ſecundũ qualitatem impreſsi effectus. Verum vltra appetitum ſenſitiuũ non poteſt protendi virtus aſtrorum. Nõ enim poſſunt niſi in corpora vel corporalia ſuos effectus producere. Volũtas ergo neque corpus neque corporale aliquid exiſtens, ſed potentia ſuperior, nec immerſa corpori, nullius eſt effectus ab aſtrorum virtute ſuſceptiua: Et licet fere contingat (propter inſipientiam) bonam partem hominum aſtrorũ inclinationem etiã ſecundũ voluntatem ſequi: id tamen argumentum nullum eſt, quod aſtrorum influxus cogat voluntatem, aut quod aſtrorum virtus per ſe immutet & inclinet voluntatem: ſed inde hoc procedit, quia maxima pars hominum, per damnandam ſocordiam permittunt voluntatem a ſenſualitate ſuperari: & quia pauciſsimi ſunt, qui non ſecundum carnem viuunt, & carnis concupiſcentiam ſpiritu cõtempto inſequuntur. Propter quod rectè ſapiẽs ille dixit Eccleſiaſtes ſtultorum eſſe infinitum numerũ. At vero ſapiens ſi quis inuenitur è milibus vnus, hic per volũtatis libertatem, omnem ſuperabit aſtrorum operationem, omnia ſenſualis appetitus blandimenta pro nihilo pẽdet, atque ex alto deſpiciet. Vnde illa Ptolomei vulgo iactata ſententia ſyllabarum quidem numero modica, ſed veritatis pondere grauiſsima.

Sapiens dominabitur aſtris.

Qui enim aſtris non dominatur, profecto ſtultus eſt & inſipiens, vtpote qui abſque neceſsitate in perditionem abduci ſeſe permiſſerit. Nemo ergo cum tentatur dicat, quoniã à Deo tentatur, aut ab aſtrorum influxibus (quæ ſunt creaturæ Dei) ad malum vrgeatur non creaturam Dei bonã, & bonam valde incuſet, ſed ſuam potius ſtultitiam & inſipiẽtiam condemnet. Vnuſquiſque enim (vt ait Iacobus Apoſtolus) tentatur à propria concupiſcentia abſtractus & illectus: cuius meretriciis blandimentis dum voluntate conſentit, ipſe propria culpa filium mortiſque gehennæ conſtituit, ac pro ſponte damnabilem facit.

Iacob. 1

Ibidem.

CAPVT XXII.

Quod ratione voluntatis homo mereatur vel demereatur.

EX hac autem libertate quam iam oſtendimus ineſſe hominis voluntati, conſequitur hominem ratione voluntatis poſſe mereri vel demereri, dignumque fieri præmio bono ſiue malo, iuxta quod per voluntatem bona vel mala facere elegerit. Cæterorum vero animalium nullũ mereri poteſt aut demereri, aut retributione bona vel mala dignum fieri. Meritum enim & demeritum, præmium & punitio illic locũ habent, vbi eſt actuum liberum dominium, vbi quod fit, libere fit, ita vt poſsit qui facit hoc ipſum ſi velit non facere: itẽ vbi quod non fit ſiue omittitur, liberè non fit, liberéq; omittitur: vt potuiſſet ſi voluiſſet non omittere. Vbi vero libertas nõ eſt ita vt non poſsit agens nõ agere quod agit, vel vt non poſsit agere quod non agit, ibi conſtat nullã eſſe meriti vel demeriti, præmij vel retributionis rationem. Propter quod ignis ſi hominem innocentem comburat, nullam meretur punitionẽ. Quod enim egit, liberè non egit, ſed naturali neceſsitate. Similiter lapis, cum hominem deſuper cadens interficit. imo & lupus cum hominem fame excitatus vorat, vel etiã cum ſola phãtaſia ductus id facit. In his enim omnibus ſicut nulla libertas, ita nullum eſt demeritum. Sic infantuli dum parentes manu cedunt, dũ per noctis tempus moleſti ſunt parentibus, & multũ illis faciunt laborem, vociferantes & clamantes cõtra illorum voluntatem, in nullo demerentur, neq; punitione ſunt digni, ob defectum libertatis. Necdũ enim vſum habent ſuę libertatis, ſicut necdum habent vſum rationis. Ita quoque moriones, qui penitus velut pueri aut bruta abſq; libero vſu ſunt ipſius voluntatis & rectæ rationis. Et licet ſecundum ciuiles leges puniri decernantur animalia bruta: vbi homicidium fecerint, nõ hoc arguit, illa punitionem huiuſmodi meruiſſe ſuo actu. Nam talis punitio potius ad dominorũ ipſorũ damnũ ad quos attinẽt ſpectat, q̃ ad ipſa animalia bruta. vt ſit cũ bos interfector hominis ſecuri cæditur, capite rotę ſuprapoſito: videlicet vt diſcãt poſſeſſores illorũ diligẽtius ſua iumẽta obſeruare. Vel fiunt huiuſmodi punitiones ad hominũ cõmonitionem, vt magis ab huiuſmodi ipſi abſterreantur ani-

Meritum, & demeritum præſupponunt libertatem.

Bruta cur ſecundum leges puniantur.

malia rationalia, cum & in irrationalibus bestijs talem vident capitalis sententiæ seueram exerceri vindictam. Interdum etiam in sceleris detestationem, veluti cum is qui cum iumento coiit, simul cum ipso iumento exuritur, si possit cõprehendi. Consequitur ex prædictis, quòd non in omnibus suis actibus homo meretur vel demeretur, sed in ijs tantum, quæ voluntariè operatur. Primum quidem in ijs actibus quæ propriè sunt ipsius voluntatis, & deinde in omnibus quæcunque à voluntate imperantur, non autem in illis quæ nec propriè ipsius sunt voluntatis, nec ipsius subsunt imperio. Idque intelligendum est tam de ipsis actibus, quàm de actuum omissionibus. Potest enim homo mereri, & bono præmio dignus fieri, non solum tale aliquid faciendo quod bonum est fieri, sed etiam omittendo quod bonum est nõ fieri, & malum est fieri. Sed demereri potest non solum faciendo quod malum est fieri, sed etiam omittendo quod bonum est fieri, & non malum est non fieri.

CAPVT XXIII.

Quomodo actus humani, de voluntatis libertate participant.

Participatio voluntariæ libertatis.

Est etiam circa præsentem locum aduertendum, non requiri ad hoc vt in actu aliquo mereatur homo vel demereatur, quòd sit actualiter & formaliter imperatus à voluntate: sed sufficit quòd volũtas super ipsum habuerit dominium & imperium, ita vt impedire potuisset si tantum voluisset. Quod enim voluntate permittente fit, voluntarium est, & vt libertatem voluntatis participans meritum vel demeritum facit. Non enim solum peccat voluntas, dum ipsamet eligit actum malum, sed etiam quando appetitus sensitiuus malam passionem excitat: quam voluntas non supprimens dum potest, ita acceptat atque permittit. Hac enim acceptatione vel permissione, actus ille de voluntatis libertate participat. Ex quo patet causa, ob quam in illis actibus homo non mereatur vel demereatur, quos habet potentijs non subiectis voluntati, videlicet nutritione &

augmentatione, item in illis quæ ei vt corpori naturali conueniunt: vt cum subitò cadens homo alium opprimit, vel interficit. Hic enim non aliter homo se habet, quàm truncus, aut lapis, neque vt homo agit. Item in ijs quæ homo dormiens per phantasiam agit, ratione ligata. Item in ijs quæ homo in furia existens agit, non compos mentis, nec suæ voluntatis vtens libertate. Consequitur etiam, non demereri hominem ex solo aspectu rei illicitæ oblatæ, ad quam non se per voluntatem conuertit, neque in auditu rerum obscœnarum subitò, cum non aduertit voluntariè auditum ad huiusmodi, & ita in cæteris. Non enim in potestate voluntatis erat talem actum compescere, neque aliquid de libertate volũtatis participat. Qui autem voluntariè conuertit oculos suos ad aspiciendum vana, aures accommodat ad mala audiendũ, & ita in alijs: aut etiam non auertit oculos, nõ obturat aures, cum possit & debeat, hic in operationibus sensuum peccat ex libertate voluntatis, cuius ibi fit participatio. Consequitur insuper (quod supra diximus) primos illos passionum motus qui ab appetitu sensitiuo exurgunt in homine, præueniendo voluntatis imperium, non imputari homini ad demeritum, si nulla sit acceptatio voluntatis, si volũtas mox vt senserit, sese opponens incipiat eosdem compescere. Hoc tamẽ sciendum est, quanto magis diu tales motus sustinet post quã aduertit & repellere potuit, tantò magis ipsi imputari ad demeritum: quoniam continuò magis de libertate participat, quantò magis voluntas in eis conquiescit. Et vniuersaliter ita in omnibus iudicandum est, quantò vnusquisq; actus, vel vnaquæq; omissio magis est voluntaria, & quantò magis ne voluntatis libertate participat, tantò maioris esse meriti, vel demeriti. Circa quod etiam notandum est, posse in aliquo actu esse participationem voluntariæ libertatis, etiam tunc cum voluntas omnino nihil operatur & prorsus est ligata, videlicet cum aliquid prius voluntariè homo eligit, & libere operatur vel admittit, ad quod alterũ illud per se consequi est natum. Vt qui per tempus vigiliæ illicita varia cogitat, neque antequam somno se dat, agit pœnitẽtiam suæ vanitatis, huic si per noctem de præteritis vanę occurrãt imagines, in ordinationes huiusmodi & illusiones nocturnę non prorũ-

Nota.

culpa vacant. Voluntariæ nanq; libertatis aliquid habẽt, qua tenus vigilãs illa admisit in sese, vnde in somno plerunq; solent consequi. Sic qui se voluntariè inebriat, si postea ebrietate obrutus delinquat, vel committendo quæ committere non debet, vel omittendo quæ facere debuit, hũc certè à peccato non excuset ebrietas. Atque hac in re quantum ad ea quæ in somno fiunt multum confert illa somniorum naturaliũ ab animalibus distinctio quam in libro præcedenti posuimus. Naturalia enim somnia absq; voluntatis participatione sunt, eo quòd causam habeãt naturalẽ. Animalia verò aliquid de voluntaria libertate participant. Quid autem sit volũtarium, & quot modis dicatur, & alia plura quę de volũtario subtilius solent disseri, ad moralem doctrinam pertinent. Nobis sufficit generaliter hominis istã prærogatiuam in merẽdo vel demerendo descripsisse.

CAPVT XXIIII.

Homini quomodo ratione voluntatis præcepta fiunt & promissiones.

Præcepta solis rationalibus dantur.

HAbet quoq; à voluntate homo, vt solus ipse inter cętera omnia naturalia creata possit accipere præcepta & prohibitiones, promissiones item & cõminationes. Hæc enim illic locum habent, vbi est actionũ libertas. Frustra nanque præceptũ fieret illi à quo nõ posset fieri quod nõ præcipitur, vel à quo non posset non fieri. vtpote illi quod naturaliter quippiam facit vt non possit in oppositum. Quemadmodũ vanè præciperet, qui igni præciperet calefacere, aut materiã appositam inflammare. Neq; illic est præmia proponere, vbi non est libertas ad faciendum vel omittendum. Ad hoc enim præmia proponuntur (siue bona promittendo, siue mala cõminando) vt ad ea quæ bona sunt agenda extimulentur, vel ab ijs quæ mala sunt amoueantur, ij qui libertatem habent siue bonum siue malum faciendi aut omittendi, pro sua libertate. Est autem promissio & cõminatio de re non præsente sensibus, sed quæ tanquã futura proponitur. Sunt enim promissiones de futuris, item & cõminationes. Vnde cũ solus homo propositione futurorũ moueatur, cętere verò omnia tãtũ

ad prẽsentiam obiecti sensibilis per sensitiuum appetitũ mouetur naturaliter, hinc fit vt non possint nisi homini promissiones fieri & comminationes. Et licet aliquãdo appellamus ostentationem ipsius appetibilis promisionẽ, & ostentationem rei terribilis, nonnunquam vocemus comminationem (velut cum cani baculum ostendimus, eundem vibrantes tã quam indicantes accepturum illum verbera, si ad carnẽ hãc accedat) id tamen manifestum est potius allicere vel absterrere esse, quam promittere vel comminari. Quod etiã in scripturis legitur. Deus præceptũ posuisse irrationabilibus creaturis, quẽadmodum de cœlestibus corporibus non solũ irrationabilibus, sed etiã inanimatis dicitur Psalmo. 148. quod illis Deus posuerit præceptum quod nunquã præteribit, hoc certum est dici methaphoricè. videlicet ad significandũ Diuinam institutionem, qua illis motum suum ab initio instituit & definiuit, quem ipsa inuiolabili lege obseruant. Propriè ergo solis hominibus præcepta & prohibitiones, promissiones, & comminationes constituuntur. Maximè autem illæ promissiones secundum dignitatem hominis sunt quibus bona æterna promittuntur. *Psal.148.*

CAPVT XXV.

Quod homo ratione voluntatis capax sit infiniti boni.

Voluntas nullo creato satiabilis

HAbet insuper homo à voluntate, vt solus sit capax infiniti boni, nullo que possit bono creato repleri, nullo possit temporali bono satiari. Est enim ipsa capacitatis infinitę, & durationis ęternæ: cum sit potentia non immersa materiæ, & a corpore separabilis, atque in æternum permansura. Omnia autẽ alia creata præter Deũ solum, finita bona sunt. Solus deus est bonum infinitum & incõprehensibile. Ac proinde non potest hominis voluntas vllo bono creato quantũlibet præcellenti satiari, nisi solo deo. Nam finiti ad infinitum nulla est proportio. Vnde sicut si vas aliquod imaginaremur infinitæ capacitatis corporalis, nullo posset creato liquore impleri, etiam si omnia flumina in illud infunderentur, omnesque aquarum fontes, & putei: ita sane voluntas hominis infinit

capacitatis existens, nullus potest bonis creatis, etiamsi vniuersa simul influant satiari. Quantumcunque enim boni finiti in voluntatem immiseris, nihil aliud agis, quã si in immensum vas, aquæ gutullam infuderis. Verum infinitum aliquod flumen infinitũ vas posset replere, minus autẽ infinito non possit replere infinitum. Infinita enim capacitas requirit infinitum replens, si debeat repleri. Vnde impossibile est voluntatem vllo creato satiari. Appetitus autem sensitiuus non est capacitatis infinitæ, sed admodum modicæ: propter quod facile impletur, & impletus cessat concupiscere, donec rursum illo, quo plenus fuerit euacuetur. Atque hinc manifesta est differentia inter animalia bruta & homines brutaliter siue bestialiter viuẽtes. Animalia enim bruta, quoniam non nisi appetitum sensitiuum habent, citò satiantur, & replentur, modò cibo vel potu. Homines autem eiusmodi, vere non homines, equis & mulis minus rationabiles, qui voluntatem habent sensualitati subseruientem, & similiter vt appetitus sensitiuus inordinatè absque regula rationis sensibilia appetentem, nunquam possunt temporalibus rebus satiari, quantũ ad affectum, vt gulosi cibos atque potus absq; termino cõcupiscunt, nec ingurgitate desistunt, donec vsque ad guttur ab imo pleni prohibeantur vlterius ingurgitare, non defectu desiderij, sed defectu corporis, quod omnino nequit amplius recipere, propter nimiam impletionem. Ea vero sensibilia bona, quæ non intra nos suscipimus (vt sunt pecuniæ & possessiones, & huiusmodi) absque vllo termino & fine semper appetuntur. Videlicet hoc ipso cognoscere potest & debet homo, per illud quo supereminet cæteris animantibus, se esse capacitatis infinitæ, & nullo finito bono satiabilem. Propter quod vanè laborat, ac frustra seipsum diuexat homo, dum temporalibus, ac finitis huiusmodi bonis quæ in hoc mundo sunt, suum cupit infinitum desiderium adimplere: non minus quam si vas infinitũ (vt diximus) modico aquæ cyatho quis laboret implere. Illud autem bonum requirere debeat, & toto conatu inuestigare, quod solum est suo infinito appetitui proportionatum, quod solam potest hominis desiderium penitus implere & satiare perfectissimè. Bonum autem hoc vnicum est: non temporale. sed æternum

Appetitus sensitiuus facilè impletur.

Christiane lector attẽde.

non creatũ, sed creator dominus deus super omnia benedictus qui ad hoc nos sic creauit capacitate infinitos, id ipsum qui solus in infinitum potest adimplere, requireremus, & ad eum omne nostrum dirigeremus desiderium. Cum enim nihil ipsa frustra fecerit, qui est sapientissimus omnium conditor, nunquam vtique hominis voluntatẽ infinitæ fecisset esse capacitatis, nisi aliquo modo voluisset bono infinito eã ad implere. Vnde cum solus ipse tale bonum infinitũ sit, cõstat an hoc illum fecisse nos capacitatis infinitæ, vt ab eo pleniss ime impleremur. Hanc philosophiam non ignorabat ille qui de post fœtantes assumptus fuit ad regnum, cum diceret, Satiabor cum apparuerit gloria tua. Sic & in alio loco exclamans, Quid enim mihi (inquit) est in cœlo, & à te quid volui super terram? Quasi dicat, Omnino nihil est, quod meam infinitam capacitatem valeat implere. Et subiungẽs quid sit quo credat posse se adimpleri, ita prosequitur, Defecit cor meum, & caro mea Deus cordis mei, pars mea, Deus meus in æternum. Et rursum alio loco, Credo videre bona domini in terra viuentiũ. Manifestè videlicet significãs, nõ hic in terra exilij & morientium esse vlla bona quibus possit satiari. Sic enim loquitur quasi nulla hic bona viderit. Hinc & Saluator in Euangelio, toties mouet thesaurizare nõ thesauros in terra, sed thesauros in cœlo indeficientes.

Psal.16.

Psal.72.

Psal.26.

Luc.12. & 18.

CAPVT XXV.

Quomodo per voluntatem deum amare, Deòque vniri potest homo.

HAbet in super homo ex voluntate, vt inter omnes creaturas solus possit deum diligere, eique per voluntatem adhærere perpetua adhæsione. Nam animalia bruta per sensitiuum appetitum nõ possunt nisi quæ sensibilia bona sunt, & quæ sensus iudicet cõuenientia diligere. Deus autem nullo sensu sentiri potest, homo verò sicut per intellectum sensui supereminentem potest deum cognoscere, ita per voluntatẽ deũ potest amare. Amor verò facit rem amantem adherere rei amatæ. Hæc enim est natura amoris, vt vniat amantem cum re amata faciatque vnum ex

duobus. Est enim vinculum & quasi viscus siue glutinũ, quo conuiscãtur, couniuntur, & conglutinantur ad inuicem amans & amatũ: ita vt etiam vulgo qui se multum amant, vnam animam in diuersis corporibus dicãtur habere. Et sicut Paulus de meretricio amore ait quod duos cõiungat in vnũ corpus (Qui adhæret inquit, meretrici, vnũ corpus efficitur) ita de amore spirituali voluntatis dicendũm est, quod vnum spiritum efficiat. Vnde & subsequenter de amore diuino loquens adiecit. Qui autẽ adhæret domino, vnus spiritus est. Hæc enim adhæsionis modo qua loquitur, non nisi per amorem est.

1. Cor. 6.

Potest ergo homo per voluntatem deum infinitum amare, & sic cum illo vnum fieri. Per voluntatem quoque potest homo donec abest à deo ipsum prosequi & desiderare, infinito & infatigabili desiderio, & in eo iã habito, potest gaudere: & quãto perfectius habuerit, tãto perfectius gaudere. & cũ perfectissime ipsum habuerit, in futura scilicet patria, tũc perfectissime gaudebit, eritque ibi vnio perfectissima, supra quã humani ingenij valeat caligo nunc apprehendere. Ecce quanta, quam admiranda sunt, quam eximia, quã præcellentia, quæ humana soboles vere cœlo demissa ab alto, præ cæteris omnibus creaturis possidet, quibus creatis omnibus præstat & præfertur in immẽsum. Vide o homo & attende, quam nobilem te nobilissimus creauit cõditor tuus. Ecce qui cunctas res naturales creauit finitas, te solũ infinitũ creauit & talem te creauit vt ab ipso posses inhabitari, & ab ipso infinite bono, infinite beatificari. Sed nos iam infimis rerum naturalium elemẽtis atque principiis, ad id quod in creaturarum ordine dignissimum est atque omnium supremũ dei adiutoris (qui nostrum sic direxit calamũ) subuecti, quo iam auolabimus longius? quo proficiscemur vlterius? Per materiam & formam rerum naturalium, per earũ causas, per motus & accidentia cætera, per generationes & corruptiones iã peruolauimus, supernas impressiones sub nobis reliquimus, viuẽtiũ naturam & sentientiũ dignitatem (tam quoad externos sensus, quam quoad internos) proposuimus ante oculos omniũ. Insup & hominis intima introgressi, nobilissimas illas vires (intellectum & voluntatem) quantum dedit altissimus, vtcũ que lallãtes puerorũ more & balborũ instar magna fari gestientium, expressimus. Quo vero super hæc conscendamus altius, in ordine rerum naturalium nequaquam poterimus inuenire. Ipse igitur qui nostræ fuit consyderationis initiũ, qui ad sui gloriam nostrum hactenus calamum direxit atq; prouexit, nunc quoq; nostri laboris finem accipiat: & cuius gloriam in cunctis præcedentibus spectauimus, tandem in operis conclusione canticum laudis idem ipse accipiat: qui in trinitate & vnitate viuit & regnat in æterna sæcula benedictus. Amen.

Conclusio libri.

Finit consyderationis Physicæ liber Duodecimus.

PSALMVS ILLI QVI SOLVS implere potens est humanum desyderium.

Quemadmodum desyderat fatigata cerua ad fontes aquarum, vt refocilletur in eis: ita desyderant ad te deus animę nostrę, arefactę prę inopia, & fatigatæ carnis molestia.

Apud te nanque solum est fons vitæ, & torrẽtes voluptatis apud te sunt: vena tu es aquarũ viuẽtiũ, quibus solis satiari possunt & inebriari rationales animæ nostræ.

Quæcunque in hoc creato mundo sensibus subiecta percipimus, nequaquam implere possunt, vel secundum partem minimam, desyderia nostra etiam si agglomerentur quæcunque orbis iste continet superna & infima, non valebunt nec vnius hominis implere desyderium.

Talem enim tu deus piissime creasti rationalem creaturam tuam: ita magne deus & mirabilis, magnum & mirabilem creasti hominem.

Vt tui capax esset, nec vllo posset satiari bono nisi te, vt solo vnoque te posit impleri, suæque capacitatis teipsum accipere plenitudinem.

Irrationalium cæterorum animantium appetitus, rebus impletur permodicis: pro nihilo est eorum satiare desyderia.

Lupus fame insaniens oue vna satiatur aut altera: Leo rugiẽs prædam adeptus modicam, cessat à venatione sua.

At verò hominis voluntatem nimia donasti amplitudine: latitudo capacitatis eius atque profunditas non habent terminum.

Quantumcunque fuerit iniectum creati boni, non implebitur immensitas eius: nihilo amplius quàm si in ollam mẽsura infinitam iniiciatur paruula aquæ guttula.

Infinitatem tamen istam non ad afflictionem contulisti homini, vt semper egenus torqueretur atque famelicus: multo magis, vt veræ beatitudinis & supernæ fœlicitatis solus ipse capax foret, talem creasti eum.

Ita magne deus nos voluisti capaces facere amplitudinis tuæ: talem enim tibi complacuit creaturam cõdere, in qua posses inhabitare ipse secundum plenitudinem gloriæ atque fœlicitatis tuæ.

Quomodo autem te caperemus infinitum, immensum & immensurabilem, nisi & nos tu creasses capacitate infinitos? nequit enim, ratione monstrante, infinitum à finito concludi.

Magnum mare magnum requirit alueum: nec posset mare infinitum finito contineri alueo.

Nequaquam ergo ad malum nobis est infinita capacitas ista: quoniam quidem ad infiniti boni possessionem fœliciss ime nobis proficit.

O quàm dulcis est domine spiritus tuus: & quam bene illis erit qui dignas nunc tibi faciunt suas animas, vt ad eam tandem aliquando pertingant beatitudinem.

Bonum est homini cum portauerit iugum tuum domine ab adolescentia sua: quia in vijs mandatorum tuorum ambulans, perfectam custodierit animam suam.

Et quàm magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam præparasti filijs hominum: quam non vidit oculus, non audiuit auris, lingua non gustauit, imò neque cor hominis valuit comprehendere.

Ibi conglutinabitur spiritus domini cum spiritus seruorum suorum: indissolubili glutino charitatis perpetuæ erunt conglutinati absque dissolutione, in æternitate perpetua.

Eia domine, quando veniet dies illa vt impleatur nobis beata vnio ista: vt tu nobiscum, nos tecum, tu in nobis, & nos in te simus vnum suauiter.

Ibi erit absque defectu satietas plena, ibi erit absque siti perfecta & dulcis ebrietas: cum sese nobis manifestauerit reuelata facie fulgidissima illa gloria tua.

In beata vnione implebitur voluntas bonis, omnibus quæcunque desiderauerit: infiniti nanque boni talis possessio statum reddet totius boni accumulatione perfectissimum.

Expectabo te domine, stabo super speculam & custodiam meam vt vigilem: donec tu mihi aduenias, plenitudo omnis desiderij mei.

Absque hæsitatione tibi fidẽs, credo videre bona omnia in terra viuentium: ad vitæ fontes aquarum: in te sperans non confundar in perpetuum.

Gloria patri, & filio, & spiritui sancto,

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.

Finit Psalmus.

DEO LAVS ET GLORIA.

FINIS.

PARISIIS,

EXCVDEBAT FRANCISCVS GIRAVLT TYPOGRAPHVS.

1547.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca